This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

IUSTUS CEU PALMA VIREBIT

CHRISTIANUS
SCHOETTGENIUS.

Digitized by Google

1-9.

Wm. Shakespeare's Sonnets

Some very curious papers in this book.

Digitized by Google

Digitized by Google

AMOENITATUM

HISTORICO-PHILOLOGICARUM QVINQVE DECADES

elucubratæ

Studio

M. JUSTI GOTOFREDI RABENERI,

in Illustri ad Albim Gymnasio RECTORIS.

Quibus accesserunt

Orationes ac Epistolæ ejusdem Selectiores

Anno recuperatæ salutis M DC XCV.

LIPSIÆ

Sumptibus Johannis Christ. Wohlfarti.

Typis Johannis Coleri.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO

NOBILISSIMO AC CONSULTISSIMO

DN. JOHANNI GEBHARDO RABENERO,

POTENTISS. ELECTORI BRANDENBURGICO A CONSILIIS AULICIS &c.

AMOENITATES HASCE

D. P. D.

FRATER

JUSTUS GOTOFREDUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO

NOBILISSIMO AC CONSULTISSIMO

DN. JOHANNI GEBHARDO RABENERO,

POTENTISS. ELECTORI BRANDENBURGICO A CONSILIIS AULICIS &c.

AMOENITATES HASCE

D. P. D.

FRATER

JUSTUS GOTOFREDUS.

Digitized by Google

QVoties ego, Frater honoratissime, vitæ nostræ vestigia retroversus lego, & ad ipsius pueritiæ annos viam remetior admiratio quædam subit, ad bonam nos adoleviſſe frugem. Ineidebat enim illa ætas in atrocissimos belli furores, cui Soravia nostra aliquoties in prædam cesserat, nosque parvuli cum matre afflicta parva eramus calamitatum publicarum accessio. Hinc maligno victu educati durissimo omnes utebamur adolescentiæ initio. Aberat parens optimus liberorum suorum aretalogus, & per integrum sexennium aberat, curaque educandi nostri, & formandorum ingeniorum soli matri relin-

Digitized by Google

linquebatur. Hæc autem sollicitudine ac lacrimis penè confecta malè sustinebat onus, & quæ succenturiatam operam navare debebant Scholæ publicæ fide annui salarii laborabant, & qui gratis vires impendere vellet, erat nemo. Interim oculis, moribusque non nisi mala exempla ingerebantur licentiæ impietatisque militaris. Corruptissimis, hisce moribus, nihil aut parum, ex seculi contagio, traxisse nos, illius beneficium est, qui olim tres in fornace pueros (totidem tunc eramus) servavit etiam sine incendii odore. Is, ingenia largitus erat non ultimi commatis, & amorem in literas contra quaslibet difficultates fere contumacem. Eandem in se benignitatem Numinis & reliqui sentire fratres ad unum omnes. Utque testatior illius sit memoria

Digitized by Google

liberi etiam nostri tam pulchram, quasi hæreditatem creverunt. Ad mochiorum imprimis Philologiæ & Mathescos studia placebant quibus Tu, Frater suavissime, a tis ex afflictissimi patrimonii tantùm non sordibus subvolasti. Nulla nobis aliunde subsidia, nisi ex pædagogiarum juvenis fere laboribus. Quæ res tamen tàm benè Tibi cessit, ut summis aulæ proceribus ingenium Tuum altioris curæ capacissimum innotesceret, imprimis postquam illorum hortatu causæ Juliacensis patrocinium contra Neoburgenses in Te recepisti. Et servat etiamnum Electoris Bibliotheca scripti ejus primum exemplar in scriniis. Hinc factum adeò, ut sola commendatione eruditionis gradum inter maximi Principis consiliarios obtineres, ejusque favore & gratia

non

non indignus visus fueris Quam spartam quo pacto exornaveris Pomerania dicat, loquantur viduæ & pupilli, quorum Tu causſam dum constantius, quam pro genio seculi defendis, multorum in Te odia concitasti, quibus pietas ac reverentia Numinis infra mensuram prudentis sunt, quique conscientiam inter minutiores curas habent. Tibi autem satis fuit DEum sequi, & ad illius arbitria sanctissima fortunam Tuam remittere. Et temperavit quidem vices illius, sed mira arte, ut solet mitissimus ille parens gaudia nostra interpolare frequenti luctu. Quid enim in rebus humanis ad felicitatis summam magis facit, quam conjuges nanciſci ex animi sententia, quarum fides ad omnem adversorum patientiam durata inclaruit?

Digitized by Google

it? De liberis autem quid dicam aut an omninò dicam ambiguus hæreo. Ingeramne in eos posthumas laudes, & Tui parentis vulnera latiùs diducam? Novi Te etiam memoriam orbitatis Tuæ refugere toto animi conatu. Et sanè ostenderas sollicita illorum educatione inique nos seculo nostro invidiam facere, quasi effœtum ad virtutes deficiat. Utinam Tibi viveret THEODORUS GEBHARDUS, quem diutina vis morbi Herculei in medio virtutis stadio correptum dejecit in genua, ac metæ jam propiorem intercepit. Utinam superstes esset JUSTUS BENJAMIN cum ERNESTO RABANO! Haberet ætas nostra, quod priscorum hominum pietati, candori, moribus ac literis ad invidiam cultissimis opponeret. Tam felici enim indole ad gloriam nati

erant

erant, ut jam Principum Fratrum vota non sine æmulatione mutua sibi eos adsciscerent. Sed hos omnes fatum, hoc est Dei arbitrium ab ipsa calce ad carceres revocavit, in quibus illi coronas suas exspectant, si exspectare est, quod Brabevta summus jam purissimis illarum mentibus repræsentavit in cœlo. Quid mirum igitur, si Tu, cui hæc pulcherrima posteritatis spes occisa est, in pulvere Caminiensi cum Jobo considens orbus ac iterum viduus reliquias senilium curarum in meliorem vitam præmittis, ubi illæ jam non peregrinantur, sed habitant.

Vides me fugere per calamitates Tuas, & calamum per dolores præcipitare. Forte & sensum orbitatis nuper svavissimus pusio Justus Gothardus refricuit, qui, cum sexennium vix impleverit, jam Latine

tinè argutatur ſcitiſſimè. Tales enim & Tuos fuiſſe credo. Nec dubito, quin Lipſia diſcedens hu mentes oculos retuleris, ſi illi nondum perpetuis luctibus obriguêre. Solent enim diuturna mala ſtuporem inducere, non mentibus modò, ſed & oculis, qui triſti illo ſtillicidio exarent denique toti atque flacceſcunt. Itaque eminus fauciare memoriam nolo, ſed manum de tabula hac ferali, ungvem ex ulcere Tuo retraho, &, cujus gratia hunc ſermonem exorſus ſim, eloquor. Diu nempe conſilium fuit orbo Fratri ac ſeni ex meis aliquem adoptandum dare. Cum verò librorum, quàm liberorum benignior ſit copia, ex illis trado hunc, quem Tu ex omnibus ſemper maximè approbaſti. Non enim ex liberis modò, ſed & libris longum, quod ajunt, vivitur

Digitized by Google

tur, multorumque memoriam ad seram posteritatem transmiserunt literatæ chartæ. Blandirer autem mihi, si ex hoc censu pagellas has esse judicarem, aut eruditum Tibi fœtum me supponere crederem. Tu tamen suscipe qualemcunque vultu, non quem ipse feci, sed læto & composito, & qualis à calcato mundo & complexu cœli redire solet. Vivunt certè & mali libri non parentum modò; sed & susceptorum nomina satis bona fide servantes. Quodcunque verò fatum excipiat meum, habebis tamen voluntatis fraternæ testimonium; quod si ad mensuram, virium mearum exegeris, satis luculentum. Imaginem Tuam meo sumptu addidi, ex quâ & liberi nostri formam viventis discant. Vale, mi dulcissime

Digitized by Google

me Frater, & quod reliqvum est vitæ, post tot Tuorum naufragia in securo littore transige expeditus. Et, sicut tot charissimorum cineres jam composuisti, ita nunc mentem ad illa cœli halcyonia transfer. Dabam Misenæs pridie natalitiorum Salvatori M DC XCIV.

Phidi-

Digitized by Google

PHidiacos liceat magni digitosque stilumque
Artificis, calamo sed rudiore sequi,
Bellica jussus erat divinæ Pallados ora
Sculpere, Sacrato constituenda loco:
Duratura igitur statuit monumenta parare,
Arte operi fenium conciliante suum,
Marmoribusque sacris vultus infundere vivos
Argutasque manus, ingeniique modum,
Æternaturum sperans cum numine nomen
Phidiacum furtum religionis amans!
Horrentis fingens Phorcynidos ora medullæ,
Quæ clypeo vibrat torva Minerva suo,
Ipse suum vultum inseruit, cupiitque sub umbra
Palladis à sera posteritate coli.
Sacrilegum censebat enim prælexere nomen
Saxificæ fronti, Gorgoneisque oculis;
Sic mihi fasque piumque fuit, dulcissime frater,
Nomine fraterno nomen habere mihi;
Daveniam fratris statuæ subscribere fratris
Nomen, & in solo vel pede posse legi.
Aque Tuo liceat succendere lumine lumen
Hoc sine, qui tenebræ noxq; profunda sumus.
Nam si quid vides, nec plane coram aberrat
A dextra volitans augurium que ferens,
Spes mihi, Nestoreos annos & secla Sibyllæ,
Quos vulgas doctos vivere posse libros,
Pallados & Grajæ varias Latiæque Minervæ
Cum spargas satura lance manuque dapes.

Scrib. Lipsi d. 13. Dec.

1694

Joachim Gotthart Rabener.

Salve benevole Lector.

PAucis te tolo. Dum libellus iste me absente imprimitur, factum est, ut in Epistolis nomen meum ferme omnibus adderetur integrum, ac velut herba parietaria per singulas pagellas serperet. Id ne in sequiorem partem interpreteris rogo. Poterat enim, imò debebat vel omitti planè, vel initialibus saltem literis exprimi. Errata ad formulam, quæ calci adnexa est, corrige & Vale.

Digitized by Google

Index Materiarum!

Programmat.

1. An Athenæ superstint pag. 1
2. An Oracula natô Christo defierint 11
3. De Campis Elysiis 17
4. Septem mundi miracula quo pervenerint 24
5. De salutandi ritu 35
6. Decem tribus Israelitarum quo pervenerint 41
7. De Monstris Herodoti 49
8. Reliquiæ navis Noachicæ 55
9. Paupertatis Encomium 63
10. Babylonis ruina 71
11. Reliquiæ turris Babylonicæ 78
12. De Juliani Apostatæ morte 85
13. De Sepulchro Christi 92
14. De Trojæ reliquiis 100
15. De Metempsychosi 108
16. An Pythagoras Proselytus 117
17. Germania olim aspera cur hodie cultissima 124
18. De Geniis domesticis 132
19. De Arii morte 146
20. De Ovidii exilio & sepulchrô 149
21. De Cyri sepulchro 158
22. De septem Sapientibus 167

Digitized by Google

23. De Inventore Carminis heroici p. 125
24. De Inventore literarum 184
25. Argonaurarum expeditio 193
26. De Fabis Pythagoræ 200
27. Germanorum staturæ 207
28. Sardanapali monumentum 217
29. Bestiæ, uti in Americam pervenerint 225
30. De Palladio 235
31. Liberorum unde corruptela 243
32. De Hominibus à bestiis enutritis 251
33. De Æthiopum colore 260
34. An ranas pluat? 270
35. De aureô seculô 281
36. Apologia pro Attila 289
37. In vitam redituri 300
38. Bibliotheca Imperatorum 312
39. Hierosolymorum Conditor 309
40. An Terræ subpolares habitatæ 327
41. De Disciplina Scholasticâ 334
42. Locus exilii Adamici 340
43. De Pallade Scholarum Præside 348
44. An Diabolo larvam sumere liceat? 357
45. De Christi formâ & staturâ 365
46. De Atheismo 373
47. De Mari Caspio 381
48. De Jure gladii gestandi 390

Digitized by Google

49. De Terris incognitis 396
50. Chria Alexandri de Præceptorum honore. 404

Epistola.

1. Ad Dom. Abrah. à Schönberg 413
2. ad eundem. 419
3. Ad Dom. Jeremiam Grapitium 428
4. Ad D. Christian. Stempel. 438
5. In funere Joh. Lindneri 439
6. Ad D. Joh. Christoph. Strauffium 449
7. Ad eundem 456
8. Ad D. Joh. Nic. Jacobi 466
9. Ad Lic. Mart. Stempel. 472
10. Ad D. Christian. Stempel. 478
11. Ad Joh. Ernst. Schönleb. 484
12. Ad Joach. Gothard. Rabnero 492
13. Ad D. Schacherum 500
14. Programma D. Martin. Geier. 508
15. Oratio funebris in eundem

Orationes

I. Obsidional. Freibergæ 536
II. De Renovatione Auditorii 566
III. Oratio Valedictoria 608

Erra-

Digitized by Google

Errata in Programmatibus commissa.

In Præfatione p. 12. lin. 22. invidiam. 16. l. 7. Mitenæ 17. lin. 18. Salvatoris.

Pag. 9. lin. 4. lege Chalcondylas. lin. 7. l. Argyropulus p. 10. l. 20. leg. nongentis. p. 12. l. 5. l. oblata lin. 14. dele τε l. 15. l. ἀπὸ σιγῶς p. 25. l. 17. lege fini. p. 27. l. 8. leg. decrescente p. 30. lin. 16. l. corruerit. p. 40. lin. 20. l. ἐνθρόνοιτο p. 53. l. 19. l. Japoniam. l. 28. leg. gignantur p. 54. l. 2. Herodomastyges l. 8. l. impedit lin. 15. allatam p. 57. l. 14. l. ac uti p. 63. l. 4. leg. Metzlero p. 64. l. 5. l. Stomachum. p. 69. lin. 19. pistrino l. 24. leg. mundo p. 77. l. 16. leg. enim pro non p. 83. l. 5. l. Benjamin. p. 87. l. 8. l. Θεσσαλίᾳ p. 100. l. 5. l. animos. p. 103. l. 14. leg. quadrangula p. 109. lin. 23. dele corporis. p. 127. l. 1. l. post. ἑκατονταέτη p. 129. l. 6. leg. neg non. l. 26. l. significaturi p. 131. l. 16. l. nitorem p. 148. l. 13. Φημίζεσθαι p. 159. l. 27. leg. ductus p. 161. l. 6. l. Bocharto p. 164. l. 26. leg. quo p. 168. l. 22 l. satis p. 169. l. 12. l. νομοθετικὸς p. 172. l. 7. l. ἀφιστάμενοι l. 8. Kotanino in hunc p. 177. l. 11. leg. ἑξαμέτρῳ p. 187. l. 1. leg. Africa p. 188. l. 23. l. quo de τὸν p. 190. l. 17. l. etiamsi 24. leg. Quid 192. l. 5. leg. Leontius 193. l. 13. l. canit. 194. l. 18. lege profectio p. 195. l. penult. dele δὲ 202. l. 18. l. σύμμει. 21. l. interea maximè 205. l. 4. l. solum. 208. l. 9. l. unciis. 210. l. ultima l. σιοι 212. l. 2. l. πληθύσσω l. 9. leg. uno 215. l. 26. Hinc p. 229. l. 4. l. exsibilat l. 18. l. admittamus p. 230. l. 10. l. ipsi p. 232. l. 7. l. tmem. 8. leg. Φέρεσιν p. 236. l. 7. l. Ilo p. 254. l. 3. l. avibus lin. 18. lapsum l. 19. l. Anton. Liberalem p. 259. l. 11. l. Hellanicen

Digitized by Google

nicen p.260.l.13.leg. quorundam p.268.l.8. l. lenocinatos l.17. l.fingimus p.269.l.13.l. perfecerunt p.271.l.6.l. vermibus p.277.l.7.l. Namque p.279. l.28. l.Bononium p.286.l.11.l. siquacunque p.291. l.27.l.cicatricibus p.293.lin.6.l.idcò p.294.l.14.l. Danicarum p.297.l.18.l. factum p.298.l.22.l.possemus p.304.l.7.leg.Quin mos lin.29.leg. Martinia. p.321.l.4.leg. quot p.339. in fine addenda sunt hæc si malè omissa: Sed quorsum abripit subitus calor! Sufflamino currum, & his verbis abjungo: UT NUNC SUNT SECULI MORES, SECURITATEM APUD PLEROSQVE QVAM LENITATEM ESSE MAGIS EX USU BONI PUBLICI. Una cautio est; sed prudentiæ plenissima: Ingenia discernenda. pag.346.l.3.leg. הארמה pag. 349. l.pro videntur videtur. p.350. adde: lin.2. Liberrimum tamen cuique opinandi de *his rebus* campum liberaliter aperio, & propius orbitam meum tero. Nimirum ibid. lin.17.leg. Phurnutus p.356.l.2.l. Paulini p.eadem lin.11. leg. Fandique munus munere indultum Dei, p.357. lin. 1.l. Diaboli p.376. lin. 13. leg. indies p.329.l.19. leg. scepticissimus. p.382.l.7.l.fluvii lin.14.l.in Asiatico pag.383. lin.10.leg. maria p.394.l.15.leg. disquisitis p.396.l. ultima. h incubére. p.403.l.2. leg. Qvin in lin.3.l. reliquæ p.404.l.13. adde: hujus quod honestè viveret p.407.l.4.l. affectum p.414. leg. vitium p. 423. l.22.l.luxari 424.l.12.l. maximè 431. l.23. invida 436. l.20. degeneravit 439.l.4.leg.IRE 440.l.17.l. stat 445.l.1.l. spatia 457.l.15.l.naufraga 467.l.6.l. jam luges 471.l.6.l. μικραίνοι 475.l.8. l.citra mensuram pag.483. lin. ultima. Rectori

Digitized by Google

493. l. 1. ad Joach. Gothardum & ſic in ſequentium paginarum titulis p. 501. poſt aute dele comma. p. 503. lin. 19. inficiuntur p. 504. lin. ultima omina p. 557. lin. 2. corrumpe p. 563. lin. 23. ac. pro ad 579. lin. 5. novem 583. lin. 22. latrocinia 588. lin. 8. remetior 600. lin. 6. dedecebant 612. lin. 13. diſcipulorum 613. lin. 13. cap. XI. 614. lin. 17. perſolutum 615. lin. 23. ratione 616. lin. 8. ſtationes lin. 11. ſacra. 619. lin. 19. quid. 620. lin. 9. conſvetudinem 11. ſenectutem: ille 621. lin. 11. utque 27. carendum 623. lin. 24. mœſtus 629. lin. 24. direxi.

Digitized by Google

An Athenæ ſuperſint.

Fata ſua etiam bonis literis eſſe, illorumque arbitrio Scholas modò ad invidiam usq; florere; modò in genua deji-ci, non experientia modò rerum magiſtra; ſed & antiquitatis fides teſtatur. Quid enim Tiberias hodie? Quid Rhodus? Quid Croton? Quid nondũ menſuram Pythagoræorum ſuorum implens Magna Græcia? vaſta nomina ſunt, & velut cadaveri ſuo incubans fama. Quid ego Maſſiliam jam loquar, quid Corinthum & reliqua toto quondam orbe decantata Muſarum domicilia? Ceſſit gloria, ſilet fama, obmutuit Hellas illa olim in laudes ſuas diſerta. Sed neſcio, quomodo Athenarum caſu nihil literato orbi miſerabilius, nihil flebilius videatur. Illas dico Athenas domicilium quondam ſapientiæ, matrem Muſarum, officinam eloquentiæ, patriam arti-

A tum

Digitized by Google

um liberalium, templum virtutum omnium, literarum gloria magis celebres, quàm armorum, quàm victoriarum. Quamvis enim illustria nomina sint Miltiadis, Themistoclis, Aristidis, aliorum, quos bello claros historia pleno ore canit; quamvis Marathon & Salamis tot ingenia olim fatigaverit: ad Socratis tamen Platonis, Aristotelis, Solonis, Xenophontis, Theophrasti (quorum gloria vix cum finibus immensi orbis terminatur) splendorem obliquare oculos videntur. Aristoteli certè mortuo Stagiritæ sui cum monumento altare construxerunt, locumque eum Aristoteleum appellarunt, & diem festum ejus memoriæ statuerunt. Idque suo adhuc tempore duravisse testatur *Johannes Mandevilius*, qui circa annum salutis 1322. illas regiones inspexit, *notante Hornio in Historia Philosophica.* I nunc & Miltiadis tropæa, & Themistoclis muros & Periclis Piræeum commemora! Quid loquar tot Gymnasia, quæ exactis gladiatoribus sapientibus cessére? Quis Academiam non audivit, & Lyceum, & Prytaneum, & Pœcilen, & Cynosarges, & Peripatum? Et tamen verius hodie, quàm olim Pythagoras Ovidianus, exclamare possumus: Quid

Digitized by Google

Quid Pandioniæ restant nisi nomen Athenæ?

Non quidem me latet de Ovidii ætate id admittere *Magnum Vossium Institut. Orator. lib. V. p.* 298. ubi ita de anachronismo Ovidii: *At cujus tantum est ingenium, ut eundem absolvere possit, cùm Pythagoram inducit loquentem de Athenis, non ut Pythagoræ tempore erant, sed suo? quas usq; adeo collapsas Adrianus Cæsar postea instauravit.* Sed pace tanti viri dissentire liceat. Ne Ovidii quidem ætate tàm deformes Athenarum ruinæ fuerunt, ut præter nomen nihil reliquiarum haberent. Quam enim sub Sylla pertulere calamitatem, in Piræeum maximè incubuit, diruta quicquid inter hoc & sacram portam erat murorum parte, incensoq; Odeo. Reliqua urbs deprecantibus exulibus intacta permansit, ut habent *Plutarchus & Appianus*. Hinc & crebra Athenarum apud Ciceronem in epistolis mentio, & Antonius ibi hybernavit, quod in ruderibus factum utique non fuisset. Ut taceam D. Pauli in hoc loco acta. De Adriani instauratione mallem Vossius autorem suum laudasset. Ego quidem nihil tale me uspiam reperisse, ingenuè profiteor, & probabilius videtur de potentia

Digitized by Google

& splendore civitatis versum istum utcunque intelligi posse, si versus non planè συμβάλλεται est, quod ex dura constructione suspicor. Huc faciunt *Freinshemii verba lib. 46. Supplem. Liviani cap. 42. Nunquam tamen pristinam deinde recuperare speciem Athenæ potuerunt, & mœnia tum à Romanis diruta circiter annos trecentos quinquaginta jacuere; donec imperante Valeriano contra Scytharum incursiones reficerentur.* Debet autem hoc, ut obiter moneam, *Zosimi lib. 1. cap. 29.* Hoc seculo autem ex tam illustribus quondam Athenis quippiamne supersit, & quo statu, historicorum inter se filii disceptant. Si enim *Bucholzerum*, ad annum Christi 1452. audimus, *Mahumethes Turcarum Imperator eo tempore Athenas omnium artium & disciplinarum inventrices solo æquavit & funditus destruxit:* Si *Rudolphum* Kirchherrn Itinerario in Palæstinam p. m. 821. *planè desertæ ac desolatæ sunt.* Nec mitius *Hugo Favolius* Pisanus in *Hodoperico suo, ubi Græciam à se perlustratam memorat; sed Athenarum veteri loco nihil reperisse, præter quasdam latrunculorum casas.* Consentiunt *Melanchthon lib. V. Chron. p. 147. Erasmus, Camerarius, Zwingerus Notis ad Lucianum,*

Digitized by Google

num, nisi quod piscatorum casas & mapalia abjectissima pro latronum gurgustiis substituant. Quæ dum reputo, occurrit illud *Luciani in Charonte* ὀπόθ᾽ ἡνίκα αἱ πόλεις, ὥσπερ καὶ οἱ ἄνθρωποι, ἀπόλωλεν ἤδη καὶ ἤδη, καὶ ἀδὲν ἴχνος ἔτι λοιπὸν αὐτῆς. Et quod *Strabo* alicubi habet: μεγάλη πόλις, μεγάλη ἐρημία. Et sane ea passa est optima urbs à Gothis imperante Gallieno, ab Alarico tempore Honorii, ut planè exstirpatam fuisse, quis mirari non possit. Et licet ab Alarico expugnatam *Zosimus* neget lib. V. c. 6. *quia scil. Palladis quoddam simulachrum propugnaverit*, *Eunapius* tamen *in Maximo* diversum testatur. *Eleusinium scil. Sacerdotem prædixisse* τῷ τῶν ἱερῶν κατηγορῷ καὶ τῆς Ἑλλάδος ἀπώλειαν ἀπάσης, quod ille ait evenisse ὅτι Ἀλάριχος διὰ τῶν πυλῶν παρῆλθε, p.m. 74. 75. *Cum Alarichus per Thermopylas irrupisset prodentibus Monachis*: cui *Hieronymi* etiam & *Claudiani* testimonium succenturiatur. *Ille epist. 3. ad Heliodorum: hic lib. 2. in Rufinum.* Quo minus tamen album his omnibus calculum adjiciamus *Dresserus* facit Millenario III. Isagog. Histor. p. m. 209. *Hodie*, inquiens, *de hac florentissima urbe reliquæ sunt partes tres, in quarum suprema arx, & templum DEI ignoti situm fuit, nunc tota*

Digitized by Google

à Turcis incolitur: mediâ à Christianis frequentatur; infima, quæ & regiam continet marmoribus & columnis suffultam, non frequenter; sed vix tertia ex parte habitatur. Narravit mihi Immanuel Masicius, nobilis civis Athenienſis, qui Græcas & Latinas literas in Italia didicerat, Areopagum esse conversum in monasterium, & de Academiâ nihil esse reliquum, nisi verba hæc: σεμνοῖς παεδίταις χαίρειν, χαίρετε παεδίται. Scholæ ibi planè sunt nullæ, neque literarum cultus aliquis reliquus est. Christianorum pueri nihil discunt, nisi Arithmeticen, ut ad negotiationes sint idonei, & Musicen, quæ admirabili suavitate suâ etiam exteros cupiditate audiendi incendit, & audientes in admirationem traducit. Hæc Dresserus. Et cui potius de Græcis rebus credamus, quàm Græco homini, illique αὐτόπτῃ? Est ille *Theodosius Zygomalas Protonotarius Ecclesiæ Constantinopolitanæ*, qui in epistolis Anno 1575. ad Crusium datis asserit, *se, eum Nauplium in, Athenas sæpè, Areopagum, Academiam, Lyceum, Pantheum & monumenta lustrasse: urbem esse septem milliarium ambitu, tam populosam, ut 12000. virorum armaro posset.* Quæ ad statum religionis spectant, excerpit suo more *Philippus Nicolai*

Digitized by Google

Nicolai de *regno Christi lib.* 1. quem vide de his rebus prolixius differentem, quibus ego nihil habeo, quod addam, præterquam Athenienſem Epiſcopum inter Metropolitanos 28. locum in ordine ſeſſionis obtinere in chartophylacio cujusdam Patriarchæ, *quod Enimundus Bonefidius in libris III. Juris orientalis publicavit p. m.* 119. Et hæc quidem in utramque partem de Athenarum hodierno ſtatu diſputantur, quæ tamen facile conciliari poterunt, ſi cum *Maurero*, qui utrisque ſe medium infert *in Chronicis Turcicis p.* 190. dicas: *Athenas quidem cecidiſſe dudum; ſed ex ruderibus illarum enatam eſſe Sethuren oppidum* (*Jacobus Caſtaldus in tabula Græciæ Sethinen vocat:* quod eſt ex εἰς Ἀθήνας:) Ita autem ille citato loco: Attica, darinnen noch heutiges Tages die Stadt Sethure, ſo aus den ruderibus der vor zeiten in aller Welt berühmten Stadt Athen erbauet, das vornehmſte Ort iſt. Nos autem non tàm rudera tantæ urbis ſcrutamur, quæ omninò ſupereſſe non de la Gvilletiere modò, & Spons, ſed & nupera Venetorum arma liquidò oſtendunt, quàm nobilem illam ex literis famam, cujus ne veſtigium quidem hodiè apparet, niſi Chytræo forte credi-

 Digitized by Google mus

mus, nescio unde afferenti *Christianos incolas Thomæ Aquinatis scripta in Græcum sermonem versa magna cum subtilitatis & acuminis admiratione legere, in de statu religionis in Græcia.* Zygomalas autem in literis 15. Aprilis 1575. ad Gruſium datis admodum flebiliter quiritatur: ἀλλὰ τὶ τῶν Ἀθηνῶν μνησθείς μακρηλογῶ; δέρμα λειφθεισῶν τῶ πάλαι ποτὲ ζώων. id est: Quid in Athenarum mentionem incidens prolixus sim? Pellis instar relictarum viventis quondam animalis. Et cùm se in Helicone fruſtra Muſas & Pegaſium fontem quæſiviſſe queſtus eſſet, lachrymabundus ſubjungit: ἔγνων πῶς ταῦτα μὴ ὠ ὅτι ἦσαν, τόποι καὶ Δίρτερβαι σοφῶν. Ἀπέσησαν γὰρ καλαὶ, ὡς δ' ὁρῶ, πρὸς τὰς σοφὰς Γερμανὰς ὑμᾶς μετώκησαν. Σοφίαν γὰρ ἡ μαθήματα νῦν σὺν ἔχομεν. Quin ipſi Græci hodiè barbariem ſuam ita exoſculantur, ut teſte *Chytræo Epiſcoporum legibus olim cautum ſit: ne quis veteres Poëtas, Oratores, Philoſophos alioſque ſcriptores legat.* Rem utique calidis lachrymis deplorandam, niſi morientis Græciæ velut teſtamento Germania (*in quâ Tacito autore olim literarum ſecreta viri pariter & fœminæ, ignorabant*) hæreditatem adiiſſet, ex quo quicquid eruditionis ſuperfuerat, tanquam ex magno nau-

Digitized by Google

naufragio ad Italiæ primum littus enatavit. Huc quippe capta Constantinopoli profugére Theodorus Gaza Thessalonizensis, Demetrius Chalcondytas Athenienſis, Marcus Musurus Crétenſis, Georgius Trapezuntius, Johannes Argyropylus, Marcus Marullus & alii. Ab his enim lampada sapientiæ acceperunt, Wesselus Groningenſis, Rudolphus Agricola, Capnio, Erasmus, & Græcia Alpes transvolavit. Tum verò velut signo dato certatim Academiæ, Gymnasia, Scholæ erigebantur, quarum aliæ adhuc florent, aliæ famæ pristinæ splendorem vix tuentur, aliæ jam planè chaos antiqvum petiere. Et quid literati viri huic seculo augurati sint, malo alios dicere. Detruduntur enim paulatim in infimum locum humaniores literæ, & vix oculos eò attollere audent, unde fati sui malignitate ceciderunt. Hæc res Athenas barbarie opplevit quondam, non barbarus hostis, non Turcarum cruda vis, qui Anno Christi 1453. illarum potiti Græcis ne hodie quidem bonas literas invident, pacis ministras non belli faces, ex antiquo illo Gothorum judicio, qui cùm Athenas cepissent, & ingentem vim librorum coacervassent, quos comburerent, unus

Digitized by Google

exillis, *Abstineamus, inquit, hanc injuriam ab his codicibus, quibus Graji homines dum studiosius incumbunt minus ad bella idonei fiunt.* Sed video quosdam supercilium adducere qui solo Barbarorum superventu humaniorem literaturam, deletam esse nimis firmiter sibi persvasére. In horum gratiam Synesii Ptolemaidis Episcopi, qui temporibus Theodosii vixit, verba adducam ex Epistola 146. Οὐδέν, inquit ille, ἔχουσιν αἱ νῦν Ἀθῆναι σεμνὸν. ἀλλ' ἢ τὰ κλεινὰ τῶν χωρίων ὀνόματα, καὶ καθάπερ ἱερείᾳ διαπεπαγμένῃ τὸ δέρμα λείπεται γνώρισμα, τὸ πάλαι ποτὲ ζῷον. & paulo post: πάλαι μὲν ἡ πόλις ἐστία σοφῶν. τὸ δὲ νῦν ἔχον, σεμνύνεσιν ἀνῆρ οἱ μελιτηρεγοί. Id est: olim quidem hæc urbs hospitium erat sapientum, ut verò nunc habet, ornant ipsam mellis opifices. Manifestum igitur Athenas ex Athenis sublatas non gentis ante Turcarum adventum annis. Interea dum illi calculos expediunt, nos discedimus.

* * *

Digitized by Google

An Oracula natô Christo desierint.

RAcula nascente Christo statim obmutuisse, tàm cupide à plerisque receptum est, ut summis etiam Viris in argumentum divinitatis τὸ θεοπρεπὲς valuerit repentinum mendacis spiritus silentium. Et licet magnus Casaubonus Baronii credulitatem hoc nomine jamdudum perstrinxerit, mordicus tamen quæ semel tradita accepere, etiam cum præjudicio veritatis retinere malunt, quam victas manus dare. Quodque magis mirére, malæ causæ pejores etiam Patronos quærunt. Svidam dico, &, qui sua huic debet, Nicephorum Callistum. Dignos scilicet, quibus cum in tenebris mices, nugatores, quorum aniles inanias etiam pueri norunt, & qui nondum ære lavantur. Sed quid prohibet ipsum Græculum audire, quamvis non suo ore magno conatu magnas nugas agentem

gentem? Tu verò B. L. assem para & accipe auream fabulam. Ita autem ille *lib. I. cap. 17. Cæsar Augustus provectiore jam ætate ad oraculum Pythii Apollinis venit, & hecatombe oblatæ quæsivit, quisnam post eum Romanorum administraturus esset imperium? At cum nullum ederetur responsum, alterum quoque adjecit sacrificium, denuoque rogavit: Quid ita oraculum pluribus verbis uti solitum, nunc tandem obticuisset? Tum illud parva interposita mora ad hunc modum respondit:*

Παῖς Ἑβραῖος κέλεταί με θεοῖς μακάρεσσιν ἀνάσσων
Τὸν δόμον ὀμὸν λιπεῖν τε, καὶ αἶψα ἄυπνος ἱκέσθαι
Ἀσπασίως ἀπιόντα σὺν βωμῶν ἡμετερέων.

Tali responso accepto Cæsar Romam reversus est, atque ibi in Capitolio aram maximam exstruxit, cum ejusmodi Latina inscriptione:

ARA PRIMOGENITI DEI.

In quibus cum verborum numero mendacia certant. Augustus ne de successore Pythiam consuleret, quem jam Tiberium destinaverat? Grandævus & imbecillis senex tantum iter susciperet, cujus scriptores Historiæ Augustæ ne mi-

Digitized by Google

ne minimam quidem mentionem facerent, qui tamen hujus Imperatoris maxima, minima etiam ad λεπτολογίας fermè opprobrium ex epistolis & diariis ejus excutiunt? Et qui factum est, quod Svidas demum anno post Christum millesimo hanc rem literis consignavit, antiquiores omnes, qui idem argumentum tractarunt, ignoraverunt? Quàm falsum verò oraculum tùm denique obmutuisse? Quorsum enim illud Ciceronis, lib. 2. de Divinatione? *Oracula Delphis isto modo non eduntur, non modò nostra ætate, sed jamdiu.* Idque ne de responsione versu inclusa intelligas, quod plerique cum Casaubono volunt, addita mox ratio vetat. *Evanuisse ajunt vim loci vetustate, unde anhelitus ille terræ fieret, quo Pythia mente incitata oracula ederet.* In hanc etiam mentem Tibullus lib. 2. Eleg. 3. ita canit:

Delos ubi nunc Phœbe tua est, ubi Delphica Pytho?

Ad quæ ne Casaubonus quidem habet, quod regerat, nisi refelli Ciceronem ab Historia. Hoc verò nodum est non solvere, sed secare. Id cum videret Kippingius *Antiqv. Rom. lib. I. cap. I.* maluit Barthii conjecturam sequi *Notis ad Claudianum*

Digitized by Google

dianum. Ficta videlicet omnia, quæ post Ciceronem feruntur responsa, & magos, (mallem Pythiam ipsam dixisset;) Dæmonis, qui jamdudum excesserat, ruinas utcunque sparsis in vulgus velut ab Apolline dicteriis sustinuisse. Sed annon durum nimis sit Theodoreti, Epiphanii, Ammiani, Svetonii, aliorum fidem damnare, ut soli Svidæ sua constet autoritas, judicent eruditi. Quis verò non miretur tantos homines fallaciſſimi spiritus de Christo testimonium tàm obviis gratulationibus recepisse? Ipse quidem Salvator silentium idem conanti mendaciorum parenti severa voce indixit. *Marci I, 24.25.* Paulus quoque commendationem ab eo recipere dedignatus est. *Act. XVI, 18.* Et cur illi ipsi non insidias suspicantur, quod faciunt in oraculo Apollinis Daphnæi, se propter Babylæ Martyris ossa in propinquo sepulta respondere non posse caussantis? Hîc enim astuta fraude Dæmonis λειψανολατρείαν confirmatam exclamant. Respondisse autem oracula, licet non adeò frequenter, post Christum natum sole meridiano clarius ex tot exemplis evadit. Neronis videlicet *apud Svetonium*, Hadriani *apud Ammianum lib. 22.* Severi Imperatoris *Peucero teste de divi-*

Digitized by Google

divinationibus, Vespasiani *Svetonio referente*, Palmyrenorum *Zosimus lib. I. c. 57.* Licinii, Juliani, Oribasii &c. Plura addere piget. Sed desiit tamen Diabolus responsa dare. Fateor. Desiit multis in locis, etiam ante Christum. Desiit ubiq; fermè, sed aliquot seculis post Christum. Caussam utriusque silentii non malè exprimit Cicero loco citato. *Quando*, inquiens, *ista vis evanuit? an postquam homines minus creduli esse cæperunt?* Deprehensus scilicet toties in mendacio Apollo autoritatem amisit. Namq; diu ante salutiferum partum Chrysippus totum volumen implevit partim falsis, partim casu veris, partim flexiloquis & obscuris responsis, ut Cicero testatur. Confer omnino Theodoretum *Serm. Therapeut. X.* Hinc deserta ex tripode insaniens anus consulentium infrequentiâ nugari vel ingratiis desiit. Posterioris silentii reos agunt Christianos Porphyrius, Symmachus, Zosimus, alii. Nec malè. Horum enim doctrinâ planè detecta impietas sortium pauciſſimos sui retinuit cultores, donec Christiani sub Constantino M. exspoliarunt templum Delphicum, destructis aris, & parietibus fœdè deformatis, & Juliano Principe cœlesti fulmine planè confla-

gravit

Digitized by Google

gravit. Et licet Christiani illorum temporum hanc invidiam nihil deprecarentur, quin potius in argumentum orthodoxiæ suæ traherent, nisi tamen magnopere fallor plus nocuére gentiles Principes. Tiberius certe oracula nonnulla disjicere conatus est, ut *Svetonius* habet. Nero referente Peucero Delphicũ templum diripuit abductis 500. æneis imaginibus & mactatis ad ostium voraginis subterraneæ, ubi diabolus latebat, hominibus, & cadaveribus horum in specum abjectis. Sed operæ precium est audire Ammianum *lib. XXII.* ita differentem. *Multorum curiosior Julianus novam consilii viam ingressus est, venas fatidicas Castalii recludere cogitans fontis, quem obstruxisse Cæsar dicitur Adrianus mole saxorum ingenti, veritus ne, ut ipse præcinentibus aquis expessendam rempublicam comperit, etiam alii similia docerentur, ac statim circum humata corpora statuit exinde transferri, eo ritu, quo Athenienses insulam purgaverant Delon.* Eant nunc pagani, & Christianorum impietate sibi hoc Deorum beneficium periisse quiritentur! His caussis si Magorum multitudinem adjeceris, forte non erraveris. Tantus enim illorum eo tempore fuit proventus, ut

Digitized by Google

ut nunquam major. Postquam igitur privatim percontandi copia tam benigna fuit, cessavit sumptuosior illa & operosior ratio per sacrificia Deos consulendi.

De Campis Elysiis.

CAmpos Elysios, sedem beatorum, nemo est tam miser in literis, quin fando acceperit. Nullus enim Poëtarum, aut Geographorum veterum est, qui illorum mentionem non alicubi faciat. Vitam etiam venturi seculi sub his pampinis latere dubium planè nullum: id saltem in ambiguo, unde hæc inter gentiles fama percrebuerit, & quonam loco collocanda hæc fortunata nemora. Dividunt se quippe hîc in multa sententiarum divortia omnium fermè seculorum eruditi, & assensum nostrum suspendunt potiùs, quàm ad se trahunt. Et origo quidem totius fabulæ vel ex traditione Patrum (Elischæ imprimis, si Beroaldo credimus, quem Javanis filium Moses Gen. 10. v. 4. Æolum parentem Josephus lib. 1. Archæologias cap. 7. memorat)

Digitized by Google

rat) vel lectione Sacræ Scripturæ, vel Diaboli κακοζηλία repetenda, ſimiæ inſtar noſtra myſteria non raro inter idololatras imitantis. Nec abnuerim ex reliquiis imaginis divinæ, etiam illud manſiſſe in conſcientiis hominum, quod vel pœnas, vel præmia pro meritis exſpectent: qua ex re facile & Fortunatæ inſulæ, & inferorum ſupplicia fabricari potuerunt. Et, quoties funeſtus ille animarum prædo ἐπ' ἀντῳφίρῳ deprehenſus ſit, jam alii poſt Dilherrum oſtendere. Nobis autem potior cura in locum τῶν μακάρων inquirere; quod priusquam aggredimur, operæ pretium facturi videmur, ſi de natura loci nonnulla prælibemus, cujus primam mentionem Homerus videtur feciſſe Odyſſeas Δ ſub Protei perſona ita canens:

Ἀλλὰ σ' ἐς Ἠλύσιον πεδίον καὶ πείρατα γαίης
Ἀθάνατοι πέμψουσιν. & mox ſequentibus:
Τῇ περ ῥηΐστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισιν,
Οὐ νιφετὸς, οὔτ' ἄρ' χειμὼν πολὺς, οὔτέ ποτ' ὄμβρος·
Ἀλλ' αἰεὶ ζεφύροιο λιγυπνείοντας ἀήτας
Ὠκεανὸς ἀνίησιν, ἀναψύχειν ἀνθρώπους.

Quem Heſiodus ſequitur Operum & Dierum l. v. 169.

Ἐν μακάρων νήσοισι, παρ' ὠκεανὸν βαθυδίνην
ὄλβιοι

Digitized by Google

Ὄλβιοι ἥρωες· τῖσι μελιηδέα καρπὸν
Τρὶς τὸ ἔτος θάλλουσα φέρει ζείδωρος ἄρουρα.

Et longo deinde ordine reliqui Poëtæ, velut oves vervecem, qui, quoniam fidem jamdudum decoxére, non adeò nos morantur. Gravior longè Geographorum atque Historicorum autoritas, quorum omnia adducere esset Crispini scrinia compilare. Instar omnium sit Plutarchus in Sertorio, & Natalis Comes lib. III. cap. 19. Mythologiæ. Ubi autem quærendæ sint illæ, non una omnium antiquorum mens. Ut enim eos non memorem, qui ultra fixarum Sphæram, aut circa lunarem globum, aut in medio inferorum extra terrarum orbem collocant; nec eos audiam, qui Gades, Hispaniam, fluvium Bætin huc trahunt, Canariæ imprimis & Cassiterides laudantur, utræque Plinii, Melæ, Plutarchi, Strabonis, Ptolomæi testimoniis subnixæ, in quibus omnibus tamen hodie nullum vestigium pristinæ fertilitatis comparet; sed אֵל אֵישׁ ille, aut nemus DEI, (unde quidam Elysii horti nomen traxére,) nimis quàm desolatus. Cùm enim Canariæ post multorum seculorum oblivionem, Anno 1402. vel 1334. aut 1346. (variant enim Historici) ab Hispa-

Digitized by Google

nis iterum inventæ fuissent, paucis regionibus ubertatis laude conferendæ, nullis præferendæ erant. Testatur Aloysius Cadamustus cap. 8. miseriam insularum istarum. Ex quibus apparet mentitos fuisse veteres, quicunque secus tradidere. Nec est, quod temporis longinquitatem mihi quis objiciat, & potuisse tot seculis exspirare tàm felicem ubertatem. Ne Germaniam quidem nostram Taciti tempore tàm fœcundam fuisse, & hodie laudatam olim Judææ felicitatem in arenas steriles desiisse. Novi enim, quid ibi cultura accedens, hîc maledictum DEI efficere potuerit. Sed, ut semel dicam, quod sentio. Tantæ beatitatis fama, sive ex Paradisi laude, sive futuræ vitæ felicitate ortum traxerit) primùm in Fortunatas insulas incubuit, ex Homeri versibus, qui ad fines terræ invidendam hanc prosperitatem relegavit. Sapienter oppido! sic enim mendacii sui optimè consuluit securitati. Et, quia Hispania tùm temporis ultima orbis cogniti, ad fluvium Bætin primò, deinde in Gadibus, postremò in Fortunatis insulis rumor ille substitit, &, quoties à nautis ad ulteriora processum, gradum promovit. Inde factum, ut Plinius jam certi-

Digitized by Google

certiora & minus magnifica de Insulis istis retulerit cap. 32. lib. 6. nec incommoda quidem à balænis putrescentibus dissimulans. Postquam autem fabulæ hæ ex Canariis etiam abactæ, alius scilicet locus exilio circumspiciendus erat. Quo factum, ut ingenti saltu in septentrionem Britannicum, ipsasq; Cassiterides transmigrarent (insulas dicam, an scopulos ambigo.) Angli Sorlinges hodie vocant. Compendium nugarum qui & hîc facere velit, adeat Natalem Comitem Mythologiæ lib. III. cap. cit. Sed nec hic quidem diu substitére mendacia, veritate per Romanorum expeditiones ad illas etiam gentes propagata. Ut scilicet alexipharmaca ad exteriores corporis partes venena propellunt: sic veritas fabulas è latibulis suis extrahit & fugat. Sed nec intra occidentem quidem ista mentiendi libido substitit. In Scythico enim Septentrione Hyperboreos finxit, & Arimaspiam civitatem Aristæas quispiam Proconnesius, quorum beatam vitam si legas, sacramento contendas ex Fortunatis eò transvolasse. Vide Plinium, si placet lib. IV. Nat. Hist. cap. 12. Ursinum in Zoroastre sect. 8. Sed num quid simile ad meridiem tentavit homi-

Digitized by Google

num vanitas? Ita persvadet Jamboli Insula, quam Diodorus Siculus, non ultimi aliàs commatis Historicus circa finem lib. II. integris sex capitibus describit, & superioribus Seculis Ferdinandus de Quir Hispanus recoquere fuit ausus. Quid de Paradiso ad orientem Indiæ Johannes de Monteville lib. IV. Itinerarii, nec non Olgeri Dani expeditiones referant, memorare piget, ne ægrè faciam tam putidis narratiunculis prudentiorum auribus. Atque adeò fabula hæc de beatorum sede terum terrarum orbem circumvagata, ad instar S. Brandanis insulæ, quæ ad ideam vitæ beatæ composita à Monacho quodam ab aliis in Atlanticum, ab aliis in Indicum Oceanum collocatur: à multis visa, sed inaccessa, quia dispareat iterum. Vide Vossium ad Melæ lib. III. cap. X. Ego autem finio verbis Clementis Alexandrini lib. IV. Stromatum. *Hyperboreæ & Arimaspiæ civitates, & campi Elysii justorum πολιτεύματα sunt, cujus etiam exemplum in cœlo positum Platonis πόλιν esse scimus.* Unicum restat, ut cujus gratia tam longum sermonem exorsus sum, eloquar. Solenni quapiam oratione novas cathedras, nova munia inauguraturi Viri Clarissimi M. TOBI-

Digitized by Google

TOBIAS LIEBIUS ConRector, M. JOHANNES FRIDERICUS JUNGERUS, Collega Tertius, JOACHIMUS ERNESTUS SPANIUS, Cantor favore vestro & præsentia opus habent, non tam Freibergæ nostræ quàm virtutum & literarum Antistites atque Præstites Summè Reverendi, Nobilissimi, Excellentissimi, Consultissimi, Clarissimi. Hanc si vel sola argumenti pietate ambivero, nihil peccavero. Unus quippe Augusto Principi verè Augusto, cujus heu nuper defuncti Natalem cras primum sine illo agimus, parentabit, alter insignia hujus urbis arguta oratione, tertius causas corruptæ hoc seculo nostro Ecclesiasticæ Musices explicabit. Agitur, ut videtis, honor Dei, Sereniss. mæ domus, clarissimæ patriæ, cui vos non alia modo, sed & negotia posthabituros persvasissimum habemus.

Perscrib. pridie Idus
Augusti 1680.

Digitized by Google

Septem mundi miracula quo pervenerint.

Septenario ut multa alia, ita, & mundi miracula censentur numero, non quod nihil præter hæc memorandi operis toto terrarum orbe visum sit; sed quod hic etiam præjudicium suum, canæ antiquitatis consensus interponit. Sive enim sumptuum magnitudinem, spectes, sive structuræ artem, Capitolium, Amphitheatra, moles & pons Trajani, templum S. Sophiæ Constantinopoli à Justiniano erectum, Escuriale à Philippo II. adornatum, Muri Sinici, aliaque numerum hunc augere potuerunt. Sed cum jam olim usitatum fuerit antiqua saltem mirari, nostra fastidire, Muros Babylonicos, Hortos pensiles, Pyramides, Templum Dianæ, Mausoleum, Colossum, Jovem Olympium discipulis meis elaboranda proposui, addito insuper supplementi loco Hierosolymitano tem-

Digitized by Google

templo. De fatis autem & interitu horum operum certi quid in medium afferre incertus labor est, atque intricatus. In me tamen recipiendum esse judicavi, quicquid hujus est oneris, cui si humeri parum respondebunt, nec ad ungvem ubique fecero satis, historiæ silentium veniam mihi impetrabit.

Et habent quidem antiquitatis prærogativam muri Babylonici, si eos è Nino vel Semiramide conditos credimus. Hi tempore Alexandri M. post tot secula adhuc superstites, donec sub Seleucidarum imperio eodem, quo urbs ipsa, fato perierunt exhausti vicinitate Seleuciæ, ut Plinius loquitur *l. 6. c. 26.* quia Seleucus hac finita urbem intra nonagesimum lapidem sibi cognominem condidit. Ex quo simillimum verò evadit muros Babyloniæ destructos in usum urbis novæ, lateres coctiles translatos, ex quibus hodie etiam muros urbis Baglat, quæ est ipsa veterum Seleucia, constare novimus teste classico Taverniero *pag.* 89. Neque tamen ita Babylonici sunt destructi, ut non hodie etiam rudera illius multa compareant ea latitudine, ut vel senis curribus viam dent (das darauff wohl sechs Carossen neben einander fahren kön-

könten,) verba sunt ejusdem Tavernieri *pag.* 92. Nec dubium, quin idem casus afflixerit hortos pensiles. Urbe enim desolata non erat, quod huic operi parceretur. Annum verò destructionis nominare, difficile, si non impossibile. Sensim quippe desolata carpuntur, & per lenta detrimenta tandem evanescunt, sicut & nunc Arabes vicini lateres ex muro vendere, solent. Magnus quidem Scaliger *Animadverss. Eusseb. pag.* 120. tandem anno Christiano 1037. solo æquatam urbem, sed nescio unde prodit, & nos jam alio programmate de hac re egimus.

Sequuntur Pyramides, quas solas post tot hominũ ætates incolumes præstitit, à bellorum forte injuria sepulchrorum religio, à temporum situ tùm aëris temperies, tùm ipsius structuræ ratio. Neque enim Ægyptus pluvias sentit, nisi raro, & saltem in littore circa Alexandriam, & reliqua Nili ostia, quæ apud nos tantum non firmissima quæque opera exedunt. Istud tamen observatum, in eo latere, quod Boream spectat, emollitam esse lapidum duritiem, compagem solutiorem. Agnoscere hanc caussam videtur Belloni-us, qui ex tot Pyramidibus Ægypti

Digitized by Google ne

ne unicam quidem adeo vitiatam ſpectari, uti Romanam fatetur, cujus Iconem vide ſodes apud Boiſſardum *Antiq. Rom. part.* 2. Architectonices ratio iſta, ut ſenſim vaſtiſſima ſaxa triginta pedum longitudinem æquantia, ut Herodotus dimenſus eſt, introrſum & per gradus ſingulos dureſcente latitudine in faſtigiatum opus exſurgant. Videtur autem iſte ædificandi modus quodammodo naturalis. Namque & pueri noſtri, ſi teſſellatos nacti fuerint aſſerculos, ita alterum alteri imponunt, ut acuminatulas quasdam pyramides moliri velle videantur. Facit ad firmitatem molis, quod pondus ſaxorum introverſus ad centrum ſuum, unde pari ſpatio diſtant in ſingulis aggeſtionibus omnia, declinat inſigni æquilibrio. Et ne interius iſtud cavum luxandi copiam præbeat, fornicatis ibi cameris egregiè ſuſtinentur. Mecum hic facit oculatus teſtis Dn. de la Valle *p.* 100. qui aggeſtos hoſce montes firmitate ſui etiam terræ motui reſiſtere poſſe judicat. Reliqua in eam rem vide apud Kircherum *Oedipi Ægypt. Tom. II. parte altera pag.* 292. Mirari itaque ſubit, quid Dn. Meyfarto *part.* 2. *cap.* 30. *Hieroſol. cæleſtis* in mentem venerit, cum ſcriberet ex Pyrami-

Digitized by Google

ramidibus nullum supereſſe veſtigium, niſi in literis. An forte illud Propertii in errorem induxit?

Nam neque Pyramidum ſumptus ad ſidera ducti,
Nec Jovis Elei cœlum imitata domus:
Nec Mauſolei dives fortuna ſepulchri
Mortis ab extrema conditione vacat.

Sed ſolet aliquando etiam magnis ingeniis memoria quid ſubtrahere. De numero autem ſuperſtitum variant varii. Bellonius plusquam centum ſupereſſe, vult, Baudrandus viginti, Razevilius ſeptendecim. Nobis ſufficit tres tantum meruiſſe, ut inter miracula orbis cenſerentur, quam dignitatem etiam hodie illæ tuentur.

Quartum calculum meretur Epheſiæ Dianæ templum infinitis totius Aſiæ ſumptibus olim ædificatum. Id natali die Alexandri M. ab eo, (cujus nomen, merito ex memoria hominum proſcribendum) Heroſtrato incenſum conflagravit, ſive is Phlegyas potius vocatus eſt, forte ἀπὸ τῆς φλόγος, cum ſcilicet, ſi virgini placet, abeſſet Diana, ut obſtetricis partes apud Olympiadem puerperam obiret. Voluit quidem ille Rex, qua erat magnificentia, ſuo ſumptu reſtaurare, tem-

Digitized by Google

templum, si saltem supremo fastigio nomen suum inscribere vellent Ephesii. Sed ô generosam contumaciam, nec minus prudentem! Recusarunt illi caussam interserentes, fas non esse, ut Numen Numini, Alexander Dianæ ædem consecraret. Hoc sale ille perfrictus desiit se Dianæ cineribus ingerere. Civium tamen impensa multo amplius fanum surrexit, cum ante angustius esset. Et alterum quidem istud stetit ad Apostolorum usque tempora, quod quo pacto interierit jam dispiciendum. Clemens Alexandrinus in Paræneſi ad gentes Sibyllam prædixisse ait, fore ut hiatu & terræ motu templum absorberetur. Verba illius ita habeat *pag.* 24. ἄντη Σίβυλλα ἱερεῖα τὸ νεῶ θεσπιῳδεῖ, τὸν μὲν τῆς Ἐφεσίας Ἀρτεμίδος χάσμασι καὶ σεισμοῖς καταποθησόμενον. Et exstant versus *p. m.* 189. Non disputo, quæ fides Sibyllinorum. Eventus certè abfuit. Qui enim hiatu absorptum esset, cujus rudera ipse Clemens superfutura esse testatur, & supereſſe hodie ἀυτοψίᾳ multorum confirmat? Taverniérum dico *p.* 34. & Jacobum Spons *Itin. Curios. p.* 68. alios, quos Dapperus habet *p.* 246. Asiæ Minoris, qui uno ore arcum quendam, & cellas subterraneas interitum effu-

Digitized by Google

effugisse ajunt. Sed forte, quisquis ille Sibyllinorum autor fuit, aut eo respexit, quod Ephesus olim in paluſtri & declivi loco sita ab inundatione aquarum damni quippiam passa esse legitur, priusquam à Lysimacho in altiorem transferretur; aut Plinio contradicere voluit, qui ob hoc ipsum ædem loco paluſtri ædificatam esse vult, ne terræ motus, aut hiatus sustineret. *lib.* 36. *cap.* 14. Non quidem ignoro Nicephorum, hominem qui fidem jamdiu atq; pudorem decoxit. *lib.* 1. *c.* 17. inter urbes duodecim, quæ terræ motu tempore patientis Christi collapsæ fuerint, vel præcipuè numerare Ephesum. Sed corruit sane, has tamen, quæ ostenduntur ex flammis potius, quàm terræ concussione, puto esse reliquias, à qua vel imprimis fundamenta solent labefactari. Scythæ tandem sive Gothi templum à Nerone omnibus ornamentis spoliatum sub Galieno Imperatore incendio deleverunt. Testem do satis locupletem Trebellium Pollionem *in Gallienis p. m.* 15. Quamvis enim ipsa urbs splendorem pristinum aliquo modo receperit, fanum tamen jam invalescente Christianismo (quippe & Patriarchatus dignitate Ecclesia *illa* gaudebat) desertum mansit.

De

Digitized by Google

De Mausolei casu jam dicendum foret. Enimverò hic historia hiscit, aut notitiam nostram, quamvis omni cura vestigaverim, fugit. Ab Alexandro excisam Halicarnassum, excepta arce Diodorus habet. Sed ex hoc excidio renatam apud Livium *lib.* 37. legimus. An forte terræ motu concidit, quos in ea Asiæ parte frequentissimas Cassiodorus, Prosper & Marcellinus Comes observarunt? Nihil definio. Placet interea ex Jacobi Spons copiis satisfacere, qui ita *pag.* 74. *Was die Stadt Halicarnassus anlangt, ist es schon lange Zeit, das sie zerstöret, und siehet man davon noch grosse rudera an einem unbewohnten Orte Boudron genant, gegen über der Insel Cos.* Inter hæc autem rudera Mausolei parietes agnoscere quis poterit? Munsterus quidem in Cosmographia adhuc demonstrari ait cum ipsa urbe *pag.* 1277. Consentiunt Sophianus & Vadianus, quorum ille Mesi hodie illam vocari, hic Castellum S. Petri tradit. Ego verò fidem meam Jacobo Spons addico.

Nec minor difficultas ostendere, quonam Olympius Jupiter pervenerit. Damophontem quendam simulachrum hoc solutis jam vetustate eburneis com-

Digitized by Google

compagibus ad unguem exactissime coagmentasse Pausanias memorat *in Messenicis pag.* 255. Sed nihil hæc ad nostrum Bacchum. Tempore C. Caligulæ nondum interiisse satis constat. Hunc enim Svetonius ait eò insaniæ processisse, *ut in mandatis daret, simulachrum istud è Græcia apportare, ut dempto capite suum imponeret.* Hæc ille *cap.* 22. Dio Cassius *lib.* 59. *pag.* 662. qui factum sit, quo minus istud perficeretur aperit. Τὸ δὲ πλοῖον, inquit, τὸ πρὸς τὸν κολοσσὸν ὑπὸ κεραυνῶν ἐφθάρη, καὶ γέλως ὁσάκις τινὲς ὡς τὸ ἔθος ἐφαψάμενοι προσῆλθον πολὺς ἐξηνάστο. hoc est: *Namque & navis ad advehendum extructa fulminibus periit, & risus quoties aliqui simulachrum saltem tacturi accedebant multus exauditus.* Plura addit Josephus *Archæolog. lib.* 19. *cap.* 1. Quid autem de hoc Jove factum sit, postquam hoc capitis adulterini periculum effugit, ipse viderit. Ego quidem cum ignarissimis novi. Si conjecturæ tamen locus, credibile est, à Christianis denique destructum templum. Elidem certè urbem (Pisam alii, aut Olympiam vocant ex vicinitate confusione orta) illius hospitam hodie sub nomine Calloscopii celebrari Hofmannus autor est in Lexico.

Restat

Digitized by Google

Restat jam solus Rhodiensium Colossus, cujus ut ætas minus vivax, ita certior, ut ita dicam, annus emortualis. Ex Plinii enim *lib. 34. c. 7.* discimus, ingentem hanc septuaginta cubitorum statuam (decem igitur saltem cubitis major fuit, quam Nebucadnezaris ille aureus gigas, qui si totus aureus fuit, quò Svaningius inclinat *Comment. in Daniel p. 307.* nemo pretium computaverit, cum æneus noster & cavus trecentis talentis constiterit, & tot camelos oneraverit) post quinquagesimum sextum annum terræ motu prostratum. Includit hoc factum Joh. Ludovicus Gotofredi in annum Mundi 3727. qui est ante Christum natum, ex Bucholzeri calculo 444. Jacuit per annos 875. quod Rhodii ex caussa quadam, quam Strabo aperire dubitat, prohibiti erigere noluerunt, donec Saraceni anno Christi 653. Duce Muhavia Ægypti Calipha Rhodum occuparunt, *ubi æs Colossi Judæus quidam mercatus 900. Camelis fertur asportasse, apud Zonaram annal. Tom. III. p. 134.* Jam certum est camelum quatuordecim centenariorum, uti jam loquimur, pondus gestare. 12600. centenarios ergo tota moles implevit, quæ res vel in stuporem conjicere posset lecto-

Digitized by Google

lectorem. Multum verò minueretur admiratio, si cum Volaterrano 90. saltem jumenta legas, quod tamen ex mendo esse suspicor. Templi autem Hierosolymitani fata ex S. codice, Josepho Egesippo notiora sunt, quàm ut quis operam nostram hic desideret. Juliani conatus quàm irritus fuerit Ammianus *l.* 23. & *quos ad hunc allegat Lindenbr. p.* 126. loquantur. Istud certum Turcicam hodie Moscheam in ejus area, forte ab Omaro, cujus Cedrenus meminit, fuisse erectam. Contenti igitur simus hoc Carone, qui si se parum probaverit eruditioribus, mihi certè invidiam facere non debet, homini & satis occupato, & à bonis libris male instructo. Intempestivum quoque fuerit alieno loco veniam præfari.



Digitized by Google

De

De Salutandi ritu.

Nter singularia merito refertur, quod de Persis, cultissimâ aliàs Orientis gente nonnemo refert, illos ex conviviis, ut cum Virgilio loquar,

Postquam exempta fames & amor compressus edendi,

insalutato hospite discedere. Id enim apud plerosque populos non incivile modo; sed & ingratum atque irreligiosum semper visum fuit. Romani certe civili hoc verborum officio omnes nationes superâsse videntur. Hinc tot salutationum formulæ atque gestus enati, quibus omnibus colligendis Stuckius, copiosissimus utique autor, lib. 2. Antiqv. Convivial. cap. 31. & 32. frustra consumit multas paginas, cui succenturiatam præstant operam Pareus in Electis Plautinis p. 521. Magirus in Florilegio, Brissonius de formulis, Pontanus ad III. Georg. Virgilii.

Digitized by Google

gilii. Non inter præsentes autem modò valuit ea civilitas; sed ad literarum quoque commercium translata, unde illud χαῖρε Cleonis, ἐυ πράττειν Platonis, ἐυ ἄγειν Epicuri & ὑγιαίνειν Pythagoræorum promanavit. Imprimis autem ambitiosi Romanorum proceres in recipiendis clientum salutationibus fuére, vide Tacitum, lib. 2. Histor. cap. 92, 1. quibus primam atque alteram diei horam in atrio, sive, ut Plinius vocat, salutatoriis cubilibus lib. 15, 11. impendebant illi; teste Martiale lib. 4. Epigramm.

Prima salutantes, atque altera continet hora.

Quitamen nihil aliud agebant, quàm ut rogarent: Satin salvè, rectenè omnia, an ex sententia, ut valeant, uti dormierint, an habeant, quod mandent, si quid velint? Quibus inficetiis peractis glomeratim è domo Patroni effundebantur, quod scitè, ut omnia exprimit Virgilius Georg. III.

Ingentem foribus domus alta superbis
Mane salutantum totis vomit ædibus undam.

Qui numerus ne deesset, munusculis etiam communes hi amiculi & sportulis invi-

Digitized by Google

invitabantur. Interea Patroni quasi aliud agentes aut calceabantur & vestiebantur, quod Pompejus & Vespasianus in usu habebant, testibus Plutarcho & Svetonio, aut jacebant in strato cum Augusto apud Xiphilinum, aut scribebant cum Cicerone. Neque tamen toto agmine admittebantur ab admissionalibus; sed habita ratione, sed prout quisq; aut dignitate, aut gratia apud Dominum prævalebat, unde Seneca lib. 6. de beneficiis. cap. 33. & 34. Non sunt isti amici, qui magno agmine januam pulsant, qui in primas & secundas admissiones digeruntur. Tertiæ admissionis clientuli non rarò in multam noctem differebantur. Juvenalis Sat. V. Inciderat triste quippiam, planè arcebantur, si suspicio, molestissimè excutiebantur. Nec clientes modò, sed liberti quoque & servi bis die frequentes adesse, ac manè salvere, vesperi valere Dominum jubebant, qui tamen mos exoleviſſe dicitur Svetonio in Galba. Quod cùm fieret, ominosum habebatur, si mane vale, vesperi salve, errore quodam lingvæ dixissent, quod Lucianus sibi accidisse excusat peculiari apologia (χαῖρε τὸ ἐν τῇ μεσημβρίᾳ πταῖσμα), in qua ambiguam vocis χαῖρε

Digitized by Google

acceptionem pulchre explicat. Nec steterunt intra hos terminos ambitiosæ illæ ineptiæ. Deos etiam summo mane salutabant, idque miris gesticulationibus, quarum & Senecam pudet in egregio illo libri de superstitione fragmento, quod D. Ursinus in Analectis p. 412. allegat., & Apulejus lib. XI. Metamorph. simile., quid habet. Sed quid cascos illos perstringo? Successerunt hodie in hæreditatem hujus affabilitatis Galli, & illorum κακοζηλία Germani, qui occasione quacunque diei, noctis, somni, vigiliæ, prandii, cœnæ, potus, accessus, recessus, balnei, medicamenti, sternutationis, oscitationis (mirum quod non & crepitus, quem Tartari eâdem veneratione prosequuntur) novas formulas concipiunt, & quo ipsis venire onerosum, salutigerulos mittunt. Et toleranda hæc etiam., cum jactura priscæ gravitatis forent., nisi ambitus omnem hanc scenam coactæ humanitatis corrumperet. Superba enim æstimatione disceptatur, uter prior caput aperire, uter auspicari civilitatem debeat. Sæpe etiam vulnerum & cædis legitima causa visa est, non parigestu, vultu, ore respondisse. Bella etiam tam frivolis causis nata quis non miretur., non

Digitized by Google

non indignetur? In excidium humani generis inventæ sunt fulminatrices illæ machinæ, quibus etiam sereno aëre iratum cœlum imitamur. Sed & hæ in argumentum gratulationis non translatæ, sed abreptæ sunt. Inde fit, ut adventores Principes incivili illarum boatu excipere solenne sit. Id si à navigantibus non fiat ad occursum regiæ navis, aut arcis, aut portus pro hoste habentur. Vela in iisdem casibus dimittere, salutationis marinæ instar est, fortè à vexillorum submissione militarium orta. Hæc instituitur vel honoris caussa, cùm medii mali superius vexillum non nihil dimittitur, mox retrahitur; vel ad subjectionis confessionem, cùm velum istud, (cui nomen Topseegel) dimittitur, nec ante attollitur, quàm extra tormenti majoris jactum perventum sit. Res utique non adeò magni momenti, sed tamen valuit in cruenta Anglos inter & Batavos bella, non sine opprobrio Christiani nominis. Utq; nunc res se dant, videtur turpi huic ambitionis idolo etiam copiosiore sanguine litatum iri. Draculam inauditæ crudelitatis infamia traducunt Historici, quòd legatis Turcicis capitis tegumenta clavis ferreis affigi jussit, quia deponere

Digitized by Google

illa ex instituto patrio recusassent. Nostri autem, qui plusquam Christiani esse volunt, ob negatum sibi honorem omnia miscere, Europæ pacem sollicitare, infinitum cruorem effundere non dubitant. Quemadmodum verò salutandi, ita & valedicendi ritus religiosè semper observatus fuit. Rhodiorum magistratus, cùm ad Tiberium scripsissent, nec essent ei, ut erat consvetudo in extrema epistola salutem apprecati, eos ob eam rem accersiri jussit, tanquam in eos animadversurus esset; qui cùm venissent, nihil acerbius fecit; sed eos, postquam vota, quæ deerant, epistolæ subscripsissent, dimisit. Pari pacto convivia etiam piis votis finiebantur, idque jam Homeri tempore, apud quem Ulysses Alcinoo hospiti ita valedicit:

ὑμεῖς δ' αὖτε μάλ' ὀντες εὐφροσύνητε γυναῖκας
καὶ φίλους καὶ τέκνα· θεοὶ δέ τε σῶ ὀπίσσω
πάντ' ἐσθλὰ δοῖεν, καὶ μήτι κακὸν μεταδήμιον εἴη.

ad quæ verba Eustathius ita: ἀπιόντες δὲ παλαιοὶ ἀπὸ ξενοδόχων προσεφώνουν τὸ χαίρειν. id est. Antiqui discedentes ab hospitibus apprecabantur illud suum χαίρειν. Quod Romæ etiam in usu fuisse confirmat Svetonius in Tiberio cap. 72.

Decem

Decem tribus Israelitarum quo pervenerint.

Nceps & in multam opinionum varietatem diffusa quæstio est: Supersintne hodiè, & ubi gentium quærendæ decem tribus Israëlitarum à Salmanassare Assyrio quondam abductæ. Sunt qui in incerto rem relinqvunt, sunt qui interiisse planè, quique cum aliis gentibus coaluisse, & velut absorptas esse omisso gentili circumcisionis charactere statuunt: Sunt etiam, qui supereſſe hodienum autumant, quamvis & hi diversa rursus itinera intendant. Ad primam classem meritò referimus Davidem Kimchi, qui ad Jerem. cap. 31. comm. 15. negat expresè locum sciri posse, ubi sint hodie decem tribus. Et utuntur plurimi hoc ampliationis statu, quorum nomina referre nihil attinet. Inter illos, qui periisse volunt, Talmudistæ quidam referendi. Liber quippe Jabamoth fol. 17. tra-

Digitized by Google

17. tradit fœminas decem tribuum factas esse steriles, adeò ut paucis annis masculi interierint omnes. In horum sententiam pedibus eunt etiam Christianorum aliqui; licet modum perditionis rejiciant. Sed, quod pace illorum dictum sit, adversatur fides historiæ. Si enim perierunt omninò, aut ante Christi adventum, aut post illum id factum oportuit. Non ante Christum. Quî enim D. Jacobus epistolam suam inscribere potuisset ταῖς δώδεκα φυλαῖς, ταῖς ἐν διασπορᾷ, h.e. undecim tribubus in dispersione? Neve quis de illorum posteris id intelligat, qui aut à Salmanassare relicti sunt, (de quibus vide Adrianum Pauli in peculiari Oratione de hoc argumento) aut cum Nehemia redierunt, noto phrasin ἐν διασπορᾷ. Pari pacto etiam Josephus de suo tempore lib. XI. Antiqv. Judaic. αἱ δέκα φυλαὶ, inquit, πέρην εἰσὶν Εὐφράτου ἔως δεῦρο, μυριάδες ἄπειροι, καὶ ἀριθμῷ γνωσθῆναι μὴ δυνάμεναι. Quarto etiam post Christum seculo sub Persarum imperio easdem vixisse testis luculentus est Hieronymus; ut Thalmudistarum mentionem non faciam, qui multam earum passim mentionem faciunt. Vide Lightfootum in Append. Horar. Hebr. cap. 2, 3. B. Ursinus autem,

Digitized by Google

autem, qui Josephi & Hieronymi autoritatem rejicit, hac in parte deserendus nobis est, non habentibus quid Apostolo Jacobo, quid Judæis respondeamus. Si autem post salutiferum partum interiere, tempus ejus calamitatis, autores, denique testes mihi produci velim. Manet ergò, ut vel coaluerint cum gentibus, vel supersint hodieque. Priorem opinionem Fullerus imprimis complectitur, Miscell. lib. II. cap. 5. Cadusiosque & Gelas Mediæ gentes ex his ortos ex quadam nominum similitudine acutiùs quàm veriùs conjectatur. Obstant Josephi & aliorum modò memorata testimonia, qui inconfusas tribus mansisse uno ore clamant: Tartaros autem sive Totaros nationem omnium populosissimam ab his exulum reliquiis ortos esse, tàm absurdum, quàm Oceani originem à Rhodano arcessere. At circumcisi sunt pars Tartarorum ante receptum Mahometismum? Id urget Mornæus cap. 25. de relig. Christiana. Sed aliud est circumcisionem à vicinis (Colchis fortasse) discere; aliud ab his oriundum esse. Aliàs omnes illæ gentes, quæ Estheris 8. ab India ad Ægyptum Judaizasse leguntur, & hodie Abyssini Israëlitæ essent. Patronum

Digitized by Google

num autem hujus causæ idem Fullerus jam ad incitas redegit. Operosissima autem & maximè varia illorum est opinio, qui supereſſe eos credunt. Nec supereſſe modò; sed feliciter etiam agere, & latissimè, si Diis placet, imperare. Et ignoscendùm Judæis, qui, ejusmodi fabulis exilii sui longissimum tædium solantur. Habeant illi sibi Sabbaticum amnem & per me licet vulpes jungant, & mulgeant hircos. Itaque nihil ego de Benjamine Tudelensi, nihil de aliis Judæorum impostoribus. Vapulant illi ad satietatem apud Spizelium in Elevatione Relationis Montezinianæ. Enim verò Christianos in eandem fraudem impulsos certas his Chimæridis regnis sedes in tabulis Geographicis atque Historiis sedes assignare plumbeus sit, qui non indignetur. Mitto hîc Chiliastarum, mitto Fratrum rosaceæ crucis delira somnia. Africam, certè, Americam atque Asiam μυθολογικῶς ista occuparunt. Nam quæ de Livoniæ rusticis Lewenclavius habet Pandect. Turc. p. 121. eos ab Israëlitis ortum traxisse, tantundem fidei meretur, ac Germanos à Cananæis oriundos. Nec ex Africa quidem eos ejicere operosum, quos error nominis כוש invexisse videtur, quo

de

Digitized by Google

de Bochartus consulendus in Phaleg. Maginus quidem Geogr. p. 181. Boterus lib. 1. Geogr. p. 126. & ex eo Casparus Ens im Ostindianischen Lustgarten part. 1. p. 45. agnoscere etiam in torrida Zona videntur Ebræorum regna, sed secuti alienam fidem. Ita enim postremus iste. Die Abyssiner sagen, das oberhalb dem Nilo mächtige Völcker wohnen, nehmlich die Ebräer, welche einen (NB.) armen Könige unterworffen seyn sollen. Verùm à Nigritis forte fabulæ occasio, qui teste Magino p. 185. Judaicam quondam susceperunt legem, priusquam ad Christianismum, & Mahometismum, deinde prolaberentur. Nihil certè de his Johann. Leo Africanus, quo nemo accuratiùs patriæ historiam descripsit, uspiam commemorat; sed Judæos potius invisos, contemptos, expulsos variis in locis affirmat. Media etiam, in quam decem tribus abductæ, & Æthiopia toto cœlo differunt, nec nisi per potentissimas gentes exulibus ad illam via patere potuit. Postquam autem Africa atque Asia Christianorum navigationibus melius detecta, ne mendacia Judæorum in ipsis incunabulis deprehenderentur, octodecim mensium itinere (si vera est fabula)

Digitized by Google

bula) transvolarunt in Americam. Autor aut potius recoctor nugarum Menasse Ben Israël in Spe Israëlis, qui superioribus annis libellum publicavit, in quo ex libro quarto Esdræ ψευδεπιγράφω probare conatur reliquias decem tribuum à Tartaris coactas per fretum Anian in N. Hispaniam abiisse. Quem nugonem cum jam dignis modis Spizelius, Strauchius in Breviario, Hulsius in Theologia Judaica exceperint, ego eorum cramben non recoquo. Restat igitur, ut de Asia jam dispiciamus. Hîc enim stabulari adhuc hos homines non Judæi modò; sed Christianorum quoque multi statuunt. Hinc non erubuit in gratiam illorum Ortelius, (quem Münsterus, Maginus, Boterus, Schickardus, alii sequuntur,) magna Asiæ septentrionali cornua, enormia promontoria affingere, quæ profugos à mari Caspio Israëlitas recipiat. Et, ut serio rem agi credas, Nephthalitarum, Danitarum, Hudæorum hordas in illis collocant, & ipsum deniq; regnum Arsareth (quo de Fullerum consule.) Verùm & promontoria illa jam dudum ex mappis recisa, & alia hodie Asiæ Borealis facies. Occuparunt etiam jam laborem respondendi, quos modo nomi-

Digitized by Google

nominavi, viri Excellentissimi. Restat nihilominus alius exantlandus. Patrocinium enim suscipiunt horum exulum, Jesuitæ & supra Chinam illos hodie etiam adhuc latere scribunt. Ita enim ipsorum fide Olearius sub calcem Itin. Persici p. 41. Man findet noch in China Juden, sonderlich in den Provinzien Honan und Chequin, sollen für uhralten Zeiten da gewohnet haben, und ist zu vermuhren (mallem hic tantus vir judicium suum non interposuisset!) das die zehen Stämme Israel sich bis in die euserste Orientalische Lande zerstreuet haben. Et paulo post subjungit: Venisse Judæum quendam ad Patrem Riccium, qui Judæorum nomen ignoraverit quidem; se verò Israëlitam professus sit, multasque familias suorum in Chequin habitare dixerit sub libero religionis exercitio; quod ipsum & Patres posteà se ita habere comperissent. Ac optandum quidem esset illam Asiæ partem, quæ à Gangis usque fontibus propè murum Sinicum in Oceanum usque septentrionalem exporrigitur, notiorem esse (sic enim in veritatem inquirere accuratiùs liceret.) Jam non nisi pauciſſima ex Pinto, & Epistolis Jesuitarum consarcinare possu-

Digitized by Google

possumus, de quarum fide ob tot jactata miracula, Apostolicis paria, aut majora; multi prudentiorum assensum suum suspendunt. Judæos per totum ferme terrarum orbem dispersos vagari nolli nego. A decem tribubus autem esse illorum quosdam, quis evincere poterit? Multi illorum in Babylone remansere; teste Ligthfootho, multos ex Ægypto Ochus Persarum Rex in Mediam transtulit adstipulante Julio Africano; Syncello. Ex priorum censu si Sinensis Israëlita fuit, meritò Judæorum nomen ignoravit, quod ab exilio reduces demum sibi sumsere, ut Josephus disertè habet, lib. XI. cap. 5. Imprimis autem, quo minus album Jesuitis calculum adjiciam facit, quod David de Willem, Principis Nassovii Consiliarius, qui per duodecim annos in Oriente versatus est, cùm omnia sollicitè inquisivisset, nihil tale à quoquam percipere potuit. Golii etiam (at quanti Viri!) Studium atque iter frustratum fuit, cum & Orientalium libros perlegeret plurimos, & in colloquiis multorum de fabulosis illis X. tribuum mansionibus percontatus esset. Si quis verò, quæ mea mens sit interroget, modestiam omnem præfatus, præ-

judicium

Digitized by Google

judicium deprecatus breviter ita statuo: Magna pars horum exulum ad Messiæ fidem se applicuit. Id volunt Prophetarum tot vaticinia, persvadet Jacobi Epistola, postulat ferme Pauli ad Rom. XI. assertio. Reliqui cum infinita vicinarum gentium colluvie sensim coaluére. Delectus utrobique circumcisionis character, quem si sustuleris, periit Israëlitarum γνώρισμα gentilitium.

De Monstris Herodoti.

QVamvis iniqua jam olim judicia expertus sit Herodotus, & præter meritum suum mendaciorum insimulatus; nescio tamen, an quisquam durius illum tractarit, quam Bodinus Methodo Historiarum cap. IV. ubi maledicentiæ suæ virus Andius ille sine bono ita evomit: *Miror hunc unum Historiæ parentem à Cicerone appellari, quem omnis antiquitas mendacii coarguit. Nullum est enim mendacii Historici majus argumentum, quàm ab omnibus scriptoribus aperte confutari.* Quid enim bono

Digitized by Google

viro, ne dicam Historico probrosum magis objici queat, quàm mendacium? Et nolo quidem Bodinum recriminari, cui pulchrum videtur, *honesto mendacio ad laudem bonorum uti p. 49. honesto mendacio suorum popularium dignitatem tueri p. 49.* cùm caussam Herodoti ex domesticis, quæ vocant, principiis ita agere queam, ut injuriam optimo viro fieri ad oculum pateat. Sed perorarunt jam ante me hanc litem Manutius, Camerarius, Henricus Stephanus imprimis edita pro Herodoto Apologia, quæ tamen res huic infeliciter cessit admodum. *Nihil enim laborum,* (inquit Cornelius Toll appendice ad Pierium Valerianum de literatorum infelicitate) *pejus unquam cessit Henrico Stephano, quàm scripta pro Herodoto Apologia. Isto quippe libro cùm gravissimè in sacrum illum cucullatorum ordinem peccasse judicaretur, ignibus fuisset expiandus, nisi imminenti periculo tempore se subduxisset. Stephano itaque fugâ sibi consulente, atque in nivosis Arverniæ montibus latitante, cremata â tortore effigies pro ipsa pœnas luit. Unde jocabatur sæpè, ut erat ingenio cavillator: Nunquam se magis riguisse, quàm cùm Parisiis ustularetur. Multis deinde peregrinationibus diu in Germania*

Digitized by Google

mania vagus, cùm patriam oblivisci non posset, Lugdunum se contulit, ubi opibus atque ipso etiam ingenio destitutus vitæ, tot exantlatis pro republica literaria laboribus, in nosocomio finem fecit. Quid autem ad Thucydidis, Diodori, Plutarchi autoritates respondendum sit, apud hos potius vide. Mihi enim propositum non est tantorum virorum acta agere, aut Iliada post Homerum scribere, sed ab ipsis omissa, veluti spicilegio colligere, id unum præfatus, diligentissimum fuisse Herodotum, candidum, religiosum. Namque & in Tyrum navigavit, & in Heliopolin abiit & ad Butum Arabiæ veritatis indagandæ studio. Et quoties ait sibi nefas esse dicere, quæ ex mysteriis Deorum sciat, nec sanctè facere, si nomina efferat? & quæ sunt plura istarum virtutum testimonia. At multis tamen fabulis referta ejus Historia imprimis in Ægyptiacis, Lybicis, Indicis. Esto. Ne ipse quidem pro veris omnia venditat; Sed judicium lectori integrum relinquit. Sed audiamus ipsum candidè & ingenue fatentem in Euterpe, Τοῖσι μὲν νυν ἐν Αἰγυπτίων λεγομένοισι χρᾶσθαι, ὅτῳ τὰ τοιαῦτα πιθανὰ ἐστι. Ἐμοὶ δὲ πᾶσα τοῦ λόγου ταύτην ἔστω, ὅτι τὰ λεγόμενα ἕκαστα ἀκοῇ γε-

φῶ.

Digitized by Google

γράφω. i. e. *Illis igitur, quæ de Ægyptiis dicta utatur, cuicunque ista verisimilia erunt. Mihi quidem per totum librum propositum est, quæ fando accepi scribere.* De monstris autem Lybiæ cùm locutus esset, statim lib. 4. subjungit: Ταῦτα μὲν ἐγὼ οὐκ ἀληθέα οἶδα, οὐδὲ λέγεται γράφω. Hoc est: *Hæc an vera sint, haud equidem scio, sed quæ narrantur scribo.* Non raro etiam judicium suum interponit, & fidem narratis detrahit. Et tamen hæc vel sola res fuit, cur Historicus noster apud Strabonem, Ciceronem, Gellium, alios male audiret & fabulositatis damnaretur. Sed credulum aliquis ex hoc capite forte dixerit, non mendacem. Et quia de monstris Africæ à Stephano & aliis Herodoti Patronis intacta causa, hoc ego argumentum mihi sumo, & inter fabulas referri ostendam, quod nostri seculi homines verum esse serio testati fuere. Esse in Lybia Acephalos, qui oculos in pectoribus gerant, ex Lybicorum relatione circa finem Melpomenes memorat noster. Hos Blemmyas Plinius vocat & Mela. Id quamvis risu jamdudum explosum sit, & Bochartus lib. IV. Geogr. Sacr. errorem ex etymologia Ebraica ortum suspicetur, quâ Blemmyes dicti quasi

Digitized by Google

quasi בלי מוח beli muach, i. e. sine cerebro, Olearius autem ex insolito Samojedarum aspectu, qui pellibus caput ita obnubere solent, ut nihil ejus procul intuentibus appareat: Merianus tamen Histor. Antipodum part. II. p 386. ejusmodi monstra in Gviana reperiri multis confirmat. Sie werden Ewaipunoni genant, inquit ille, haben ihre Augen forne in den Achseln, den Mund mitten in der Brust &c. Idem plane asserunt Mandevilius & Ulricus Schmiedel in peregrinationibus suis. Silenos dari sive homines, sive hominum monstra Herodotus Polyhymnia credidit. Irrident alii, qui nihil verum credunt, nisi quod ipsi viderint. Et tamen Batavi teste Vossio ad Melam *integros populos toto corpore hirsutos in terris supra Japoniam nuper detectis reperêre.* Et fallor an hæc est illa, quam eodem loco Ortelius collocat Satyrorum Insulam. Imaginem etiam Angolensis Satyri, qui Patrum nostrorum memoria in aula Principis Arausionensis Friderici Henrici vixit Nicolaus Tulpius Observat. Medic. lib. III. Cap. ultimo exhibet. Esse in India solitudines quasdam arenosas, in quibus formicæ gignanter minores quidem canibus, majores tamen vul-

Digitized by Google

pibus noſter habet. Hîc verò ſibilum tollunt Herodoto maſtyges, & Iſaacus Voſſius fabellam, vocat Herodoteam. Obſerv. Ad Melam lib. 3. Cap. 7. *Quod formicæ Indicæ in lacca (quæ ab illis excluditur, & pomorum quorundam radicibus allinitur) ſæpè integræ ad nos perferantur apibus nihilo majores.* Sed nihil impendit, quo minus præter has etiam aliæ majores dentur. Ne verò gratis hæc dixiſſe videamur, teſtem damus optimæ fidei, magnæ autoritatis, Busbequium, qui Epiſt. IV. ſcribere non eſt veritus: *Relatum ſibi eſſe ab Oratore Regis Perſici, ad Turcarum Imperatorem* allatum eſſe formicam Indicam canis magnitudine, mordacem & oppidò ſævam. Pari audacia Otomegali ſive Panotii, *quibus magnæ aurès, ut Mela* ait, *ad ambiendum corpus omne patulæ*, in mendaciorum claſſem relati, cùm notiſſimum ſit hodie Malabarorum aures tam pandas eſſe atque promiſſas, ut utrinque humeros late flagellent. Caſparus etiam Barlæus in Hiſtor. Braſil. p. 119. memorat: In provincia Braſiliæ Giarra *Anno* 1609. *reperti homines ingentis ſtaturæ, tetro aſpectu, auribus in humeros usque propendentibus.* Sirenas a, & marinos homines, quis olim falſi-

Digitized by Google

falsitatis non damnavit, contra hodiernæ experientiæ fidem? Usque adeo inest sæpè in incredibili verum, & in verisimili mendacium! Quanto autem satius foret suspendere quàm præcipitare sententiam, & uno calculo totam antiquitatem damnare?

Reliquiæ navis Noachicæ.

Magnam venerationem habet antiquitatis contemplatio, & ex ea admirationem, adeò ut nec in ruderibus quidem aliàs informibus eam deponat. Hinc non sine voluptatis sensu veteris Romæ parietinas intuemur, nomismata possidemus, statuas aspicimus, inscriptiones legimus. Quibus rebus factum est, ut & nos jam Athenarum reliquias, dein Christi sepulchrum, mox turris Babylonicæ rudera cupido talium deliciarum lectori delineaverimus. Saxa verò & lapides benè ætatem ferre, & vivaci firmitate temporum tabem effugere nemo miratur, cùm mundo coævos scopulos quotidiana experientia in ocu-

Digitized by Google

los quorumlibet ad ſatietatem ingerat. Alia reliquorum corporum conditio, quibus quo mollior & humidior ſcilicet ſubſtantia, eò citius in principia ſua, ut Philoſophi loqui amant, per putredinem aut aliam corruptionem reſolvuntur. Videmus iſtud in arboribus, quæ æſtate ſucciſæ, cum virent, cariem velociùs ſentiunt; circa brumam dejectæ vix ſeculis expugnabilem duritiam cuſtodiunt. Et licet trabibus etiam vivaciſſimis fatalem, ut ita loquar, annum definire non audeamus, ultra milleſimum tamen illarum ætatem extendere mendacii ſuſpicionem habere videtur. *Vide Eraſm. Franciſci Oſt- und Weſt-Indiſche Luſtgarten p.*545. Cum verò multi reliquias arcæ Noachicæ in monte Ararat usque à diluvio, id eſt à 3975. annis ſupereſſe aſſerunt ore, manu, & toto vultu reclamant. Quid verò de his tenendum ſit oſtendere, has partes mihi jam ſumpſi. In re autem hiſtorica Claſſicorum teſtium fidem imprimis attendendam nemo forte negabit, niſi qui canæ antiquitatis fidem uno præjudicio damnare velit. Sed age obſervato ætatis ordine audiamus omnes. Ac optandum quidem foret, ut Joſephus Hieronymi Ægyptii, Mnaſeæ & aliorum, quos

Digitized by Google

quos lib. I. Archæol. cap. 4. allegat, ut mentem, ita & verba adduxisset, haud exiguum utique rebus nostris momentum allatura. Gratiam tamen magnam habemus, quod Berosi Historicorum Principis non dissimulavit. Ita autem ille, λέγεται δὲ καὶ ἔτι τοῦ πλοίου ἐν τῇ Ἀρμενίᾳ μένειν πρὸς τῷ ὄρει τῶν Κορδυαίων ἐπὶ μέρους εἶναι, καὶ κομίζειν τινὰς τὸ ἀσφάλτῳ ἀφαιρέντας· χρῶνται δὲ μάλιστα οἱ ἄνθρωποι τῷ κομιζομένῳ πρὸς τὰς ἀποτροπιασμούς, id. est: *Fertur autem etiam hujus navigii pars in Armenia ad montem Cordyæorum adhuc superesse, & quosdam bitumen* (inde abrasum) *secum auferre, acuti illo ad expiationes.* τὸ δὲ πλοῖον ἐν Ἀρμενίᾳ φυλακὰ ξύλων ἀλεξιφάρμακα τοῖς ἐπιχωρίοις παρέχεται. *Navigium in Armenia locorum incolis ligna præbet amuleti vim habentia.* Et, ne illud λέγεται Berosi dubitantis quis esse cavilletur, aut aliena fide utentis, ipse Josephus judicium interponit, de suo tempore scribens loco eodem: σώζεται τῆς λάρνακος ἔτι καὶ νῦν οἱ ἐπιχώριοι τὰ λείψανα ἐπιδεικνύουσι *servatæ arcæ adhuc etiam incolæ reliquias ostendunt.* Quæ verba, Gelenius interpres nescio quâ incuriâ omisit, *audax aliàs judicio Huetii p. 274. in constringendis pluribus in unum periodis.* Sequitur Nicolaus Damascenus, ex

Digitized by Google

cujus 96. libro hæc idem Flavius, ut reliqua omittam, *τὰ λείψανα τῶν ξύλων ὅτι πολὺ σωθῆναι reliquias lignorum diu superfuisse.* Has autem Josephi tempore adhuc ostensas jam supra probavimus, & posterioribus nondum intercidisse testatur Epiphanius anno post diluvium 2700, adversus hæreses lib. I. *ἔτι καὶ δεῦρο τὰ λείψανα τῆς τοῦ Νῶε λάρνακος δείκνυται ἐν τῇ τῶν Καρδιανῶν χώρᾳ, adhuc lignum ex arca Noæ reliquum ostenditur in Cardiæorum regione.* Sequuntur hunc idem planè diserti testati olim Theophilus Antiochenus lib. 9. & Isidorus lib. 14. Originum allegante Hornio ad Sulpitium, Abydenus, Chrysostomus: itidem Hieronymus, Eustathius, Eusebius *apud Bochartum cap. IV. lib. I.* Testatur Elmacinus Arabs, quem Erpenio debemus, Histor. Saracen. l. I. c. I. *Heraclium Imperatorem devictis Persis desiderio hujus loci visendi in urbem Thema* (quam Noah ad radices Ararat ædificâsse fertur, *vide Tavernierum p.* 16.) *se contulisse.* Testatur Haithon Armenus libro de Tartaris cap. 9. *apparere in cacumine montis Ararath semper aliquid nigrum in mediis nivibus, quod ab hominibus dicatur esse arca.* Et licet Benjamin Tudelensis in Itiner. affirmet

Digitized by Google

Anno

Anno Christi 640. à Califa Omar omnia arcæ ablata inquetabulatum templi ab ipso in Insula Tigridis constituti conversum esse, subleſtam tamen hominis fidem ſequentium ſeculorum experientia evincit. Quin hodie ſaltem fruſtum ligni ex arca in eo loco oſtendi tradit Johann Heinrich Seyfried *in Medulla mirabilium naturæ p.* 400. Omitto hic Johannis de Mandewil cap. 54. teſtimonium, qui poſt tot admixtas fabulas fidem decoxit; omitto partem trabis, quæ in Laterano Romæ oſtenditur. Omitto alias reliquias, quæ Schamachiæ in templo Armenorum viſuntur. *Olear. Itiner. p.* 399. omitto Armenorum omnium & Perſarum ſuper ea re conſenſum *apud eundem p.* 398. omitto alia veterum & recentiorum teſtimonia, quos citat Bochartus *Geogr. Sacr. p.* 26. & *p.* 352. Sufficiat ſolus Johann Janſenius Strauſs, qui anno 1670. menſe Julio ad Dominicum Alexandrum Eremitam in monte Ararath accerſitus, ut fractum illius crus obligaret, prolixè commemorat: *Se quinque dierum itinere montem aſcendiſſe per tras nubes & penetrantiſſimum frigus, tandem ad cellam Eremitæ delatum & temperatiſſimum aerem, ex cujus relatione didicerit, eum*

Digitized by Google

eum jam 25. annis ibi habitantem nec pluvias sensisse, nec ventos. In fastigio verò montis 15. mill. Ital. distante à domunculâ suâ tranquillius adhuc cœlum, ubi & arcæ ingentes visantur reliquiæ, ex quibus & crucem fabricatam ipse Straussius accepit dono. Vide ipsum Itinerar. cap. 18. p. 121. seqq. Et hæc sunt, quæ pro affirmante sententia adducere placuit. Jam contra adversarios arma expedienda. Tot seculorum illi ætatem objiciunt, & putredinem, cui sublunaria omnia sint subjecta. Nolo autem ad omnipotentiam Numinis confugere, aut ex miraculo mihi subsidium precarium comparare, licet non ignorem, providentiam divinam multa custodivisse in hodiernum, quæ fidem Mosaicæ historiæ adstruant. De putredine saltem dispiciendum. Hæc, si Philosophos audimus, corruptio est corporis naturalis ex dissolutione humidi & siccidi per calorẽ ambientis teporis. *Vide Sperlingium in Institut. Physicis p. 1022. Micrælium Lexico Philosophico p. 934. Thomam Willis de fermentatione cap. 8. Kergerum de ferm. p. 156.* Quæ omnia, in suo pretio relinquimus, sed in inferiore saltem aëris regione, ubi crebra tempestatum mutatio putrefactionem nimi-

Digitized by Google

um

um quantum promovet, imprimis æstatis tempore, cum calidior aër sulphur corporum evocat. Hieme certè ea corruptioni minus obnoxia esse & coqui norunt, & ancillæ. Cur ita? Subtilior tunc aër, & calor abest. In nostris etiam montibus solstitiali æstu vix tolerabile frigus sensere, qui Alpes, qui alia juga superarunt, qui tamen ad Ararath collata verrucæ videri queant; altissimum utique totius Asiæ. Unde parum abest, quin ultra sphæram putrefactionis abiisse locum arcæ dicam. Nec parum ad longævitatem momenti contulit navis materies. Lignum Gopher Moses vocat, quod quale sit ambigunt interpretes, quos vide *apud Fullerum Miscell. lib. 4. cap. 5. Bochartum G. Sacr. cap. 4.* Non ab re autem Chrysostomus *Serm. 24. in Genesin*, ligna ἀσηπτα interpretatur, id est incorruptibilia. Sive enim pinum cum plerisque eligere malis, *illa contra cariem tineasque firmissima Plin. lib. 16. cap. 42.* Sive cupressum aut cedrum, *illæ eodem teste cap. 41. vetustatem non sentiunt, teredines non pariunt*, ad quod ille notanter addit: *trabes cedrinæ in templo Uticensi* 1138. *annis duravêre.* Quid dicam jam de bitumine, quo intrin-

Digitized by Google

trinsecus & extrinsecus arca fuit perlita. *Gen. 6. 14.* Eo autem corpora hominum tàm fluida tabe ad ter millesimum annum servantur incorrupta. Miraris & dubitas? Mumias vide apud Athanasium Kircherum *Tom. III. Oedipi Syntagm. XIII. p. 398.* Reliquias inde, quas templa Armenorum custodiunt, in lapidis ferme duritiem abiisse, testantur qui vidêre. Hæc mea de hisce mens est, cui si quis assentiri nolit, dissentire tamen & viro bono esse per me licebit.

Digitized by Google

Pau-

Paupertatis Encomium.

NOn raro bilem mihi commovit insulsum istud apophthegma, quod de Johanne Metzlero Capitaneo quondam & Senatore Uratislavienſi refert Melchior Adami in vitis Jureconſultorum, dixiſſe ſcil. illum: Se malle podagram habere cum divitiis, quàm bonam valetudinem cum paupertate. Quanto verius & ſapientiùs Ptolomæus Philadelphus à carnifice hoc humani generis per multos dies tortus, cùm pauperes Ægyptios in ſabulo temerè diſtentos ac jacentes videret: Me miſerum, inquit, quod non ex illis unus ſum! *Athenæus lib. XII. p. 556.* Si tamen ſeculi noſtri ingenium æſtimes, habebit fortaſſe Metzlerus, qui podagricis licet pedibus in ſententiam ejus eant. Divitiæ enim ſunt, quæ hodie omnium puncta auferunt, & meretricio vultu, fucatoque ſplendore procantium animos ſibi conciliant.

Digitized by Google

ciliant. Tantum tamen abeſt, ut movear tam ſtulto delirantium præjudicio, ut patrocinium potius optimæ Paupertatis ſuſcipiendum putem, cujus contubernio ſvaviſſimo olim uſus ſum ſine ſtrepitu. Placidè illa accubuit nihil curarum remorata ſummam, & meo me ingenio ſine arbitris voluptatibus uti permiſit. Nec raro ſtimulis dormitantem excitavit, & quaſi Muſarum pronuba in amorem ſapientiæ pellexit. Neque tamen hîc mendicitatis bonam gratiam inire laboro, quæ ab obviis flebiliter ſtipem exigit, & inter extremæ inopiæ ſordes indignantem ſtomachum in craſtinum differt. Honeſtior eſt, quam nos in ſcenam producimus paupertatem. Illa ſcilicet, quæ reſectis ſuperfluis, ſecura tamen famis media inter pompas & ſqualorem incedit, ſuis contenta reculis hilariter famem obſonatur, obviisque cibis cum voluptate utitur.

Et Rhetores quidem, ſi quam rem laudandam ſuſcipiunt, ex tribus lecythis pigmenta depromunt, honeſtatis, utilitatis, jucunditatis. (In his quippe tribus totius encomii cardo imprimis vertitur.) Mihi verò de priore illa ne laborandum quidem. Naturæ enim ipſi ſacrilegas manus

Digitized by Google

nus afferret, qui in honestam Paupertatem diceret. Aspice nascentis hominis primordia! Nemo purpuram, nemo censum mundo infert. Nudi, & hâc in re ne animantibus quidem, quibus de vestibus saltim prospectum est, comparandi destituimur inter fletum & vagitus, quibus ceu infausto omine primam lucem auspicamur. Ubi tum imperia & superba ex divitiis arrogantia? Vincula nos exspectant, & omnium membrorum nexus. A supplicijs enim vitam exordimur hanc unam ob culpam, quia nati sumus. Hæc rerum humanarum primordia sunt, quæ ut misera esse lubens concesserim; ita inhonesta qui vocare ausit, non futurum spero. Aspice etiam nascentis mundi incunabula, & aurei seculi non laboriosam felicitatem! Invenies homines ad Dodonæas arbores glandibus victitare, atque arbuteos fœtus cum montanis fragis legere, aut quicquid inemptarum dapium benefica tellus protulerat. Quis non credat securam paupertatem, & otiosam sub his imaginibus describi inopiam? Nimirum nondum auri sacra fames invaserat hominum animos, nec cura

Digitized by Google

peculî. Beatam tamen vitam vivebant, & quæ nullis anxia curis de crastino parum sollicita sibi ipsi sufficiebat. Tam parum scilicet divitiæ ad beatè vivendum afferunt, ut earum absentia in summa felicitate ne sentiretur quidem; donec sequiora metalla cum amore habendi omne simul nefas inveherent. Sed nolo ex Poëtis infirmos causſæ meæ subdere tibicines.

Id ostendam potius, quid nostra ætate utraque fortuna aut prosit, aut noceat: quod commodiùs fieri non poterit, quàm si utriusque conditionis homines penitiùs paulò aspiciamus. Non opus jam est, ut populari convicio divitibus luxum, aut ganeas, objiciam. (neque enim mihi hanc invidiam fecerim, nec id de omnibus affirmare ausim.) Dantur inter hos egregiæ indolis homines, & quibus de meliore luto mentem Prometheus finxisse non injuriâ videatur; Sed rari sunt isti, & nigris cycnis similiores. Non id quidem opum culpa, quæ innoxiæ, si nobiliorem mentem invenerint, humiliter parent, non imperant. Animorum vitio fit, quicquid hâc in re peccatur. Nunquam enim satis cauta ad blanditias fortunæ morta-

Digitized by Google

mortalitas, &, qui inopes sanctius vivebant, post acquisitas opes aut superbia inflantur, aut avaritiæ morbo. Stultum quidem tam fragili metallo aut servire, aut obsequi: Sed communis iste error, qui cùm plerosque jam invaserit, penè nomen suum exuit, & nescio sub cujus virtutis larva turpi mangonio fallit. Si jam cereos illorum animos consideres, qui in spem ingentis patrimonii suscipiuntur, quis dubitet eos cum ipso nutricum lacte, & mollitiem, & opum amorem & fastū imbibere? Corrumpitur fomentis istis etiam bona indoles, & suam naturam blanditiarum consvetudo evertit. Et nihil adhuc diximus de devorandis molestiis, priusquam in aliquod opulentiæ fastigium enitaris. DEUS bone qui labores exantlandi! quæ ærumnæ perferendæ! Vigilant, currunt, navigant, sudant, frigent, conflictantur. His viis ad fragilia ista ascendimus. Paucis enim hodie Jupiter aureus in gremium descendit; sed multis curis opus est, quam primum ultrà votorum modestiam eveheris. Nec quieta quidem partarum opum possessio. Triumphat post victoriam miles: componit armamenta in portu nauta,

Digitized by Google

& otiatur post messem agricola. Solis opulentis nullæ feriæ. Aut enim in venturam famem nummos dispensant; aut ad ferramenti ictum cum Euclione trepidant. Violentus quippe à quærendarum opum studio ad negligentiam flexus; nec temere profundimus, quod multo labore quæsitum est. Vix somnum admittunt suspicaces oculi, & ad quemvis strepitum fures conclamant. Et adhuc de illis loquor, qui sat divitiarum se nactos esse felici persvasione autumant. Multorum sitis ipso potu accenditur, & in mediis aquis undas captant miseri. O fœdum tumultuantis animi æstum! ô infausta humanæ mentis ludibria! Sed pone nonnullos partis opibus benè uti, & suo indulgere Genio. Quem sponsorem perpetuæ felicitatis habent? Sive enim calamitas messem prostravit, sive segetes Sirius exussit, sive furum improbitas parietes suffodit, sive fortuitus ignis longo tempore collectas opes consumsit, dolendum, flendum, querendum, gemendum est. Pereant istæ deliciæ, per quas ne hilaribus quidem nobis esse licet. At quanto satius est abdicatis hisce curis in seipsum descendere! Supra fortunam est læta pau-

per-

Digitized by Google

pertas, cui cum ſuo animo benè convenit. Utcunque res ceciderit, illa ſecura futuri fatorum legem expectat. Quis magnam in parvo jacturam metuat? Nudum etiam latro dimittit, & inter ſicarios pauperi pax eſt. Quàm ſtultum autem eſt injuriis ſe exponere, & id agere, ut raptori ſceleris pretium apud te ſit? Opes tuæ ſunt, quæ te produnt, quæ alios in te armant, & prævaricatorem iſtum in ſinu geſtas! Non temerè quis ex domeſticis inſidiis evaſerit.

Sed audiamus, quid illi nobis objiciant:

Non facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi.

Prô fidem totius antiquitatis! Numera mihi omnes ſapientes, & vix decimum quemque inveneris, qui non in priſtino ſudaverit, aut ligna cernuus portaverit, aut manu vitam toleraverit. Fœcunda nimirum per omnem ætatem mater fuit Inopia ac felici puerperio quot lumina mundi dedit. Longum eſſet per omnem memoriam ire, multosque in rem noſtram teſtes producere. Itaque Tullium Hoſtilium, Tarquinium Priſcum, Servium, alios non nomino, qui ad purpuram, & faſces ex domeſticis ſordibus emerſe-

Digitized by Google

runt. Quis Socratem nescit patre marmorario, matre obstetrice natum? Quis Euripidem & Demosthenem ignorat? Recentiores jam sciens prætereo, quos sua fama in familiis Principum celebrat. Coërcet nempe illa mater luxuriantis animi spiritus, & intra seipsos cogit, ne vago errore dissipati marceant, quos natura indidit ad virtutem igniculos. Circumspicit illa supellectilem suam, & deprehensa egestate acrius ad altiora insurgit. Suspendit divites mendax supercilii arrogantia, & stulta rerum suarum persvasio. Durantur contra pauperes ad quamvis fortunam, firmoque latere insultus excipiunt. In orbem se colligunt, ne ictibus pateant, nec facile à gradu depelluntur. Eant & redeant incertæ sortis vicissitudines & summa imis misceant: paupertatem certè nemo invidebit. At mendicitas metuenda. Nos vicinæ paupertatis convictu occalluimus. Sed fames omni ope amolienda. Hanc facile expulerint, qui cupedias non sectantur, cibis obviis defunguntur. Quid interest quam pretiosa retrimentis pabula submini-stres? Magni emitur brevis palati voluptas, quibus suus non sufficit orbis; sed transmarina saltem esuriunt. Ipsi adeò

Digitized by Google divites

divites sincerè nunquam lætantur, nisi imitatione quadam paupertatis. Tunc enim rusticantur & depositа persona voluptates nostras delibant, quoties suarum ipsos satias cepit. Si verò sublimiorem cœli patriam spectamus, quàm tranquillo animo pauper illius decreta exspectat, & quam non gemens sequitur! Discedendum est. Non habet quibus impediatur sarcinis: in conducto se habitare novit. Quibus verò lautior res est, gravatim tanquam ex suo exeunt. Diversoria enim sibi tanquam mansuri ædificant operosè inepti, & paternæ hæreditatis immemores exilium suum stolidè amplectuntur. O quàm felix conjugium est Paupertatis cum tranquillo animo!

Digitized by Google

Babylonis ruina.

Medis atque Persis funesto excidio evertendam Babylona Jesaias atque Jeremias multis in locis prædixere, idque conceptissimis verbis. Tam tristi autem carmini quo pacto eventus responderit, in civili historia nuspiam ferè apparet. Cyrus enim mitissimi ingenii Princeps contentus abstulisse imperium, occidisse armatos, tantum abest, ut urbi violentas manus intulerit, *ut potius ad Alexandrum usque Magnum amplissima manserit civitas, incolis frequens & ædificiis ad miraculum usque conspicua.* Verba sunt Dn. D. Musæi *in Commentario ἀνεκδότῳ super Jesaiæ cap.* 13. Inde factum, ut mirè se torqueant Interpretes, qui nec sacris literis quid derogare, nec tanto consensui exoticæ historiæ contradicere audent. Multi Patrum allegoricè vaticinia ista interpretantur de conflagratione mundi; sed benè monet Hiero-

Digitized by Google

Hieronymus: *Jensam tropologicum inniti debere historico.* Grotius complementum vaticinii hujus ante tempora Nebucadnezaris collocat, quem refutat Dn. D. *Calov. Tom. II. Bibl. Enucl.* Calvinus Commentario ad Jeremiæ cap. 35. immodestius censet, *Prophetam modum excedere, cum excidium urbis in Cyri tempora refert.* Quia autem superiore programmate de reliquiis turris Babylonicæ quædam diximus, non alienum, fortè etiam non ingratum erit pro modulo ingenioli nostri ostendere, à quibus & quando destructa sit Babylon. Hodie enim vix vestigium tantæ urbis supereſſe testantur quotquot Orientem videre. Instar omnium sint D. *Rauchwolff* & Tavernier, quorum ille part. 2. cap. 7. *An der Stete, da die alte Stadt Babylon gestanden, ist dieser Zeit nicht ein Häußlein zu sehen gewesen, darinnen wir uns und unsere VVahren, biß auff unser verrucken hetten mögen verhalten.* & paulò post. *Diese Gegend ist gar wüste und dürre, das sie nicht zu bauen, auch so öde, das ich sehr gezweifelt hette, ob die mächtige und gewaltige Stadt allda gestanden were, wenn ichs nicht der Gelegenheit nach, auch beyden viel gar alten herrlichen antiquiteten, so hierumb gantz*

Digitized by Google

ode ſtehen, hette abnehmen und erkennen mogen &c. Hic autem p. 92. *Als wir an den Ort, allwo ſich die Tyger ſcheidet, an kamen, ſahen wir gleichſam einen Umbfang von einer Stadt, die wol ſonſten eine gute Meile im Umbgang mochte gehalten haben. Es hat daſelbſt noch einig- uberbliebene Stucke Mauren, die ſo breit ſind, das darauf wohl ſechs Caroſſen neben einander fahren konten* (Fundamenta hæc murorum, quos inter miracula mundi retulit antiquitas) *Selbige ſind von gebackenen Steinen, ſo gebrandt worden, und hat deren iedweder zehn Schuch ins gevierdte, und drey in der Dicke. Die Chronicken des Landes berichten, das dieſes von dem verfallenen alten Babylon uberblieben ſey:* Atque ita veritatem Prophetici carminis triſtiſſimus eventus ſatis comprobat. Sed notum hoc, inquiat aliquis. Cyrus verò autor cladis, & ſeptuaginta anni à Jeremia præfiniti cum gentili hiſtoria quî conciliantur? Hic, ſi quæ mea opinio ſit, citra cujusquam præjudicium aperire liceret, dicerem: Magnam partem prædictionem de terra aut imperio Babyloniorum intelligendam, quod omninò Cyrus omnium primus deſtruxit, & ad Perſas tranſtulit. Quo facto concidit ipſius urbis

Digitized by Google

bis potentia, & intra pudendas pomærii sui latebras cohibita emarcuit. Atque huc procul dubio Jeremiæ septuaginta anni sunt referendi. Quod prædictam civium cædem spectat, notum ex Herodoti lib. 1. *Babylonios ante ipsos muros instructa acie victos, & in oppidum compulsos:* notum est ex Xenophonte, *non sine cæde occupatam urbem, Regem ipsum obtruncatum.* At urbi Cyrus pepercit, atque ædificiis. Fateor, quamvis tantam cladem admodum negligenter describat Herodotus, initium tamen malorum omnium à Cyro. At quantis detrimentis Darius incolas attrivit? *procerum tria millia crucibus affixit, muros dejecit, portas demolitus est.* Herod. *lib. III. cap.* 59. Cumque sub Xerxe filio iterum rebellarent per Megabyzum, notante Ctesia, iterum subacti, procul dubio non sine sangvine toties perfidi. Tanti Babyloniis constitit veritas oraculorum divinorum! Et hæc quidem à Persis & Medis perpessi, qui & Beli illustre templum destruxerunt. *Diod. lib.* 17. *cap.* 112. Sub Macedonibus autem planè concidit, & velut tabe quadam sensim exstincta, quod non præcipitio; sed gradibus quibusdam ad vindictam sui divina procedebat ira.

Ita

Digitized by Google

Ita enim in verba Esaiæ cap. 14. *Cito venit & non tardabit, & dies ejus non extrahentur.* commentatur Basilius Magnus: *His verbis forsan certo quodam tempore præscribit ipsius eversionem.* Et Hieronymus in eundem locum ait: *Vaticinium istud adhuc suo tempore impleri.* Alexander certè ad stadia decem muri Babylonici partem demolitus scribitur à Diodoro *lib.* 17. *cap.* 115. in usum pyramidis, quam Hephæstioni exstruere decreverat (nisi fortè de Ecbatanis illud verisimilius memorat Ælianus *lib.* 7. *cap.* 8. ποικίλης. Quo autem præcisè tempore, omninò dejecta sit, definire accuratè non possumus. Diodorus, qui Augusti tempore vixit, *lib.* 2. *cap.* 9. *suo ævo Babylonis exiguam partem habitari tradit, maximam intra muros agrorum cultui expositam.* Ergò jam tùm ædes ad fundamentum usque dirutæ. Occasionem hujus damni Plinius annotavit *lib.* 6. *cap.* 20. *Durat*, inquiens, *adhuc ibi Jovis Beli templum* (ex turri Nimrodica hoc opus surrexisse jam alibi dictum) *Cætero circuitu in solitudinem rediit exhausta vicinitate Seleuciæ, ob id condita à Nicanore intra nonagesimum lapidem.* Et paulò post: *Invicem ad hanc exhauriendam & Ctesiphontem*

Digitized by Google

tem juxta tertium abeâ lapidem in Chalonitide condidere Parthi. Mox in hujus etiam æmulationem Vologesocertam (*Vologesiam Ammiano l.* 23.) Vologesus erexit. Deus bone, quot & quantæ urbes ex damnis Babylonis! cujus tota vicinia olim vicatim modò habitata, ut regia urbs populosior esset. In has veluti colonias cives abducti, ornamenta ablata, marmora in fabricam novorum oppidorum transvecta. Confer omninò Appianum in Syriacis, ubi Magos suæ patriæ interitum ex vicina Seleucia præsensisse, & dolo quodam avertere voluisse, scribit, reluctantibus tamen fatis. Occupaverat non seculum istud insania quædam ædificandi urbes, quarum unus Seleucus ultra triginta condidit, quas idem Appianus enumerat. *Sedecim scilicet Antiochias, sex Laodiceas, tres Apameas, unam Stratoniceam.* Primus, quantum memini, Pausanias, imperante M. Antonio Philosopho scripsit; *præter rudera quædam suo tempore nihil fuisse reliquum.* Hunc secutus Hieronymus *ad cap.* 13. Esaiæ tradit: *venationes regias esse in Babylone, & omnis generis bestias murorum ambitu contineri.* Post hunc Theodoretus *in Psal.* 64. *Babylon desolata fuit, & usque*

Digitized by Google

usq; in hodiernum diem sic permanet. Si autem ejus mentionem posteriorum seculorum scriptores faciunt, tenendum Seleuciam, quæ hodiè Bagdat, ita per errorem vocatam, quod & Plinius fatetur, dicto loco, & Bochartus latiùs probat.

Reliquiæ turris Babylonicæ.

QVatuor imprimis urbium morbi sunt, quos sonticos appellare queas, terræ motus, eluviones, incendia, bella. Horum assultu etiam illustrissima opera ita solo sunt æquata, ut aliorum nec tenue quidem vestigium supersit hodie; aliorum tam cadaverosa ex ruderibus facies eluceat, ut sine commiseratione rerum humanarum spectari vix queant. Insigne opus illustrium ruderum quis post Bisselium conficere, queat, si per Asiam tantùm ac Europam parietinas clarissimarum quondam urbium paulò curatiùs describere velit. Cogitet aliquis Niniven, Babylona, Susas, Persepolin, Trojam, Sardes, Ephesum, Lace-

Digitized by Google

Lacedæmona, Thebas, Athenas, Carthaginem, Romam, Capuam, quarum ferè omnium famam admiramur, vestigia quærimus. Et nisi fragiles chartæ memoriam custodirent, vacillaret humana fides. Nunquam tamen eluviones, nunquam terræ motus tantam stragem urbium dedere, quantam incendia; non fortuita quidem illa; sed bellorum fulminibus excitata. Cur enim Ninives (at quantæ urbis) vestigia jam Luciani ætate quæsita? Bellum omnia solo æquaverat. Quid ex tanta Carthagine non nisi aquæductus quosdam nobis reliquit: Bellum. Quid Persepolin veterem Orientis regiam ita destruxit, ut columnæ paucæ & deformes saltem ruinæ sub Barbaro nomine, Tzschilminar restant? Bellum fecit, atque ex eo incendium. Vide Mandeslojum, de la Valle, Tavernierum. Quid Romam, caput orbis, ita in genua dejecit, ut hodie in subterraneis cadaver pristinæ magnificentiæ sepultum cum horrore aspiciamus? Bellum. Longum esset damna totius orbis enumerare, & nemo siccis oculis nec legere quidem potest, quæ D. Jacob Spons de Athenarum, Ephesi, Sardium, Pergami, aliarum urbium statu hodierno curiosè adnotavit in Itinerario

Digitized by Google

rario Græciæ atque Asiæ. Addunt tamen alii præter hos & aliud morbi genus, vetustatem, quæ velut lenta tabe urbes sensim exedat atque consumat. Et notum illud Poëtæ

Mors etiam saxis nec marmoribusque venit.

Sed illa tamlento gradu ad interitum magnorum operum accedit, ut, nisi violentia quæpiam aliunde accesserit, mundo ferè aut saltem diluvio coæva etiamnum ostendantur rudera. Ut enim non memorem urbem Enos, quam Cain ædificavit, cujusque ingentia fundamenta visuntur ex relatione Annii Viterbiensis: nec ad Plinii mentem referam Joppen *antiquius terrarum inundatione oppidum*. Pyramidum certè moles post tot secula nihil aut parum damni à vetustate pertulit; sed invictum robur post tot secula mirantibus posteris exhibet. Sed has ipsas ætate antecedunt turris Babylonicæ decantatissima λείψανα, cujus structuram Historicorum antiquissimus *Gen.* 11. persequitur. Condita enim illa circa annum à diluvio centesimum primum, qui incidit in Mundi annum 1757. ex quo liquet, reliquias ejus hodie superstites triginta & octo seculis vetustiores. Insigne utique argumentum providentiæ divinæ, quæ

Digitized by Google

quæ Mosaicis scriptis autoritatem ex hâc reconciliare voluit. *Vide Grotium de verit. relig. Christianæ.* Cur enim de muris tantæ urbis, de hortis pensilibus, quos in miraculorum usque numerum extollit exotica historia, nihil reliqui mansit? Sed mittamus hæc, & turri potiùs curatiorem operam impendamus. Hæc in quam olim altitudinem evecta sit dubium est. Insaniunt hîc solennia Judæi, qui *in libro Jalkuth.* ad 27. milliaria usque extollunt. Josephus in molem illam excreviſſe scribit, ut suprema ejus pars vix visu deprehendi potuerit. Hieronymus *ad cap. Esaiæ XIV.* 4000. passuum sive unius milliaris Germanici altitudinem illi tribuit, sed ex aliorum fide, cui tamen ipse fidem adhibere veretur. In incerto autem omnia relinquit Bochartus *Geogr. Sacr. lib. I. cap.* 13. Stephanus ad Herodotum, Dn. D. Calovius in Bibl. Enucl. Osiander in Antiqv. Bibl. O. Dapperus in Asia sua imaginem quoque illius exhibent ex delineationibus Herodoti & Strabonis, de quibus suum cuique judicium relinquimus. Nihil autem mediocre cogitasse structores vel ex hyperbolica phrasi; *cujus fastigium ad cœlum usque pertingat*, satis colligitur. Verum enim

Digitized by Google

vero consilio ambitiosissimo eventus defuit. Confusio lingvarum, fulmina, venti, tempus edax rerum, manus violentæ destruxerunt insanam molem, & deformes ruinas nostræ ætati reliquas fecere. Imperfectum tamen opus in Beli templum conversum esse, quo de multa Herodotus, Strabo, Diodorus, alii, vix dubium est. Mallem autem rudera hodierna potius delineassent, qui veteris turris iconem tam accuratam & numeris omnibus architecturæ absolutam oculis subjecere. Id cùm à nemine factum sciam, sequenda scilicet erunt τῶν ἀυτοπτῶν vestigia. Id dum facimus, ejusmodi ferme illorum facies nascitur. Septem vel octo milliaribus Anglicis ab urbe Bagdat, quæ veterum Seleucia est, in immensa planitie, inter Tigrim & Euphratem indigesta quædam collapsorum lapidum moles conspicitur, & quæ integra ejus pars restat, ambitum habet 1134. passuum, altitudo turrim S. Pauli Londinensem quà maximè eminet, æquat, quà depressissima est, editissima Neapolis palatia. Materia ex lapidib. in sole duratis, quorum singulorum crassities dimidium cubitum, longitudo tres illius quadrantes complectitur. Cuique seriei lapidum bitumen cum arundine inter-

Digitized by Google

interjectum. In summo operis adhuc quadrata feneſtra conſpicitur: in medio cavitates nonnullæ, quarum uſus incertus. Ethæc rudera eſſe Nimrodicæ turris ad unum fatentur omnes Benjamis Tudelenſis, Ralph Firch Anglus, Eldered ejusdem nationis, Petrus de la Valle, Boulaye deGouz, D. Leonhardus *Rauchwolff*, alii. Solus Tavernier diverſam ſententiam ingreſſus ex accolarum quorundam opinione ſtatuit, molem hanc ab Arabum quodam Principe conſtructam in uſum Phari, ad quam ſuſpenſa ingenti laterna belli tempore ſuos ſubditos congregaret. Sed quis credat tam operoſum opus in hanc rem fuiſſe conſtructam, cùm multò minoribus impenſis turris alia erigi potuiſſet, quæ idem præſtaret? B. Hieronymus etiam ſupereſſe illius antiquæ rudera jam ſuo tempore teſtatus eſt, id eſt, eo, quo Babyloniorum regio nondum in Arabum poteſtate fuit. Antiquiſſimi autem operis eſſe, quæ hodiè viſuntur, reliquias uno ore plerique aſſerunt. Nec ſitus illarum repugnat, quod Tavernier objicit, contrarium affirmante Petro de la Valle accuratiſſimo talium rerum obſervatore. Iſtud ſaltem ſuſpicionem movere poſſet, quod laterem in ſole duratum

rudera hæc habeant, cum Moses coctili usos fuisse primos ædificatores testetur. Sed salva res est. Consilium enim illorum de urbe simul exstruenda initum, cujus muros ex latere cocto fuisse ipse Tavernierus ex fundamenti reliqui argumento fatetur, & de la Valle in ipsa turri ex utroque genere materiam observavit. Hæc scilicet sunt annosa illa cadavera tanti operis, quod Diodorus jam suo tempore vetustate collapsum esse scribit *lib. II. cap.* 9. Ex Herodoto verò satis constat, & Babylonis rebellis muros à Dario dejectas & ipsum Beli templum intra ambitum hujus turris collocatum à Xerxe eversum esse. Quo spectant etiam illa Strabonis lib. 16. *Babylonis partem Persæ diruerunt, partem consumpsit tempus, partem Macedonum negligentia, præsertim postquam Seleucus Nicator Seleuciam ad Tigrim condidit, stadiis tantum trecentis à Babylone dissitam.* Bellum igitur & hîc noxias vires exseruit. Infelix, inquam, & πολίπορθον bellum, cujus metu jam tota ferme Europa inhorrescit.

***

Digitized by Google De

De Juliani Apostatæ morte.

Magna res & difficilis est historia vel hoc nomine, quod, qui ad hanc scribendam animum applicant, studium partium deponere, & omnes affectus exuere oportet. Quotusquisque autem amicos vituperare, inimicos laudare, si merentur sustinet? Et tamen hæc vel præcipua historiæ lex est, ut ex Polybii libro primo Anna Comnena (fœmina sui sexus prudentiam supergressa, quæque Patris sui Alexii res gestas composuit,) eleganter monet: ὅτε τῶν φίλων καθάπτεσθαι, ὅτε τοὺς ἐχθροὺς ἐπαινεῖν ὀκνητέον. Sed hæc ipsa dictu, quàm factu faciliora esse ostendunt tot Historicorum exempla, ut vix unum, aut alterum ex omni memoria nominare possis, quem non abstulerit epidemicum hoc malum. Imprimis autem religionis diversitas magnam vim habet ad

Digitized by Google

senten-

sententias hominum corrumpendas, judicia pervertenda. Inde factum, ut quem Constantinum M. plerique omnes Christianorum laudant, Zosimus vituperet: quem Stiliconem Claudianus ad astra vehit, Rutilius & Eunapius acerbius tractent: quem Justinianum omnes alii commendant, solus Procopius in arcana historia indignâ rabie dilaceret. Sed fuerit sanè Christianos inter & gentiles illa judiciorum disparitas. Excusatiùs dissentiunt, qui tanto religionum divortio separantur, quanto à cœlo terrestria distant. Illud verò nullo modo ferendum, quod ex Christianis etiam castris nonnulli desultoria levitate ad paganos transfugiunt, & calculum in censendis Principum moribus in alia omnia transferunt. Et quamvis nemo prudentum inficias iverit, & piis Principibus suos fuisse nævos, & in malis quædam virtutum simulachra, ac velut inducias vitiorum repertas esse; nemo tamen sine stomacho legere poterit, Julianum à quibusdam doctis viris magnificè adeò efferri, hominem simulatorem, superstitiosum, magum, & (ut omnia complectar) Apostatam. Zosimos illi crepant, Eunapios, Libanios,

Digitized by Google

os, Ammianos, præ quibus Nazianzenus, Cyrillus, Athanasius, alii sanctissimi Patres illis ob odium transfugæ suspecti videntur. Et nescio an non sola ingenii & literarum admiratio horum applausum excitarit. Qui, si insanum Juliani ad magicas artes pruritum vel ex Eunapii Maximo (qui illum tamen θειότατον Ἰουλιανὸν eodem loco vocat,) didicerint, modestius utique laudarent hominem, nec Mercurii acervum pro Deo venerarentur. Crimen sanè magia etiam prudentioribus Ethnicorum exosum, detestabile, nefandum. De moribus autem Apostatæ cum aliquo ut committamur, nostri nunc non est instituti. Quâ verò ratione pœnas dederit scelesti transfugii, non gentiles modo cum Christianis; sed ipsi inter se tàm variè disceptant, ut cui auscultes potissimùm ambiguus hæreas. Usque adeò variam excitant tragœdiam! Neque istud novum. Atrocior quippe plerumq; fama circa dominantium exitus, & ubi nullus alii suspicioni reliqvus est locus, saltem venena finguntur, & domesticæ insidiæ, ut jam olim Tacitus, & Forstnerus ad illum observavit. Alexandri M. mors, quam invidiam fecerit

Digitized by Google

rit Antipatro norunt Historicorum filii. Mauritii etiam Electoris, & Gustavi Adolphi Svecorum Regis quàm improbos susurros excitarit, commemorare nihil attinet. Quid mirum si & in Juliani obitu simile quid ausa

Fama malum, quo non aliud mendacius ullum.

Sed age testes ipsos introducamus! Adesdum Ammiane, qui ipse prœlio interfusti, & bona, qua soles, fide edissere verum! Is autem nihil cunctatus lib. 25. p. m. 310. *Persas* inquit, *cum Julianus cavendi immemor diffluxisse trepidos (cerneret) elatis vociferando manibus apertè demonstrans, irasque sequentium excitans audenter effunderet semet in pugnam, incertum subita equestris hastæ cute brachii ejus præstricta costis perfossis hæsit in ima jecoris fibra. &c.* Sequente deinde nocte placidè exspirasse commemorat. Intromittamus etiam Eutropium hujus in eadem expeditione commilitonem. *Julianus*, ait ille, *lib X. c. 8. dum se inconsultius prœliis inserit, hostili manu interfectus est.* Nec aliter Sextus Aurelius Victor his ætate suppar in epitome: *cum inconsulto ardore nititur ordines ad prœlium compo-*

Digitized by Google *nere,*

nère, ab uno ex hoſtibus, & quidem fugiente, conto percutitur. Gemina his Sextus Rufus, niſi quod profundius vulnus facit: *cum incautius per agmen erraret, excitato pulvere ereptus è ſuorum conſpectu ab obvio hoſtium equite conto per ilia ictus inguinum tenus vulneratus eſt.* Gentilium igitur horum teſtimonio Chriſtiani à crimine cædis Imperatoriæ, quod Libanius ipſis intendit, abſolvuntur. Noſtri autem cum de autore & inſtrumento vulneris, tùm de reliquis circumſtantiis mirè inter ſe diſcrepant. Et ne teli minutias conſectemur, de eo, qui illud impegit, tàm fabuloſa ſunt quæ traduntur, ut prævaricationis ferme crimen metuendum ſit Chriſtiano, ipſorum verba, ſimplici fide commemoranti. Confer notas Lindenbrogii ad Ammianum, Celſarii ad Eutropium & Zoſimum. Quis enim vultum non ducat, cum legerit apud Damaſcenum de Imag. Orat. 1. *Apoſtatam à S. Mercurio martyre occiſum:* apud Sozomenum & Nicephorum, *à Mercurio & Antemio martyribus.* Nec deſunt, qui ab Angelo aut Dæmone cædem peractam ſcribere audent. Quid dicam, *cadaver à terra nec ad ſepulturam quidem admiſſum; ſed terræ motu exòuſſo ſub dio*

 Digitized by Google *jacu-*

jacuisse? uti Nazianzenus ex aliorum fide refert, quæ omnia vide apud Baronium & ejus Epitomatorem Spondanum ad annum Christi 363. Theodoretus, ut stylum nonnihil reflectam, lib. 3. cap. 20. primus πολυθρύλλητον illud addidit: *Ferunt, Julianum, simul ac plagam accepisset, sanguine manum implevisse, eoque in aerem projecto exclamasse: Vicisti tandem Galilæe!* Quem, licet mutatis nonnihil verbis, Nicephorus & Elmacinus, sequuntur. Hæc, si vera feruntur, non quærendum erit posthæc Theologis ex historia, præsertim civili, exemplum in Spiritum Sanctum peccantis. Sed hæc altioribus cathedris arbitranda relinquo. Ego quidem, ut sententiam hanc, quæ se autoritate tantorum virorum, & præscriptione insuper antiquitatis tuetur, negare omnino vix ausim: ita assensum meum suspendere forte licuerit homini libero. Cur enim Gregorius Nazianzenus, ut reliquos omittamus, qui odio Juliani stylum strinxit exilii sui dolore impulsus, & duas invectivas in αὐθαδάτην composuit, hujus rei ne verbulo quidem meminit? At opiniones de morte ejus omnes sollicite colligit, & de sepultura etiam rumusculis credit. Idem illi, quos antea nomi-

Digitized by Google

navi, Soli etiam & Jovi & Marti malè di xisse asserunt, quos ne deserat Ado Vien nensis, & succenturiatum velut odium in hominem effundat, *intestina etiam in aerem projecisse eum affirmat* p. m. 142 Idem scilicet Juliano contigit, quod mi sero Judæ & Pilato, quos Monachi lan guidulo stylo soricina nænia confossio res fecêre, ob nullam causam, quam quæ ita meriti videbantur. Ego quidem multa hîc affectibus data non dubito Facile enim deteriora de illis credimus quorum odio impleti sumus. Sed judicium esto penes prudentiores, & incorruptos talium rerum judices.

Digitized by Google

De Sepulchro Christi.

Cri quondam contentione de sepulchro Christi Saracenos inter & Christianos decertatum est, donec profuso utrinque multo sangvine Gotofredus Bulionius ipsam Hierosolymam recuperaret. Occupaverat enim homines pius quidam, sed nescio, an satis prudens fervor visendi loca Christi & Sanctorum vestigiis impressa, quem etiam Pontifices Romani non parum auxere, cùm septem annorum, & septem quadragenarum indulgentias visentibus pollicerentur & distribuerent. Postquam autem exorta luce Evangelii illa nundinatio evanuit, non immeritò quæsitum fuit: Genuinumne sit istud sepulchrum, quod hodie ostenditur, an secus? Et sanè prima fronte non infirma negantium videntur esse argumenta, quorum vel præcipuum est toties repetita

Digitized by Google

petita ejus sepulchri eversio. Eusebius etiam in partibus lib. 3. de vita Constantini expressè testatus: *Impios homines ex hominum memoria sepulchrum Servatoris delere voluisse, idque ut consequerentur, plurimam aliunde terram invexisse, quâ locum universum obducerent. Cumque molem terræ in immensam altitudinem evexissent, ipsum sepulchrum velut superjecto æggere sepelivisse. Et, ne quid infamiæ deesset, super illum terræ cumulum lascivæ Veneris Dæmoni recessum, exsecrabileque hustum animarum, victimis impurissimis ibi mactatis excitasse.* Idque factum esse Hadriani temporibus Hieronymus conqueritur *Epist.* 14. *ad Paullinum*, & alii. Sed benè habet, quod iidem illi scriptores ab Helena Constantini Magni matre locum repurgatum, & ingentibus sumtibus mira magnificentia templum in loco resurrectionis ædificatum confirmant. Conferatur Theodoretus *lib. II. Histor. Eccles. cap.* 18. Non superstes igitur modò fuit huic fato suo sepulchrum Dominicum; sed & nobilius multò surrexit. Id cum negare non possit Buntingius, à Calipha tamen Ægyptio eversum esse, & postea à Christianis, juvante Imperatore Constantinopolitano reædifi-

Digitized by Google

dificatum, & rursus aliquoties à gentilibus profanatum. Verùm de templo id factum ait, quod nos non adeò movet, de sepulchri integritate quærentes. Profanatio etiam sanctitati forte quîppiam obfuerit, non parietibus excavatæ rupis? Quando autem idem Buntingius addit: *à Tartaris ipsum sepulchrum excisum funditus & devastatum esse*, mallem tempus calamitatis hujus notasset. Quod tamen ipse neglexit Schweiggerus *lib. III. Itinerarii, cap.* 32. fecit. Ita enim ex mente adversariorum: *Die Historien bezeugen, das umb das Jahr Christi* 1246. *das heilige Grab von der Tartar König* Cassano, *und* Tamerlane, *wie auch vom Türckischen Keyser Mahomet sey gantz und gar zertrümmert worden, an dessen statt die Münche ein ander Grab gebauet, und fürs Grab Christi gezeiget haben, bis ietzund. Dergleichen zeuget* Zacharias Rivander in 2. part. Prompt. Exemplorum fol. 356. *das* Anno Christi 1226. *als Italien von mächtigen, und vielfältigen Erdbeben geplaget war, sey das Grab Christi zu Jerusalem etliche Ellen tieff unter die Erde gesuncken, daraus man möchte schliessen, das dis Grab Christi, so heutiges*

Digitized by Google

heutiges Tages ſtehet, keines Weges ſey das jenige Grab, darinnen Chriſtus unſer HErr begraben worden. Sed age diſpiciamus de ſingulis. Caſſanuſne iſtud ſepulchrum deſtrueret, quem Chriſtianæ fidei addictum Haitho de Tartaris *capitibus* 40. 41. 42. *& ſeqv.* ſatis laudare non poteſt? Coævus autem fuit ille iſtorum temporum & pars ipſe belli contra Saracenos Chriſtianorum hoſtes geſti, uti ipſe refert *cap.* 46. Ego quidem vix dubito fabulam hanc ab Innocentio IV. confictam, qui obſervante Adamo Bremenſi ad annum 1245. literas ad Germanos dedit, *conquerens flebiliter ſepulchrum Domini eſſe enormiter violatum à gente quadam Saracenica, quam Choreſmiorum populum appellat,* quas tamen Haitho ſaltem damna non immodica intuliſſe ait, *cap. XV.* His artibus ſcilicet illo ſeculo Papæ Chriſtianos Imperatores extrudere ſolebant, graves plerumque dominatui ſuo. Sequitur ut de Tamerlane quoque videamus. Sed ne hunc quidem ſepulchro Chriſti vim intuliſſe, ex Gumpenbergeri itinerario colligo, qui paulo poſt illius tempora Hieroſolymam cum monumento incorruptam reperit.

Digitized by Google

perit, Damascum autem adhuc in ruderibus jacentem. Et, quod palmarium est, sepulchrum hodiernum cum illo, quod Beda seculo VIII. describit, ad amussim ferè convenit. Nihil ergo aut parum mutatum ab illo tempore. Mahometem verò cum nominant, fallunt & falluntur. Hic enim vel primus ejus nominis fuerit necesse est, vel secundus. Neutrum verò ejus culpæ reum esse, vel ex eo apparet, quod sub utriusque imperio Hierosolyma Soldanis Ægyptiorum parebant, quorum provinciæ à Selymo II. demum superiore seculo subactæ. Rivandri sententia, subsedisse sepulchrum terræ-motu, vix digna quæ refutetur. Quid enim Italiæ terræ motus ad Palæstinam? Et si hoc jam anno 1226. factum Cassanus & Tamerlanes ævo posteriores nihil excindere potuerunt. Addo, quod frater Brocardus circa annum Christi 1283. salva omnia se reperisse testatur in peregrinatione sua. Et, si ullum operæ precium foret, possem per omnium à capta per Christianos Hierosolyma seculorum ire memoriam, atque ex peregrinationibus continuis demonstrare, statum sepulchri inviolatum mansisse, usque ad nostra tempora. Sub Caliph-

rum

Digitized by Google

rum autem & Turcarum dominatu ſervatum illud fuiſſe, non modo ex eo eſt, quod & ipſi honorificè de Chriſto ſentiunt; ſed & quod vectigale illud habent, & ampliſſima ex hoc ſepulchro ad ipſos quotannis redit pecunia, cujus ſumma ad 60000. florenos annuos non rarò excreſcit, quia ſinguli Europæorum Chriſtianorum novenos, qui ex Græcia, Syria, Æthiopia, Armenia &c. eò commeant ternos, quaternos, aut quinos ſolvere coguntur, antequam aditus pateat. Nec malè ſupra laudatus Schweiggerus in providentiam Dei cauſam hujus rei confert, qui voluit & hac ratione dominari in medio inimicorum ſuorum. Unicum autem telum adhuc declinandum videtur, quod in nos torquent, qui ſecus ſentiunt. Formam dictitant ſepulchri, diverſam eſſe ab ea, quam Evangeliſtæ deſcribant. Et veteris quidem ſtructuram Henningius Archæol. Paſſion. cap. 28. ex ſacris Pandectis dat, quam ſi cum nova Bedæ, Breitenbachii & recentiorum, (quos omnes Eraſmus Franciſci colligit *im Kunſt-und Sitten-Spiegel*) contuleris, in plerisque convenire videbis. Ego verò ut aliquam diverſitatem lubens admiſerim, ita tantam, quæ aliud planè ſepul-

Digitized by Google

chrum faciat, pernego. Sed placet etiam audire super hoc negotio Schweiggerum, & alios nostræ religionis homines. Ita autem ille lib. III. Itiner. pag. mihi 119. *Das heilige Grab bedüncket mich aber kein erdicht Heiligthumb, sondern in Warheit das Grab Christi seyn, in Ansehung, das dasselbige ohne Schrecken und ohne Entsetzen von niemandt, es seyen Christen oder Türcken, mag gesehen werden. Dann als ichs gesehen, gieng ich nicht der gestalt hinein, als hielt ichs fürs Grab Christi, sondern wie alle andere Heiligthumb verdächtig waren, als wenn es nur erdichtete Heiligthumb wären, oder Geld-Netze, also auch dis. Als ich aber hinein kam, in das Gewölbe, kam mich, und auch die Herren aus der Gesellschafft eine solche Furcht und Schrecken an, das uns alle Härlein zu Berge stunden, und unsbedunckte, wir schwebten zwischen Himmel und Erden, ja als wären wir von der Erden entzuckt. Es erweckte auch eine solche hertzliche Andacht und Eyfer in uns, gegen Christo, zum Gebeth und Christlicher Danckbarkeit, das über alle massen ist.* Et Doct. *Rauchwolff* pag. mihi 625. *Ich befand in meinem Hertzen und Gemüthe, das mir nicht anders war, als sehe ich*

Digitized by Google

den

den gecreutzigten unſern HErrn JEſum Chriſtum, den Sohn des Allerhöchſten &c. Et Hieronymus *Welſch*, fol. 122. Itin. *Wenn ein Menſch in dem Grabe iſt, er ſey was Religion er wolle, ſo wird ihm Angſt und Bange, neben grauſamer Furcht und Schrecken, alſo, das ſich darüber zuverwundern.* Hoc ſcilicet eſt, quod jam ſuo tempore D. Bernhardus ſermone ad milites templi cap. II. ſcripſit: *Inter alia loca ſancta ſepulchrum Chriſti prærogativam tenet aliquo modo, & neſcio, quæ major devotio ſentitur ibi, ubi poſt mortem quievit, quàm ubi vivus ambulavit.* Poſſem etiam addere ex multorum relatione, neminem obſeſſum eò inferri, à quo non ſtatim Dæmon diſcedat. Sed manum de tabula.

Digitized by Google

chrum faciat, pernego. Sed placet etiam audire super hoc negotio Schweiggerum, & alios noſtræ religionis homines. Ita autem ille lib. III. Itiner. pag. mihi 119. *Das heilige Grab bedüncket mich aber kein erdicht Heiligthumb, ſondern in Warheit das Grab Chriſti ſeyn, in Anſehung, das daſſelbige ohne Schrecken und ohne Entſetzen von niemandt, es ſeyen Chriſten oder Türcken, mag geſehen werden. Dann als ichs geſehen, gieng ich nicht der geſtalt hinein, als hielt ichs füts Grab Chriſti, ſondern wie alle andere Heiligthumb verdächtig waren, als wenn es nur erdichtete Heiligthumb wären, oder Geld-Netze, alſo auch dis. Als ich aber hinein kam, in das Gewölbe, kam mich, und auch die Herren aus der Geſellſchafft eine ſolche Furcht und Schrecken an, das uns alle Härlein zu Berge ſtunden, und unsbedunckte, wir ſchwebten zwiſchen Himmel und Erden, ja als wären wir von der Erden entzuckt. Es erweckte auch eine ſolche hertzliche Andacht und Eyfer in uns, gegen Chriſto, zum Gebeth und Chriſtlicher Danckbarkeit, das über alle maſſen iſt.* Et Doct. *Rauwolff* pag. mihi 625. *Ich befand in meinem Hertzen und Gemüthe, das mir nicht anders war, als ſehe ich den*

Digitized by Google

den gecreutzigten unſern HErrn JEſum Chriſtum, den Sohn des Allerhöchſten &c. Et Hieronymus *Welſch*, fol. 122. Itin. *Wenn ein Menſch in dem Grabe iſt, er ſey was Religion er wolle, ſo wird ihm Angſt und Bange, neben grauſamer Furcht und Schrecken, alſo, das ſich darüber zuverwundern.* Hoc ſcilicet eſt, quod jam ſuo tempore D. Bernhardus ſermone ad milites templi cap. II. ſcripſit: *Inter alia loca ſancta ſepulchrum Chriſti prærogativam tenet aliquo modo, & neſcio, quæ major devotio ſentitur ibi, ubi poſt mortem quievit, quàm ubi vivus ambulavit.* Poſſem etiam addere ex multorum relatione, neminem obſeſſum eò inferri, à quo non ſtatim Dœmon diſcedat. Sed manum de tabula.

Digitized by Google

De Trojæ reliquiis.

ILluſtria antiquitatis rudera ferè conſectati ſumus hucusque, quòd veneratione ſui non ſpectantium modò oculos; ſed & legentium oculos implere ſolent. Quo factum eſt, ut & de Athenarum hodierno ſtatu, & de ſepulchri ſancti λειψάνοις, & de reliquiis turris Babylonicæ, arcæque Noachicæ ſuperſtite alveo, aliisque ejusdem commatis pro ingenioli viribus & copia librorum neceſſariorum nonnulla commentati ſimus. Id ſi αὐτοληκύθους ſæpè factum quis criminatur, aut cogitet, progymnaſmata diſcipulorum ob varietatem argumenti ἀνόλυτα eſſe, aut permittat me uti ingenio meo, quo pacto cuilibet per me licet ἀνδραχιᾶν & caput ſuum coloſſi trunco imponere. Dum autem ego rudera veteris Trojæ perrepto, expectent me illi in Sigeo, & cepas interim terant. Hoc animo cùm ſim, rectà ad promontorium

Digitized by Google

um istud accedo, nihil jam moratus opinatorem Michalonem, qui in Fragminibus p. 35. ita: Ilium seu Trojam existimant fuisse in territorio Kiovienſi, in campis fertilissimis, nemoribusque amœnissimis, ubi cernuntur monumenta exstantibus adhuc multis ruinis, fornicibus, cryptis, pavimentis marmoreis, & magnorum murorum reliquiis, qui locus Torgovitza hodiè vocatur. Nec Rudbekium audire jam vacat, virum aliàs magnæ eruditionis, nec minoris judicii, aut disparis diligentiæ, qui Atlanticæ suæ, cap. 36. Trojanos ex Svecia sua arcessit, Idam in eundem septentrionem transponit & Trojam nescio quam Tab. 19. prope Upsalam collocat. Istamen scrupulus omninò eximendus est, captum ne sit unquam Ilium à Græcis, & an quæ hodie visuntur rudera veteris Trojæ sint. In priore illo quo minùs in caussa veritatis locum habeat illud in discessionibus usurpatum: Hæc pars major esse videtur, Dio Chrysostomus effecit, qui peculiari oratione ὡς οὐκ ἦν τὸ Ἴλιον μὴ ἁλῶναι fidem ejus rei destruxit, secutus fortè Metrodorum Lampsacenum, cujus Tatianus mentionem facit orationem ad Græcos. Huic pollicem premunt Erycius

Digitized by Google

cius Puteanus in Epistolis, Christianus Adamus Ruperti Observat. in Synopsin Besoldi min. *cap. 4. p. 73. & seq.* Et graviter, fateor, incumbunt, facileque autoritatem Homeri, quo totam rem niti ajunt, suspectam reddunt. Cum his autem aciem meam committere, jam integrum non est. Mihi quidem parum verisimile semper visum à re, planè conficta gravissimos Historicos Epochæ initium ducere, quod tamen Diodorus facit, & alii ab excidio Trojæ seriem annorum suorum numerantes. Consule sodes Strauchii Breviar. Chronol. *cap. IX.* Et si seculi Historici caput loco movetur, quid de μυθικῷ & ἀδήλῳ futurum? Quia autem lis ista nihil præjudicat λογοπέψει nostræ de ruderibus (potuit enim Troja & aliis casibus ad incitas redigi) ad alterum istud controversiæ membrum accedimus visuri cujusnam oppidi, & quales reliquiæ hodiernæ sint, quibus Trojæ celeberrimum nomen incubat. Hîc, ut ὕπερθεν πέρπερθεν ὁμηρικῶς faciamus, in compendium redigenda, quæ à variis αὐτόπταις consignata fuêre. Sunt illi *Rudolff Kirchherr* in Itiner. *pag.* 819. Schweiggerus *pag.* 96. Dapperus descri-

Digitized by Google ptione

ptione Asiæ *pag.* 229. Lewenclavius *lib.* 4. Histor. Muselmannicæ, J. Jacob Spons *p.* 42. Petrus de la Valle *Tom. I. p.* 6. 7. *&c.* Strauss. *p.* 44. Neidschuz *pag.* 30. 33. Res eò evadit, ut Bellonii verbis, qui etiam oculatus testis est, utar ex fide Magini Geogr. Nov. *cap.* 66. *fol.* 207. *b.* Trojanæ urbis rudera adhuc conspiciuntur, quæ admiranda videntur intuentibus. Nam murorum ambitus de urbis amplitudine satis amplum testimonium præbent, constant autem ex magnis saxis, variis & valdè spongiosis, nigris & duris forma quadringula incisis. Extant adhuc turrium, quæ in muris erant, rudera. Murorum, qui urbem cingebant, fundamenta adhuc apparent nonnullis locis suffulta columnis, & fulcris binas orgyas latis. Extra murorum ambitum secundùm regias vias videre licet magna marmorea sepulchra operis antiqui ex unico lapide instar cistæ excavata, quorum opercula adhuc integra sunt. Apparent duarum arcium rudera ex marmoreis lapidibus constantia, quæ omninò corrumpi nequeunt. In interiore urbis parte nihil nisi ruderum confusa moles conspicitur, cum toties excisa fuerit

Digitized by Google

erit hæc urbs, ut nulla integra remanserint ædificia. Eam ob causam omninò deserta est, nec quisquam ibi habitare potest, ob agri sterilitatem, & aquæ penuriam. Magni colossi Trojæ humi prostrati adhuc jacent operis antiqui, & restant adhuc in mœniorum ambitu nonnullæ portæ fere integræ. Hæc Belloni-us. Sed an referenda hæc sint ad cadaver veteris Trojæ, videndum. Affirmant multi, & ex recentioribus imprimis de la Valle, qui in perlustratione loci se antiquitatis quodam horrore sacro perfusum esse ait. Dubitat Spons & qualescunque parietinas has ad recentioris Ilii vestigia refert. Et committere quidem hunc Æserninum cum Pacidiano nostro in hâc arena possemus, nisi ille fide Strabonis, scriptoris utique gravissimi niteretur. Is quippe jam suo, id est Augusti Cæsaris tempore Geogr. *lib.* 13. diserte negans Trojam veterem unquam instauratam à posteris, in hæc verba erumpit: οὐδὲν ἴχνος ἐσώζετο τῆς ἀρχαίας πόλεως, i. e. nullum antiquæ urbis reliqvum est vestigium. Sed Alexandrum M. ex Ilio pago aliquot stadiis à vetere Troja remoto (unde istud novit Strabo, si nullum vestigium ejus remansit?) urbem fecisse pri-

Digitized by Google

primum. Post hunc Lysimachum muros circumdedisse ambitu 40. stadiorum. Tandem à Romanis excultam, variisque immunitatibus, ut veterem patriam ornatam fuisse. Prisci autem Ilii materiam ad restaurationem vicinorum oppidorum ablatam esse. Quæ ἀφανισμῦ ratio si non vera, probabilior certè, quàm illa Clarissimi Ruperti ex Demetrio Scepsio asserentis terræ motu & fluctibus absorptas esse.

- - *reliquias Danaum, atque immitis Achillei.*

Quod ne gratis dixisse videamur, paulò altiùs ἐξεταζολογίας istius memoria repetenda. Et Herodotus quidem Historicorum Græcorum, quos habemus, antiquissimus, Trojam à Græcis παντελεθρίῳ ἀπολωλεκέναι *lib. 2. cap. 120.* non negat, sub hoc lemmate: μεγάλων ἀδικημάτων μεγάλας εἶναι τιμωρίας παρὰ τῶν θεῶν. Succedit ætate proximus Thucydides, qui allegante ipso Strabone bello Peloponnesiaco tradit Trojam Mitylenæis ab Athenienses ablatam esse. Quî igitur terræ motu absorpta, aut diluvio obruta? Succedit paulo intervallo Lycurgus Orator, cujus eodem citante hæc verba: Quis non audivit Ilium semel à Græcis eversum,

Digitized by Google

quodnunc desertum est? Sequitur Alexandri ævum, qui in Asiam transiens sepulchra Achillis, Hectoris, Patrocli aliorum heroum integra eaque in littore sita invenit, atque veneratus est. Quo etiam factum, ut primus ille animum adjiceret ad restaurationem oppidi, quam Lysimachus deinde, atque alii perfecére. Ut jam silentio transeam Plinium *lib. 2. Hist. Nat. cap. 87.* Scepsio in os contradicere. Et in eo quidem statu mansit, usq; à C. Fimbria bello Mithridatico crudeliter pene eversum, sed sub indulgentia Romani imperii paulò post renatum. Primus autem Strabo est, qui loci controversiam Ilienſibus movere ausus fuit. Sed cur ille Hellanici tanto antiquioris, & Herodoti supparis autoritatem rejicit, & Ilienſibus gratificatum esse cavillatur, cùm scriberet novam & antiquam urbem eandem esse? Argumenta, quibus ex Homero utitur contra Ilienses, tanti momenti non sunt, ut aliquid conficiant, cùm multa Poëtico stylo, non Historico ille componat. Sed largiamur Straboni novum Ilium à vertere 30. stadiis abfuisse. Sed idem ille fatetur à Lysimacho ambitum murorum 40. stadia occupasse. Quid prohibet ergò, quo minus incluserit

Et

Digitized by Google

Et campos ubi Troja fuit,

præsertim cùm antiquitatis veneratio vel maxime Regem hunc moverit? Mihi igitur dubium non est, quin quæ hodie visuntur monumenta & ex vetere Ilio, & ex restaurato, & Romanorum quoque superstint operibus. Confirmant tot inscriptiones Græcæ & Latinæ, quæ passim occurrunt visentibus istam regionem. Pars etiam ex Constantini M. studio restat, quod me Zosimus docet *lib. 2. cap. 30.* Θεμέλιος τε, inquiens, ἐπήξατο, καὶ τεῖχος τὸ μέρος εἰς ὕψος αἴσησιν, ὅπερ ἄχρι νῦν ὁρᾶν ἔνεστι, τοῖς ἔπὶ τὸν Ἑλλήσποντον πλέουσιν. fundamenta jecit (inter Troadem scil. & priscum Ilium) & muri aliquam partem excitavit, quam adhuc videre licet, si qui in Hellespontum navigant.

***

Digitized by Google De

De Metempſychoſi.

Si quæ unquam opinio temporum locorumque ſpatiis diffuſa fuit, illa certè eſt, quam de animarum transmigratione futilis error propagavit. Illa enim cùm natales ſuos ad Patriarcharum ferè tempora admoveat, tantum abeſt, ut vetuſtatis detrimento obſoleverit hodiè, ut potiùs per Indiam, Sinas, Japoniam, Africam, Americam altiſſimas radices egerit in animis gentilium. Utque ſemper fœcundus eſſe ſolet error, ita & hæc perſvaſio innumerabili pullitie deliriorum Indos imbuit. Ex fonte enim hoc fluunt juvencarum nuptiæ ſumptuoſiſſimæ, vaccini ſtercoris ad luſtralem aquam, lotii ad extremam morientium unctionem uſus, beſtiarum ſplendidiſſima noſocomia. Hinc anxia illa cautio, ne vel per imprudentiam quippiam vivi perimant. Religio quippe eſt pediculos aut pulices occidere; ſed

Digitized by Google

captos

captos placidè in terram deponunt, ut alius hospitii copiam quærant. Aliqui etiam scopis instructi viam ad singula vestigia verrunt, ne fortè formiculam pedum pondere elidant. Urinam alii manu exceptam guttatim dispergunt, ne vesicæ diluvio vermiculum quempiam suffocent. Feces alvi (sit honor auribus) in profluentem dejiciunt; si enim in sicco excernerent, verminarent illæ, & miseris termitibus consumptâ patriâ pereundum foret. Ignem accendere noctu nolunt, ne blattis occasionem pereundi subministrent. Herbis solis victitant, quas ipsas, cùm vivere etiam credant, non evellunt radicitùs illorum religiosiores, sed stringunt saltem folia. Simiam certè, aut serpentem occidere piaculum esset,

Quod vix Oceanus pater abluat omnibus undis.

Ita enim persvasum sibi habent, hominum animas non in sui modò generis corporis corpora; sed & in bruta, plantas, arbores, saxa commigrare. Testes allegarem Vartomannum, Teixeram, Linschotum, Petrum de la Valle, Tavernierum, Dapperum, alios, nisi res tàm vulgaris esset, ut nemo tàm hospes in transmarina historia sit, qui ignoret, &

Abra-

Digitized by Google

Abrahamus Rogerus in compendio illos fisteret *in Indianischen Heydenthumb*, & Arnoldi *in aureis additamentis*. Unde vero fœda hæc deliria oriens acceperit, nondum in expedito est. Confutium, nisi fallor, Sinenses, Japonenses Xacam quendam, alii alios sectæ suæ Magistros nominant. Europæorum vero plerique Pythagoram substituunt in hanc culpam, credo, quòd ad Brachmanas quoque abiisse scribitur, quos tamen non docuit, sed audivit, teste Eusebio *lib. 10. Præpar. Evang. cap. 2.* Ab Ægyptiis ille hausit opinionem, si quæ fides Herodoto in Euterpe, quibus Indi omnem suam Theologiam debent, ut multis ostendit Athanasius Kircherus *in Sphinge Ægyptia*. Mihi verò dubium non est, quin à Manichæis Indi hæc acceperint, quippe qui primi animabus diverticula etiam in herbis constituerunt, cujus rei nec Ægyptiis, nec Pythagoræ in mentem venit. De Manichæis autem clara res est, ex Augustino *lib. de hæresibus cap. 46. Manichæi*, inquit ille, *& in pecora redire arbitrantur, animas & in omnia, quæ radicibus fixa sunt, atque aluntur in terra. Herbas enim atque arbores sic putant vivere, ut vitam, quæ in illis est, sentire credant*

Digitized by Google

dant & dolere, cùm lædantur. Propter quod agrum etiam ſpinis purgare nefas habent, & agriculturam, quæ omnium artium innocentiſſima, tanquam plurium homicidiorum ream accuſant. Et lib. 1. de Civ. Dei cap. 20. Numquid igitur ob hoc, cùm audimus, non occides, virgultum vellere nefas ducimus, & Manichæorum errori inſaniſſimè acquieſcimus? Confirmat inſuper hanc mentem Epiphanius *hæreſi 66.* diſertè teſtatus, quòd Manes natione Perſa errores ſuos in Indiam usque miſſo Apoſtolo quodam, quorum duodecim elegerat, propagaverit. Nec ab re recentiorē hanc eſſe apud Indos opinionem ex eo quis collegerit, quòd nec Cteſias, nec Arrianus, nec Strabo, nec antiquorum quispiam ſimile quippiam de illis referat. Vide B. Dn. D. Strauchii *recenſionem Manichæismi.* Carnibus autem uſos, venatui indulſiſſe plurimi tradunt illorum. Judæi autem, an eodem errore deſipuerint, Cameronem & Maldonatum inter ex una, Slevogtum ex altera parte, controvertitur. Negant illi, affirmat hic & latè probat diſputatione peculiari, quam omninò vide. Nos nihil addimus, præter quod Kircherus habet *Oedipi part. 2. c. 7. p. 534.* Statuere illos Abrahami

Digitized by Google

hami animam in Davidem commeasse, Davidis in Messiam transituram, idque Caballisticè probare. Et quod in libro Zahur tradunt, *decem Rabbinos, in quos animæ decem fratrum Josephi migrarint, ab Hadriano Cæsare capite plexos, ut plagium istud olim commissum ita expiaretur.* Ab Ægyptiis eos hanc hausisse verisimile est, quamvis sint, qui dicta quædam Scripturæ occasionem præbuisse velint v. g. *Joh.* 30,30. *Esai* 22,14. *Dan.* 4,30. *Mal.* 4,5. 1. *Tim.* 1, 16. Utrobique ergò innocens Pythagoras. Enim verò, ut dicam, quod sentio, ipsi huic viro injuria omninò fieri videtur, ut qui crassum hunc & crudum errorem nunquam erravit, sed sinistrâ discipulorum exceptum, quod ille dextrâ tradiderat, quale quid & Sadducæis olim, & deinde Copernicæis accidisse ferunt. Philosophus enim iste non Physicam, sed moralem μετεμψύχωσιν, aut potiùs μετενσωμάτωσιν, ut Jamblichus vocat, tradidit, quâ animi in pecorum affectus migrant & obbrutescunt. Ita mitiùs interpretantur Augustinus *lib. 7. de Gen. ad lit. cap.* 10. & *Lactantius lib. III. c.* 18. *de falsa Sapientia.* Aut, ut à carnium esu abstineret simpliciores ita finxit, ne videlicet in bubula aut suilla proavum forte

Digitized by Google

fortè comederent μαχαιρίδες illi, quæ sententia multis etiam veterum placuit. Cur verò, teste Platone *lib. de Legib.* Orphei anima in cygnum, Thamyræ Musici in alaudam, Ajacis in leonem, Agamemnonis in aquilam, Typhonis, & Ochi in crocodilum, Alexandri in Julianum Apostatam, ut ipse credi voluit, transiit habitatum, si non morale quippiam hîc latet? Vide Plotinum apud *Rosinum p.* 1523. Aut denique symbolicè, ut pleraque hujus Philosophi capienda. Didicerat ab Ægyptiis æternitatem divinitatemque animarum. Quid igitur mirum, si hanc ipsorum more hieroglyphico circulo expressam voluit? Rectè Pierius *fol.* 4. *lib.* 29. *unus circulus descriptus aut simpliciter, aut alteri cuipiam figuræ signoque circumductus nunc semper, nunc perpetuum, nunc æternum, nunc omnia significat.* Vide Kirch. *Oedip. part. II. cap.* 1. Nota Ægyptiorum hâc in re invidia, ut & Pythagoræorum, qui arcana sua sibi servabant, alios ænigmatibus fatigabant ex Lege Magistri sui: μὴ εἶναι θεὸς πάντας πάντα ἴσασι. Metempsychosis autem quid aliud, quàm circulus quidam animarum, cujus peripheria per varia corporum ducta in seipsam denique redit; aut, ut

Digitized by Google

Laertii verbis utar, κύκλος ἀναγκης, ὃν ψυχὴ ἀμειβόμενος ἄλλοτε ἄλλοις ἐνδύεται ζώοις; Quin imò, ut fortiùs stringam adversæ sententiæ propugnatores, ostendo crassam illam animarum circulationem adversariam exercere cum reliquis Pythagoræ dogmatibus. Quod enim brutorum formas attinet, illas oriri statuit ex vapore seminis, exque illo constare animam illorum disertè docuit notante Laërtio in ejus vita. Si autem propriam cuique formam generatio dat, quid opus aliena illa & adventitia? Animas puras à Mercurio in excelsum duci tradidit, impiorum autem vinciri à furiis infractis nexibus, quasdam etiam liberè per aërem vagari, ut idem Diogenes habet. Perit ergò & hic error ille animarum per aliena corpora. Sed quid, inquiat quis, fiet de tot veterum insimulationibus? Respondeo, quòd ab Hipparcho multa per injuriam Pythagoræ de eo scripta sint, quòd Laërtius non diffitetur *p. m.* 572. Atque in hunc censum procul dubio referenda, quæ Heraclides Ponticus memorat: *Pythagoram dixisse; se primo Æthalidem fuisse, deinde Euphorbum, post Hermotimum, hinc Pyrrhum piscatorem & tandem*

Digitized by Google

tandem Pythagoram. Dicæarchus enim & Clearchus apud Gellium *lib.* 4. *cap.* 11. quasi veriti, ne mendacium non suboleat, alios numerant, Euphorbum nempe Pyrandrum, Callicleam, Alcen meretricem.

Ex quibus opinor satis apparet, quàm iniquè Lucianus agat, & multi quoque Patrum, quorum ingentem catalogum contexit Vossius *de Philos. sect. pag.* 40. qui innocentis Pythagoræ caput sale Satyrico passim perfricant. Quin si vel maximè concederem, tam turpiter illum lapsum esse, miseratione tamen magis, quàm vituperio dignus videretur, si per tot umbras & nebulas veritatis lucem perspicere exactis oculis non potuit. Quam primum enim æternitas animarum asseritur, statim oritur quæstio de statu illarum post separationem. Hanc vero decidere ex lumine naturæ nemo poterit. Inde Platonicorum quoque & aliorum tam variæ hallucinationes. Errare illas, imprimis violenter exturbatas circa corpus suum, aut bustum, vel liberè per aërem vagari (*quod de brutorum formis etiam D. Joh. Lippius Metaphys. magnæ lib.* 2.

cap. 1. *defendere non veretur in extremo demum die annihilandas*) aut in Dæmonas mutari, vel lares, lemures, larvas, aut in cœlum redire, unde venerint. Confer Macrobium *in Somn. Scip. cap.* 13. Quin ne illis quidem, qui Christo nomen dedére, satis inter se convenit. Sunt qui dormire animas usque ad extremum diem conjectantur autoribus Irenæo, Chrysostomo, Augustino. Sunt, qui in Purgatorium descendere credant cum Pontificiis; Sunt qui piorum in cœlum, aliorum ad inferos abire affirment, sunt, qui prius istud negent. Vide sodes Magnum Calovium in Ἐσχατολογία *Sacra*, Dn. D. Meisnerum in *disputatione de statu animarum post mortem*, aliosque ex nostratibus.

Digitized by Google

An Pythagoras Proselytus.

Festivum oppidò, quod de Galatone pictore refert Ælianus lib. 13. ποικίλης, illum vomentem Homerum pinxisse, reliquos Poëtas vomitum haurientes, quia scilicet, ut paulò verecundiùs Poëta loquitur

- - ab hoc ceu fonte perenni
Vatum Pieriis ora rigentur aquis.

Si verò ad Philosophos transferendum foret argumentum imaginis hujus; neminem veriùs in tabellam retuleris, quàm Pythagoram, à quo cæteri usque adeò sua hauserunt, ut nec Platonem, nec Aristotelem, summos utique viros puduerit ex Ocello Lucano Pythagorico, dissimulato etiam nomine multa transcribere. Sed ut cætera Pythagoræ mittam, quæ ultro citroque jactari inter eruditos solent, nobilis imprimis quæstio est, fuerintne ille proselytus Judæorum & Ezechielis Prophetæ auditor, an

Digitized by Google

secus. Sive enim affirmes, sive neges, utrinque habebis qui allatrent, qui mordeant. Mihi verò, qui putidulas aliorum voculas & scabros dentes parum curo, statutum est ostendere, eos feliciori σχασμῷ uti, qui afferunt, eorumque sectam sequi. In quo si non verum: saltem ejus similitudinem deprehendisse videor, si probavero convenientiam ætatis, loci, doctrinæ. De ætate autem Pythagoræ non inter omnes convenit. Alii enim justo vetustiorem faciunt, & Numæ ipsius synchronum atque Magistrum, quâ de re vide *Plutarchum in Numa* & *Plinium lib.* 13. *cap.* 13. quem errorem etiam Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *Strom. p.* 233. errat, cùm Pythagoricum Numam vocat: nisi fortè sibi quis Pythagoræos etiam ante Pythagoram fingere velit. Idem tamen oblitus sui, dum antiquitatem Philosophiæ barbaricæ nimis extollit partium studio abreptus Aggæo, Zacharia & Malachia Prophetis recentiorem fecit, quos sub Dario Notho, non Histaspis, ut ille vult, vaticinatos esse manifestum est. Ex hoc autem fonte manat, quod paulò ante scribit: Ἀλέξανδρος. ἐν τοῖς περὶ Πυθαγορικῶν συμβόλων, Ναζαραῖόν τὸν Δευτέρῳ μαθητεύσαι ἱερεῖ τὸν Πυθαγόραν: Ἰεζεκιὴλ

Digitized by Google

κηλ τῶν ἡγουμένων τινες. οὐκ οἶδα ἢ ἰουδαῖος ἦν δηλωθήσεται, id est. *Alexander in libro de symbolis Pythagoricis refert, Pythagoram fuisse discipulum Nazarati Assyrii. Quidam Ezechielem eum existimant; sed non est, ut postea manifestum evadet.* Sed nihil habet optimus Clemens, quod opponat, quam erroneam suam Chronologiam. Itaque respondeat Clementi Seldenus, qui ita *Syntagm. 2. de Diis Syris cap. 1. Certe accuratissima Chronologia Ezechielem & Pythagoram inter L. & LII. Olympiadas simul floruisse docet. Ideo & Nazaratus ille, quin Ezechiel fuerit, non adversatur temporum ratio.* Et hic calculus approbatur ab Eusebio, Scaligero, Helvico, & quibus non melioribus? Vide de his Vossium *de sect. Philos. cap. 6.* Hornium *Histor. Philos. lib. 3. cap. 11.* Sed fuerint, inquiat quis, uterque coævi. Quid autem homini Græco cum Ezechiele Judæo, qui in Babylone tunc exulabat? Non hîc utar Neanthis autoritate, qui Syrium vel Tyrium eum fuisse scripsit teste Clemente; non Ambrosii, qui ex populis Judæorum omninò genus duxisse illum tradidit. Sed esto Græcus: esto Samius. Nodum tamen solvit omnium optimè Eusebius *lib. 10. præpar. Evang.*

Digitized by Google

cap. 2. his verbis: *Non Pherecydem modò Syrium, sed Persarum etiam Magos audisse Pythagoram ferunt eâ tempore, quo Judæorum alii in Babylonem, alii in Ægyptum transmigrarunt.* Concinit etiam de peregrinatione hâc Pythagoræ omnis Philosophorum, Historicorum, Rhetorum chorus. An verò in Judæam ipsam discendi caussa penetraverit, dubitat quidem Lactantius *lib.* 4. *de verâ sapientia cap.* 2. *p. m.* 226. *Unde equidem*, inquiens, *soleo mirari, quod cum Pythagoras, & postea Plato amore indaganda veritatis accensi ad Ægyptios & Magos, & Persas usque penetrassent, ut earum gentium & sacra cognoscerent (suspicabantur enim sapientiam in religione versari) ad Judæos tantùm non accesserint, penes quos solos erat, & quo facilius ire possent. Sed adversos arbitror divina providentia, ne scire possent veritatem, quia nondum fas erat alienigenis hominibus religionem DEI veri justitiamque cognoscere.* In Palæstinam tamen etiam venisse, magnos habet autores, quorum familiam ducit Porphyrius & Strabo, suo etiam tempore ambulacra Pythagoræ, è Sacerdotibus ostensa, tradens. Conversatus autem ibi cum Carmelitis Eliæ & Elisæi doctrinam pro-

Digitized by Google

professis, ut habet Vossius *c. 6. de Phil. Jud.* An autem Bardesanem auditurus huc venerit, quod Athanasius Kircherus tradit, valdè dubito. Sive enim Historicum intelligas, sive hæreticum, uterque multis seculis posterior. Sequitur, ut de doctrinæ etiam similitudine nonnulla proferamus. His ut facilior via muniatur, testimonia veterum præmitto, quorum primus Josephus *lib. 1. contra Appionem* ex Hermippo Historico ita: ὁ πυθαγόρας Ἰουδαίων καὶ Θρακῶν δόξας μιμούμενος καὶ μεταφέρων εἰς ἑαυτὸν. λέγει γὰρ ὡς ἀληθὴς ὁ ἀνὴρ ἐκεῖνος πολλὰ τῶν παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις νομίμων εἰς τὸ ἑαυτοῦ μεπενεγκεῖν φιλοσοφίαν. *Pythagoras Judæorum & Thracum opiniones imitatus & in sepipsum transferens. Dicit enim verò, quod ille vir multas Judæorum leges in suam Philosophiam transtulerit.* Hunc excipit Origenes contra Celsum *lib. 1.* Λέγεται δὴ καὶ Ἑρμιππον ἐν τῷ πρώτῳ περὶ νομοθετῶν ἱστορηκέναι Πυθαγόραν τὴν αὐτοῦ φιλοσοφίαν ἀπὸ Ἰουδαίων εἰς Ἕλληνας ἀγαγεῖν. *Dicitur etiam Hermippum libro 1. de Leguntatoribus tradidisse, Pythagoram Philosophiam à Judæis in Græciam attulisse.* Sequitur Clemens Alexandrinus *lib. V. Stromatum* ὡς δ' ὅλως, inquiens, ὁ πυθαγόρας καὶ οἱ ἀπ' αὐτοῦ, σὺν καὶ πλάτωνι τῶν ἄλλων φιλοσόφων σφόδρα τῇ νομοθετῃ ὡμίλησαν, ὡς ἔστιν ἐξ αὐτῶν συμβα-

Digitized by Google

λέξ δογμάτων. *Et omnino Pythagoras ejusque sectatores cum Platone imprimis Legislatore* (Mose) *usi sunt, ut conjici potest ex ipsis dogmatibus.* Similem locum ejusdem autoris vide Strom. I. Sed quænam illa dogmata? Primum omnium circumcisum fuisse Pythagoram, ne ipse quidem Clemens negat, licet addat, factum id esse, ut sacris Ægyptiorum interesse posset. Reliqua sunt de DEI unitate, de omnipræsentia, de non facienda illius imagine; de mundi creatione & hominum ad imaginem DEI, de Angelis, de inferorum suppliciis, de animæ immortalitate, quam Pythagoras gentilium primus aut docuit, aut didicit, de non injicienda nisi Pythagoræis manu. Tetractyn etiam sive quaternarium Pythagoræ de tetragrammato Dei nomine intelligunt eruditi. Et quamvis me non lateat, Meursium de Denar. Pythagorico, Weigelium in Tetracty mysteria quærere in numeris, altius tamen quid hîc latere & divinius ex eo colligitur, quòd Tetractym vocant παγὰν ἀενάου φύσεως, θαῦμα μέγιστον teste Photio in *Excerptis Nicomachi Geraseni p. m. 239*, ἄλλως θεὸν, πολύθεον μᾶλλον ἢ πατρόθεον, id est *fontem æternæ naturæ, maximum miraculum, novum Deum, & qui-*

Digitized by Google

quidem multiplicem, imo omnium Deum, quodque per illum jurant. Vide de his omnibus Petrum Danielem Huetium *in Demonstrat. Evangelica prop. IV. pag. 29. & seqq.* Filiam quoque Philosophus ille Judaico nomine Saram appellavit. Non inficias tamen ivero, Laërtium multa etiam de Pythagora tradere, quæ gentilem animum potiùs ostendant, quàm verâ religione imbutum. Sed nec illud negandum ex variis illum scriptis varia, & non raro pugnantia sine judicio consarcinare, ut industriam saltem suam probet. Et hæc fere sunt, quæ Pythagoram proselytum fuisse probant; argumenta, quæ si non singula, saltem universa valebunt.

Ger-

Digitized by Google

Germania olim aſpera cur hodiè cultiſſima.



Æpè me in admirationem abripuerunt peregrinantium relationes de quorundam locorum ſterilitate hodierna, quos uberrimis olim fructibus ad miraculum usque abundaſſe legimus. Babylonis agrum ducenteſimo, alicubi & trecenteſimo fœnore meſſes reddidiſſe Herodotus ἀνυπόπτως tradit *l.*1, *c.* 93. Hæc ubertas ſoli velut exhauſta Plinii ætate ad centeſimum quinquageſimum redacta eſt, ut ipſe ait *lib.*18. *cap.*17. Si verò quis hujus ſeculi teſtes conſulat claſſicos, non ſine ſtupore audiet alia omnia referentes. Inſtar omnium ſit D. Rauchwolffius *Itin. Orient. part.* 2. *cap.* 7. qui ita: *Dieſe Gegend iſt gar wüſte und dürre, das ſie nicht zu bauen, auch ſo oede, das ich ſehr gezweifelt hätte, ob die mächtige und gewaltige Stadt alldageſtanden wäre.* Meſopotamiæ pingviſſima quon-

Digitized by Google

quondam pascua satietate pecora perimebant, nisi à pastu repellerentur, teste Curtio *lib. 5. cap. 5.* Taverniero autem referente hodie tam sterilis est, ut nec humano quidem cultui cedat *lib. 3. pag. 73.* Terræ autem Judaicæ felicitatem ipse Deus passim prædicat, & Thalmudistæ prodigiosis mendaciis in immensum augent. Sed, nî grave est, audiamus unicum nugatorem. R. Chaja in tractatu Ketuvot *fol.* III. ita ampullatur: *Vitem reliquit mihi pater meus, ex ea vindemiavi primo die uvas trecentas, quarum binæ utrem musto replebant. Altera die vindemiavi uvas trecentas, quarum binæ utrem musto replebant. Tertio die vindemiavi uvas totidem, sed quarum tres ad utrem musto implendum exigebantur, atque plus dimidia uvarum parte colligere neglexi, omnibus, quibus volupe esset, earum comedendi potestatem faciens.* Planè quasi ex Rabbinorum proverbio decem cabi fœcunditatis descenderint in mundum, & novem sibi sumpsisset terra Israëlis, unum reliqvus orbis universus. Confer hîc πολυμαθέστατον Dn. Wangenseilium *in Excerptis Gemaræ pag.* 709. & 724.

Illa autem fertilitas an hodie desierit, inter omnes non convenit. Ipsi Judæi *in Mischna*

Digitized by Google

Mischna cap. 9. fatentur, ex eo die, quo templum devastatum, neque rorem salutis descendisse, & saporem fructibus ademptum & pingvedinem. His herbam porrigit D. *Rauchwolff part.* III. *Itiner. cap.* 3. *p. m.* 607. Daniel *Eklin p.* 754. aliique. Dissentiunt Princeps Radezevilius *pag.* 155. Frat. Brocardus *pag.* 871. Seidlizius *p.* 469. 477. & nuperrimè Fr. Antonius Alquilla Hispanus, in libello El divoto peregrino. *Etiam hac ætate* (1665.) *quâ Judæa à Barbaris gentibus possidetur, omnia vilissimo venduntur pretio, magnaque rerum est abundantia. Cum ego essem Procurator Hierosolymitanus, frequentissimum erat emere triginta perdices unico Imperiali, & columbas quadraginta eodem pretio. Fuit, cùm emerem pullos triginta tres nummo Imperiali, Gallinam quatuor obolis Hispanicis. Paravi aliquando ova triginta duobus obolis, carnis vervecinæ libras quatuor sex obolis.* Reliqua vide apud Wagenseilium *Notis ad Sotam pag.* 1137. Quam litem forte quis composuerit, si dicat Ekelinum cum sociis sterilibus annis Palæstinam invisisse, alios felicioribus. Multum quoque ad annonæ vilitatem confert hominum infrequentia, paupertas, abstinentia Non parum tamen

Digitized by Google

tamen hanc terram γεωτομίας remisisse de pristina ubertate, qua olim illa non ita magnis spatiis inclusa tot myriades benignissimè aluit, dubitandum planè non est. Vide Besselii Topothesiam Palæstinæ *p.* 14. Dapperi Palæst. *p.* 6. & 10. Fidem ferme humanam superat Josaphati tempore in solo regno Judæ 1160000. milites numeratos, nisi supra illam esset sacer codex 2. *Chron.* 17. Jam si cogitet aliquis impuberes & sequiorem sexum triplo plures conficiet, hoc est, supra 348. hominum myriades.

Lætioris verò argumenti est Germaniam nostram Taciti ævo informem terris, asperam cœlo, tristem cultu aspectuque aut silvis horridam, aut paludibus fœdam, autumni bona ignorantem, hodie ita faciem mutasse, ut nulli regionum secunda in stupendam planè fœcunditatem exuberet. Ubi enim hodiè tot paludes? Ubi Hercynia silva in latitudinem novem, in longitudinem 60. dierum iter (id est à Rheni fontibus ad Borysthenem usque) patens? Non me fugit quidem Dn. Olavum Rudbeckium hæc Taciti & Cæsaris verba de Sveonia sua interpretari, argumentisque satis pugnacibus in id incumbere stupendæ

Digitized by Google

pendæ diligentiæ libro Atlanticæ suæ, quem debeo liberalitati Fratris optimi Johannis Gebhardi, Potentiss. Elect. Brandeb. à consiliis aulicis ex ipsa Pomerania nuper transmissum. Id si admiseris, nihil verius vel hodie de Septentrione illo dictum esse videbis. Cùm verò Seneca *c.* 4. de *Provid.* Livius, Strabo, reliqui, quos Ortelius allegat, de Germania nostra non dissimilia dicant; quin de eadem ista capienda quoque sint non dubito. Caussæ saltem tantæ mutationis quæ sint curatius paulò quærendum; quarum non unæ ad fertilitatem regionum concurrunt. DEUS, cœlum, astra, tempestates, aër, clima, situs, solum, & maximè cultus hominum. Et DEUS quidem solem pluviamque pari ferè indulgentia piis impiisque dispensat. Nec reliqua superiorum caussarum ratio quicquam mutavit. Eodem cœlo, eodem sole Germania hodiè, ac olim fruitur. Solum quoque clima rationem frigoris aut caloris non conficit, nisi quod utrinque ultra 60. gradum emoriatur natura ferendis frugibus inepta. Frigore autem non temperatæ modo; sed & ipsa Torrida non raro inhorret, si ad montium viciniam accedat. Atlas certè, si qua Johanni

Digitized by Google

hanni Leoni fides, *lib. 1. descript. Africæ c. 27. frigidissimus, & circa eum æstate quidem licet pecus agere, cæterum hieme nullo modo. Mox enim simul cum nive tam increvescit Boreas, ut omnes pecudes, quæ in pascuis inveniuntur, nec nec non & bonam hominum partem interficiat.* Chilensium flumina proximè Tropicum Cancri sita, singulis noctibus intenso frigore congelascunt, & Franciscus Draco ad littora N. Albionis circa gradum latit. septent. 40. intolerabile frigus sensit. Nec insolens nostris nautis sub ipso Æquatore, nocturno gelu ita affligi, ut in navium tabulatis consistere vix queant. Brasilia contra & Zeilon torridæ Zonæ partes temperatissimo aëre fruuntur. Videsis *L. Phil. Mulleri Horologiam.* Germaniæ verò solum, sati patiens judicio quoque veterum, sine cultu tamen mansit, sive incolis ignavum videbatur sudore parare, quod sanguine possent, ut Tacitus ait; sive Svevi (quos Svecos Dn. Rudbeckius probat *cap. 24.*) publicè maximam putabant esse laudem, quam latissimè à suis finibus vacare agros. Hâc re significari magnum numerum civitatum suam vim sustinere non potuisse, ut Cæsar habet *lib. 4. bell. Gall. cap. 1.* Unde & Usipetes & Tenchteri apud eundem

Digitized by Google

undem queruntur, se prohiberi agricultura à Svevis. Quo factum est, ut per 600000. passuum, id est per 10. continuos gradus à Rheno usque ad promontorium Scaniæ solitudo esset.

Quando verò Germania cultum primùm admiserit, dicere quidem exactè non habeo, quòd & Berneggerus *in Quæst. miscell. & Zeilerus in Itiner. German.* hanc quæstionem ne movent quidem. Non dubito tamen, quin Romanorum hoc beneficium sit. A partibus trans Danubianis cœpta res procul dubio, ubi & mitius, & cœlum, & Vindelicia, Noricum, Rhætia provinciæ Romanorum multis coloniis veteranorum ad custodiam ripæ celebres. *Vide Cluveri German. antiq. & Schedium de Dis Germanorum.* Misnia autem nostra cum vicinis regionibus Henricorum atque Ottonum tempore, aut paulò ante urbibus frequentari cœpta, quarum paucissimæ certa fide ultra hæc tempora origines suas extendere possunt. Hunnorum atque Slavorum metus, qui magnis agminibus patriæ campos persultabant, mænia circumdedit, ut haberent, quo ingruente periculo reculas suas transferrent, idque mandante Hen-

Digitized by Google

Henrico Aucupe, de quo Hedionis Chronicon legendum. Hic heros primus ferociam hostium istorum repressit cæsis Vandalorum 120000. Hunnorum 300000. Ita securitas rebus parta, nobilitas constituta. Tunc crescente urbium numero excisæ paulatim silvæ, siccatæ paludes, quæ cum frigore sterilitatem exhalabant, & omnia transalpinum quendam nidorem induerunt. Tum denique cœpere nostri *cum ubertate & amplitudine soli sui labore contendere; pomaria conserere, hortos sepire, prata rigare*, ut Taciti verbis utar. Vini serior usus, quia minus necessarius. Hoc patria nostra Anno demum Anno 1373. primùm colere instituit, cujus rei Albinum autorem habeo *in der Meisn. Land-Chronicke, Tit. 23. pag. 309.* Tandem superiore seculo Flora quoque cum transmarinis deliciis recepta, quarum amor utinam intra elegantiæ terminos staret, nec ad luxuriæ extrema exorbitaret! Breviter. Nullus in Hermunduris angulus, qui cultorum suorum laboribus non egregiè respondeat, aut segetum ubertate, aut pomorum copia, aut, ubi asperior ex montibus tractus, inexhaustis metallorum divitiis. Quæ

Digitized by Google

subterraneæ messes tanto certiores, quod nec Sirii ardoribus exstinguuntur, nec ex aëre vitium trahunt, nec grandinibus obnoxiæ.

De Geniis domesticis.

On inter imperitum modò vulgus, sed & prudentiores variæ circumferuntur de domesticis quibusdam Geniis narratiunculæ. Nihil jam dicam de Cobaldis, & Spiritibus familiaribus & viruneulis metallicis, quorum noxiam officiositatem multi malo suo experti sunt. Ista verò curatiorem merentur observationem, quæ de mortis ominibus passim memorantur. Multoties enim observatum est fores concrepuisse, pulsatas, apertas. Strepitum, aut asserculi, quem funebrem vocant, (*das Leichen-Bredt*) cadentis sonum auditum, aliaque signa ἀδέκτορα fuisse data, quoties ex hâc vel illâ domo & familia aliquis in rationem Libitinæ venire debuit. Nec ulla tam delira est anus, quæ exemplorum farraginem effundere non gestiat,

Digitized by Google

gestiat, quantum libet tralatitiè rogata. Sunt etiam certis familiis sua gentilium funerum indicia, de quibus Richterus *in Axiomatibus Oeconom. reg.* 11. Longum autem esset enumeraret noctuæ cantum, canum quiritatus, felium vociferationes horrendas, cereos sponte exstinctos, vitra subito rupta, horologiorum & campanarum intempestivos sonos, præficæ denique (*der Wehklage*) gemitus ferales, quæ nonnullis ad instar lugubris fœminæ, aliis sub specie infantuli fasciis involuti apparuisse fertur, (unde & stulta quorundam persvasio; esse illos infantes non baptizatos) & qui sunt alii significandæ mortis modi, quorum legendorum voluptate qui tenetur, adire potest Camerarium *Oper. subsiliv. Cent.* 3. *cap.* 15. Berneggerum *Observat. Miscell. cap. XI.* Schottum *Phys. Cur. lib.* 6. *cap.* 6. Erasmum Franciscí *in der brennenden Lampe der Klugen.* Ernestum *in der neu zugerichteten Confect-Tafel, Tit.* 91. Caussæ vero omnium ejuscemodi paulo altiùs indagandæ. Et has quidem Pontificii obiter & perfunctorio vultu expediunt, cum ab Angelo tutelari, quem quilibet hominum simul ac natus velut comitem ac Pædagogum accipiat, id fieri communi-

Digitized by Google

ter statuunt. Qua in re consentientes habent, non Origenem modo & Chrysostomum, & Basilium, & Bernhardum; sed & ipsos etiam Ethnicos, ut clare ostendit Kippingius *Antiquit. Rom. lib. cap.* 1. Sed valde vereor, ut unico hoc ictu cadat arbor, tam lento vimine implicita. Neque enim perorata lis est de Angelo tutelari, &, si esset, præsagia omnia ad unam hanc caussam applicari non possent. Non quidem nego, sæpe hîc Deum ministerio bonorum Angelorum uti, & assensum extorquent tot exempla piorum à Bergmanno congesta *in Tremenda mortis hora part.* 1. *cap.* 2. *part.* 2. *cap.* 2. & 3. Sed in aliam classem referenda esse, quæ de præfica, canibus, felibus, aliisque hujus furfuris diximus, cuilibet paulò cordatiori patet. Hîc enim aut Dæmonum, aut naturæ opera intercedit. Nisi fortè cum gentilibus duos nascenti homini παρέδρους addere velimus, quam rem Plutarchus ita exprimit: Δύο τινὰς ἡμῶν ἕκαστον ὑποδέχεσθαι καὶ παραλαμβάνειν καὶ παρέχεσθαι μοίρας καὶ δαίμονας, ἐν θεᾶ χρόνου. Et Servius ad illud Virgilii: Quisque suos patimur manes. *Cùm nascimur*, inquit, *duos Genios sortimur, unum, qui hortatur ad bona, alterum, qui depravat ad mala.* Qua opinione & Patres non-

Digitized by Google

nonnullos fuisse, Schottus observat *Phys. Cur. lib.* 1. *c.* 15. Ita enim sequiora illa præsagia ad pejores naturas referre possemus. Fabulosum autem est, quòd Judæi Angelum mortis à bestiis conspici ajunt, invisum ab hominibus, atque inde esse illarum lugubres ejulatus. Vid. Dannhauerum *Hodosoph. p.* 1433. Rectius Linemannus *in Delicis Calendariographicis* rem ad emanantes è corpore morituri vapores refert, *quæst.* 1. *ad annum* 1651. Angelis autem bonis ista januarum ludibria, istas pulsationes adscriberè, alienum nimis à sanctitate illorum fuerit. Confirmat sententiam, quòd signis his sæpe nullus eventus respondit, nisi forte coacta interpretatione longinquo accersitus. *Convenerat Anno* 1679. *die* 18. *Decembr. venerandum, ut nunc loqui amamus, hujus urbis Ministerium in domo Præsulis Maximè Venerandi. Colloquebantur de re communi ipso meridie, & ecce fores pulsantur. Prospectat ex illorum ordine quispiam: nemo comparet; aurium fallacia accusatur. Dum dubitant, iterum aliquis pulsat. Iterum prospicitur, nemo videtur. Inde consternatio, & varia pro cujusque ingenio interpretatio. Quis enim non crederet aut domesticã, aut saltem alicujus ex sacro ordine cladem hic significatam esse? Mori*

ritiae autem post novem menses Princeps, & in hanc calamitatem incerta conjectura omen transfert. Mihi quoque aliquoties fragor contignationis totius, canum & felium clamores nescio quid mali denunciare visi sunt, sed nullo, quod bona hora bonaque fœva audiat, eventu. Finem esse ajunt, ut boni admoneantur, mali terreantur. Sed quoties moriturus, cujus maximè intererat, nihil tale sensit, prudenter dissimulantibus, qui ægroto assidebant, ne turbarent mentem aliis jam malis obnoxiam? Et num quid Mosen & Prophetas non habemus? spectrorum scilicet, canum & felium opera ad convertendos homines utendum erat. Sed est & aliud genus Geniorum, quod aut nunquam, aut raro sensu percipitur hominum. Unum, quod serpentes domesticos vocant (*Haus-Uncken*.) Odore tamen quodam sentiri ajunt putidulo, tumulis velut talparum excitatis & quadam glocitationis similitudine. Quos si arbitrio suo permiseris, bonum signum in domo esse, si irritaveris, virus suum aspergere cibis quamlibet oppidissimis, & in vaccarum uberibus vindictam exercere. Occidere autem illos, si copiam

fiat

sui præsagant, sub vero serpente, planè sacrilegum existimant. Memini enim, cùm ipse aliquando Wittebergæ ingentem colubrum in area domus apricantem arrepto asse peremissem, me à vetulis domesticis ferme pro exsecrabili habitum. Et tales forte sunt, quos Camerarius *Centur. I. Oper. subsec. cap. 69.* à Lithuanis & Samogithis adhuc coli instar Numinis affirmat. Genius enim, quem nascentibus addi putabant, per anguem plerumque ostendi putabatur, ut ait Servius. Confer & Dn. Fellerum *in Flor. Vallos. p. 372.* Alterum genus nomine caret, sola noxa percipitur. Sæpè gallinas, anseres, sæpè capros & alia animalia enecat aut promiscuè, aut certi saltem coloris. Reperiuntur enim manè velut magno pondere elisa in latum complanato cadavere. Si alterius coloris aves ultro paraveris, impunè aluntur. Confer Sigismundum Scherertzium de spectris *part. 1. cap. 1. §. IV.* Tauros quidem & gallopavos rubro colore irritari novimus, & ratio quædam in promptu. Quid autem spirituum interest, quo colore gallinæ alantur? Causam verò horum affectuum dare paulò operosius. Hinc Camerarius *Oper. subsec. Cent. I.* 39.

Digitized by Google

cœleste, alterum terrenum. Quæ deinde sequuntur, omninò legenda. Ex gentilium verò lacunis hæc hausta esse, nec ipse quidem Lactantius diffitetur. Vide & Pfellum *in Dial. de Operat. Dæmon.* Sed, nisi oppidò fallor, datâ operâ id agit & semper egit Diabolus, ut intermedias quasdam potentias esse persvadeat. Multum enim lucratus fuerit, si id obtinuerit, & facilius fidem inveniet. Inde horribus nano molestus, nonnunquam & utilis possidentibus fidem nocet, aurorem aliquam in sebastis speciosam patitur, pallet, prodest. Enimverò non ex damno, sed ex fine æstimandi sunt spiritus. Quos enim prohibentur à Deo pluta Torrent, aut ultrò ingruentes oppugnant. Breviter. Sive inepti à saltem illi sint, sive ludibria & terricula, à malis Genii ortum hanc trahere non dubito, cùm bonis id adscribere religio sit, & mediocribus non agnoscam. Denique, si unquam alias, & hic adhibenda est

* * *

De

De Arii morte.

NOn pauca circa Arii historiam occurrunt, quæ literatorum sententias divisere. A grammaticorum vero tribunalia remitto monstri hujus nomen, quod alii vitiosè duplici R. & correpta media scribunt & pronunciant, cùm Græci constanter ἄρειον habeant, quem Martialem Latine dixeris. Quibus quidem per me integrum est in Prudentii, Sedulii & Aratoris erroribus malæ causſæ patrocinium quærere, & siculneis interim tibicinibus inniti. De morte autem nefarii hæretici tam diversa à diversis traduntur, ut occasionem dederint nonnullis, quibus nescio an vicinitas aliqua errorum conciliaverit Arium, de tota re dubitandi, imo in censu fabularum collocandi. Priusquam autem in solido καταπελτῶ colloco, operæ meæ pretium facturus videor, si quæ passim traduntur, in satura velut lance proponam. Arium

Digitized by Google

una cum illo Macedonius, Sabellius & Eunomius ad improperium, ut prætereuntes sputis, urina & stercore eos deturparent. Hæc ex Athanasii, cujus in ea re maxima fides, *Oratione I. contra Arianos, & Epistola ad Serapionem fratrem pag.* 522. *edit. Comelin.* Ex Theodoreto *lib.* 1. *cap.* 14. Socrate *lib.* 1. *cap.* 25. Epiphanio adversus hæreses *lib.* 2. *Tom.* 2. *pag.* 715. *edit. Colon.* Sozomeno *lib.* 2. *cap.* 24. Nazianzeno *in Encomio Athanasii*, Simeone Metaphraste *in vita ejus edit. Comelin. p.* 551. Vita Athanasii incerti autoris ab eodem publicati *p.* 527. Gelasio apud Photium Bibliothec. *Tmem.* 88. *p.* 119. Metrophanis & Alexandri Actis *Tmem.* 256. *pag.* 776. alterius vita Athanasii *Tmem.* 257. *p.* 778. ἐξεταστικῶς ita se habent, ut Latinorum magnum agmen præteream, quod cogere jam non vacat. Horum omnium consensum veritati autoritatem sequuntur ex Reformatis plerique Pezelius Mellificio Historico *pag.* 265. Hottingerus & Hornius *Histor. Eccles. ille p.* 232. *hic* 85. Joh. Lætus *Compendio Histor. Universal. p.* 95. Hofmannus in Lexico. Tanto magis mirari subit, quid Isaaco Vossio *Observat. ad Melam p.* 265. & aliis Calvinianis, quos perstringit Joh. Dietericus *in*

refu-

Digitized by Google

refutatione & abstersione calumniarum contra Lampadii Continuat. Mellific. Pezel. in mentem venerit, ut hæc omnia inter figmenta numerare ausi fuerint. Fidem certè tot clarissimorum testium elevare velle crudum foret: Silentium Eusebii, Hieronymi, Sulpitii, Ammiani, Zosimi opponere absonum. Eusebius enim Arianus ipse & Arii ὑποθεσεις propria vineta cædere noluit. Hieronymus interpres in Chronicis de suo nihil addere debuit. Gentilium ea cura nulla fuit, & argumentum à silentio aliquorum ductum non valere norunt Logicorum pueri. Sed temporis forte dissensum objiciunt. Alii quippe rem ad Constantini Patris, alii filii rejiciunt. Ubi fateor cum Gelasio apud Photium, Rufino *lib.* 10. *c.* 13. Bucholzero *ad annum Christi* 336. quosdam Græcos hunc errorem erasse deceptos tùm nominis tùm temporis vicinia, simulque sententiam ejus Chronologi amplector, interitum Arii anno antecessisse mortem Constantini M. idque cum Socrate & Sozomeno. Controversa sunt singularum ferè Epocharum capita, citra tamen præjudicium rerum gestarum, quod Dn. D. Ægidii Strauchii quondam Præceptoris meritissimi, Breviar-

Digitized by Google

viarium legendi ad oculum patebit. Si autem de anno hæc vera sunt, quid mirum, si de tempore diei, quo Arius animam excrevit impuram, non convenit inter omnes! De modo rei gestæ plerique consentiunt, nisi quod Socrates præter intestina splenem simul cum hepate egestum commemorat, quod cum Anatomicorum quorundam rationibus pugnare videtur. Dysentericis quippe & tenesmo laborantibus intestina prolabi nihil insolens & Joramus Rex 2. *Chron.* 21. hoc fato obiisse scribitur. Confer hîc Voglerum *de rebus natural. &c. pag.* 183. Hepar autem & lienem vel integrè, vel frustillatim excerni posse per alvum, quamvis Hofmanno, Herculi à Saxonia, Swingero, Schenckio *lib.* 3. *Observat. Medicin. Observ.* 23. 47. 106. non absonum à veritate videatur; Kerckringius tamen *Observ.* 34. validè repugnat. Et, si naturæ vires æstimamus, posteriori huic calculus adjiciendus, quia supernè jecur per ligamentum membranosum, idq; satis firmum, cartilagini pectoris jungitur, & lumborum vertebris peritonæi interventu: infernè autem abdomini per vinculum umbilicale cohæret. Pari pacto lienis

pars

Digitized by Google

pars convexa adnectitur diaphragmati & costis cartilaginosis, renique sinistro: quoad concavam omento, ventriculo, & pancreati interventu vasorum & membranarum implicatur. Dicam itaque quod sentio. Græcorum alii τὰ ἔντερα, alii & τὰ ἀγγεῖα ejecisse Arium tradunt, quorum posterius cor, hepar, splenem, speciali significatu amplectitur. Inde factum, ut cum ἔντερα sive anu (per quem ego sphincterem intelligo) viscera quoque illa excidisse crediderint. Accedit, quod Athanasius, cui sua reliqui fermè debent, Arii casum cum Judæ proditoris exitu tragico comparat, allegans verba *Act. I. v.* 28. πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε. Quæ igitur ille comparatè scripsit, alii absolutè acceperunt. Si verò quis hac liberalitate mea in præjudicium caussæ nostræ abuti velit, repeto beneficium, & θέλατον quippiam, sive θειμωνίαν, ut Græci Photiani loqvuntur, & Epiphanius *loc. cit. p.* 722. accessisse statuo, quale quid in Judæ etiam morte agnoscit B. Gerhardus *Harmon. Evang. c.* 190. Sed oggerentes tamen illos audio: Si abruptis ligamentis in cuniculum viscera cum intestinis delapsa sunt, quis vidit? quis exenteravit hominem, ut caussam mortis deprehende-

Digitized by Google

henderet? quis prodidit Eusebianis & occultantibus & sepelientibus? Sed tantum abest, ut ita velut ἀντροβοεῖ nos ex castris nostris ejiciant, ut facilis etiam sit responsio, subterraneum non fuisse tantum, sed aliqua luce perspicuum. Et si illi factum modo concesserint, meum non fuerit ostendere, quo pacto emanaverit. Ignorat famæ ingenium lubricum, qui vi opprimere, minis continere, silentio coërcere sperat.

Φήμη δ' ἐς πάμπαν ἀπόλλυται, ἥντινα πολλοὶ
Λαοὶ φυμίζωσι. θεὸς νύ τις ἔξι καὶ ἀοιδή.

ut alicubi Ascræa Musa jam olim cecinit.

De

Digitized by Google

De Ovidii exilio & sepulchrô.

Duo imprimis in vita Ovidii sunt, quæ libera opinaturis relinquére discordantium inter se autorum dissidia, causa nempe exilii & sepulturæ locus. Prioris prætextum fuisse libros amatorios, ipse passim fatetur & excusat Elegia ad Augustum; veram autem culpam trepidè & variè circumloquitur. Nunc enim errorem vocat *lib. 2. Trist.*

Perdiderint cum me duo crimina, carmen & error.

Alterius facti culpa silenda mihi.

Modò se vidisse aliquid, & noxia lumina fecisse queritur: Modò criminis sui curiosos arbitros planè deprecatur, ut lib. 2. de Ponto:

Et quid præterea peccârim, quærere noli.

Tantum tamen abfuit, ut ita molestos hos homines amoliretur, ut potius malignam illorum sollicitudinem accende-

Digitized by Google

ret. More enim ingenii humani accidere solet, ut in vetitum nitamur, & nihil tàm misèrè nosse cupiamus, quàm à cujus conscientia prohibemur. Inde factum, ut Sidonius Apollinaris Juliam Corinnæ nomine turpiter traductam Poëtæ nocuisse putaret: Alii consvetudinem cum ipsa habuisse; Opmeerus in omen ruituri gentilismi relegatum crederet: multi etiam crudelitatem pœnæ intectati in vindictam adhuc acerbiores suspiciones armarent, & ipsum Augustum in filiæ incestu à Poëta imprudente deprehensum conjectarentur. Ab his ego multùm dissentio. Utut enim Princeps ille primùm adversus libidines parum firmus fuerit, tutiùs tamen fuisset tanti facinoris interventorem opprimere potiùs, quàm exilii contumeliâ irritare, & eò submovere, unde tutiùs fortè malediceret. Annon enim verendum fuisset, ne uxori, ne liberis, ne amicis caussam iræ Cæsareæ discedens proderet, & sic tamen res emanaret? An nec Julia quidem ipsa relegationis suæ ignominiam ulta fuisset incesti opprobrio? Vide *Svetonium Augusto cap.* 65. An nec Ovidius quidem post mortem Augusti tale quid eliminâsset?

Igno-

Digitized by Google

Ignorat ingenia Principum, & malæ conscientiæ suspicacissimos terrores, & famæ indolem, qui ista tàm facile credit. Sed ut adhuc arctiore nodo constringam hujus rei assertores, addo Ovidius mortuus est anno I. Olympiadis 199. septimo exilii, testibus Eusebio, Hieronymo & Scaligero, qui incidit in tertium Tiberii. Septuagenarius ergò Augustus erat, cùm relegaret Ovidium. Quis autem credat senem tàm prodigiosæ libidinis fuisse, ut nec à filia quidem abstineret? Quem Svetonius *cap.* 71. ait, *infamiam juvenilis impudicitiæ præsentis & posteræ vitæ castitate refutâsse.* Julia etiam filia jam tum supra quadragenariam erat (digna scilicet anus, in qua senex deperiret!) & ex Dionis computo ad annum 758. jam ante 27. annos in Insulam Pandatariam cum filia sua relegata, à quo tempore nunquam, licet deprecante populo, in gratiam rursus admissa, ut habet Svetonius. Mirari itaque subit tam magnos homines id facinus suspicari potuisse. Dubium autem nullum est, quin turpissimæ opinionis autor ipsis fuerit turpissimus Caligula, qui asserente iterum Svetonio *cap.* 23. prædicabat: *matrem suam ex incesto, quod Au-*

Digitized by Google

Augustus cum Julia filia commisisset, procreatam. Credo, ut suum ipsius scelus communicatione hac levius redderet, qui cum omnibus sororibus stupri consuetudinem fecerat. Sed jam ad alteram illam partem calamum verto, quæ de sepulchro agit. Tomos relegatum fuisse manifestum est. Nomen oppidi à fabulosa Absyrti dissectione ex historia Argonautarum arcessit ipse Ovidius *lib. 3. Trist. Eleg. 9.* & cum eo multi alii, contra quos ne lusoria quidem arma expedire operæ pretium fuerit intestinis intra se dissidiis laborantes. Confer Notas Thysii ad Medeam Senecæ *Act. 1. p. m. 108.* Verior illorum opinio, qui à Tomo quodam conditum asserunt. In cujus rei fidem affero verba Davidis Hœschelii Notis ad Bibliothecam Photii, *p. m. 962. Tomi conditoris nummus æreus Byzantio allatus exstat apud M. Velserum, parte adversa ipsum Tomi imagine & inscriptione* ΤΟΜΟC ΚΤΙCΤΗC, *aversa Hercule stante & literis* ΤΟΜΕΙΤΩΝ *insigni.* Quo autem tempore factum fuerit, reperire nondum potui. Illud tamen miror, ab Herodoto nullam oppidi mentionem fieri, qui tamen reliqua Ponti Euxini circa Istri ostia satis describit. An post illum demum

Digitized by Google

demum Tomi conditæ? Viderint quibus instructiores Bibliothecæ. Plinius quidem *lib.* 4. *cap.* 17. Mela *lib.* 2. *cap.* 2. Ammianus *lib.* 22. & 27. desultorie nominâsse contenti, nec verbulum addunt. Strabo oppidulum vocat *lib.* III. Ovidii certè exilio nobilitatum fuit. Ita etiam calamitates magnorum virorum, non ortus modò ad famam urbium faciunt. A Constantinopolitanis deinde Imperatoribus contra irruptiones Barbarorum præsidio munita fuisse videtur. Ita enim Zosimus *lib.* 1. *cap.* 42. & imprimis *lib.* 4. *cap.* 40. ubi Gerontii Tomorum præfecti casum sud more satis invidiosè Theodosio Imperatori exprobrat. Sita fuit, autore Ptolomæo in Mæsia inferiore tab. IX. Europæ *ad grad. longit.* 55. *lat.* 45. 50, quem meritò seqvuntur Ortelius & recentiores alii: Quod cùm ita sit, mirari quis possit, quod de intolerando gelu & sterilitate illius climatis adeò quiritetur Sulmonensis noster, cùm parallelus ille per Italiæ & Hispaniæ partes transeat. Aut igitur admodum mollis fuit ille teneroruṁ lusor amorum, aut ambitum calamitatis auxit excusabili quodam mendacio. Certè qui hodie illas partes vidêre mitius loqvuntur. Et hæc quidem

Digitized by Google

ideò pluribus, quia sequentibus fidem aut facient, aut adiment. Cùm enim de situ loci nemo veterum dubitaverit, & ipse Ovidius optimè testari queat ad pontum Euxinum, prope ostium Istri positum fuisse, factum est tamen superiore seculo, ut Cælius Calcagninus Temeswar Transsylvaniæ oppidum, Ciovonus & alii Kioviam Lithuaniæ mediterraneas urbes Tomos veterum esse ridiculè crediderint. Ille solius nominis vicinia ductus, hic sepulchri cujusdam detectione, quod prope hanc urbem cum inscriptione Ovidii repertum sit. Sed volupe fuerit de his differentem audire Laurentium Mullerum, consiliarium quondam Ducis Curlandiæ, *Wir haben einen Wohlinischen Edelmann mit uns gehabt, Woinusky genannt, denselben hat uns der Staroſta auff Drewhlowa mit zugegeben &c. Dieſer beredet unſer etliche, das wir weiter mit ihm zogen, dann er wolte uns das warhafftige Grab des* Ovidii *zeigen. Derowegen als unſer etliche ihm zu folgen willigten, hat er uns auff leichten Pferden des ſechſten Tags von* Boryſthene *durch einen ungebahnten wüſten Weg auf einen hübſchen luſtigen Platz gebracht, darauf ein friſches grünes bewachſenes Brün-*

Digitized by Google

Brünnlein, darnach nicht weit von demselben Brunnen, etwa einen Steinwurf lang, nahm er seinen Sebel, hiebe das lange Gras ab, und wir andern hulffen auch darzu räumen, bis wir durch etliche vestigia *des Grabsteins gewahr worden. Als aber auch die Buchstaben voller Mos bewachsen, ingleichen forne ein Stück vom Stein geschlagen, haben wir die Buchstaben mit den Messern gereiniget, mit Pulver ausgebrandt, und fein rein ausgewischet, und befunden, das solches mit des gedachten Woinusky Rede übereinkommen. Dann auf dem Stein diese vier Vers gehauen stehen:*

Hic situs est vates, quem divi Cæsaris ira
Augusti Latio cedere jussit humo.
Sæpè miser voluit patriis occumbere terris,
Sed frustra: huno illi fata dedére locum.

VVir haben von den Bäumen Hartz genommen, dasselbe mit Pulver im Feuer schwartz gemacht, und die Buchstaben damit ausgefüllt, auf das sie nicht leichtlich wieder bemoset solten. Der Ort, da der Grabstein liegt, ad fines Græciæ, *ist bewohnt gewesen, das siehet man an alten Steinhauffen, und an den lustigen Brünn-*

lein

Digitized by Google

kin. Der Woinusky berichtete, das nicht weit zum Ponto *sey, aber wir haben uns nicht weiter wagen dürffen.* Vide Zeilerum *Epistola* 400. *pag.* 677. Cum hoc autem ratione loci fermè convenit Michalo Lithuanus *in Fragminibus p.* 35. *Ibi*, inquiens, *Borysthenes involvitur mari duodecim ostiis divisus, &c. unde haud procul ostia Dnestri cognomen habent Vidono, ab Ovidio Poeta, qui eâ in parte Ponti exulâsse creditur.* Quæ deinde idem Michalo addit de Trojæ ruderibus prope Kioviam, etiam Heraclii splenem movere possent. Lazius autem *lib.* 12, *fol.* 967. tempore Friderici III. Imper. aliud illius Poëtæ monumentum repertum scribit Sarwariæ in Hungaria, quod Episcopus Jaurinensis jure diœceseos sibi vindicaverit, putatque indultu impetrato Ovidium ex Ponto Sabariam se contulisse, ibique mortuum esse. Quæ res tantundem fidei mereri videtur, atque illud, quod Isabella Regina Ungariæ Petro Angelo Bergæo ostendisse calamum argenteum Ovidii traditur Belgradi repertum. *Hofmannus in Lexico sub nomine Ovidii.* Sed ut meum quoque, si quod est, judicium interponam, ficta mihi videntur hæc omnia. Nam & Eusebii opinio Ovidium

Digitized by Google

dium Tomis sepultum antiquitatis præscriptione se tuetur, & majorem habet viri similitudinem, *vid. Scaligerum in Eusebium.* Fabulæ autem Lithuanicæ incunabula facilè deprehenderit, qui cogitaverit, quo ambitu hæc gens à Romanis originem suam arcessere soleat. *Vide Lansium consult. pro Polonia, & imprimis Michalonem Fragmine quarto.* Nec novum est supposititias inscriptiones vulgari post fraudem Annii Viterbiensis. Qui autem Tomos hodie Baba â Turcis dici putant, oppidum adhuc munitum & capaci portu instructum, aut rem acu tangunt, aut proximè absunt à veritate. Situs enim loci convenit, licet recens Danubii tabula Tomos paulò meridionaliores faciat. Sed contenti simus hoc Catone.

(o)

De

Digitized by Google

De Cyri ſepulchrô.

DE Cyri ſepulchro Curtius *lib. X. cap. I.* ait, forte ſepulchrum Cyri Alexander juſſit aperiri, in quo erat conditum ejus corpus, cui dare volebat inferias. Auro argentoque repletum eſſe crediderat, quippe ita fama Perſæ vulgaverant; Sed præter clypeum ejus putrem, & arcus duos Scythicos & acinacem nihil reperit. Cæterum corona aurea impoſita amiculo, cui adſueverat ipſe, ſolium in quo corpus jacebat, velavit, miratus tanti nominis Regem, tantis præditum opibus, haud pretioſius ſepultum eſſe, quàm ſi fuiſſet è plebe. Urbem verò ſepulchri alumnam Paſargadas vocat paulo ante & *lib. V. cap. 6.* ab ipſo Cyro olim conditam tradit. Hanc Paſſargadas Stephanus, Paſſagardas Plinius *lib. 6. cap. 26.* Parſargadas Appianus in Mithridaticis appellat. Enimverò cum Anaximenes apud Stephanum Perſarum caſtra id nominis ſignificare dicat, quod

Digitized by Google Cyri

Cyri castra contra Astyagem moventis ibi fuerint, facile inducor, ut illis assentiar, qui Persagadas scribendum judicant, ab Ebræo videlicet פרס־גד quod turmam & exercitum Persarum significare norunt, qui aliquid in his literis norunt, in quam rem consulendus Bochartus in Phaleg. *lib. IV. cap.* 10. פרסא enim lingva Orientis dicuntur equites, quod ea laude hæc gens excelluit ex instituto Cyri, ut prolixe commemorat Xenophon. Ante Elamitæ vocabantur. Novum quippe nihil est castra militaria urbibus & nomen & originem dare, cujus rei plurima ad Rhenum & Danubium occurrunt exempla. Placuit nempe provincialibus intra vallum & fossam domunculas erigere, reculas transferre tanto securiores, quanto munitiora fuere illa militum stativa, ut nihil dicam aquationis quoq; commoditatem à metatoribus imprimis fuisse observatam. Ptolomæus situm loci ponit *ad gradum longitudinis* 93. *lat.* 30. *gr.* 30. min. ad fines Caramaniæ. Chilqueram Thevetus hodie vocari ait, Darubegert alii, Passah della Valle *p.* 111. 143. nescio an nominis similitudine dactus.

Herodoto a. quis jam suppetias ferat? Is enim, ut est in describenda hujus Regis vita παχυκνήμης, grandiores tibias inflat eum-

eumque à Tomyri Scytharum Regina, cum omni fermè exercitu ad internecionem deletum, ejusque abscissum caput in utrem sangvine plenum cum Sarcasmo crudelitatis conjectum tradit lib. 1. circa finem, cum hoc lemmate: τὰ μὲν δὴ κῦρος τελευτὴν τὸν βίον τοιαῦτα λέγουσι πολλῶν λόγων λεγομένων, ὁ δέ μοι πιθανώτατος εἴρηται. Profitetur nempe, se inter multas maximè verisimilem narrationem elegisse. Non liberabit hîc virum Stephanus, scripta etiam alia pro ejus fide apologia. Ut enim Herodotum non committam cum Ctesia, qui Regem longè verisimilius ex vulnere paulo post decessisse scribit, (fidem enim hujus valdè elevat Strabo *lib. 9. Geogr.*) non cum Diodoro, qui solus cruci suffixum ait, non cum Xenophonte, qui in lectulo decessisse sua morte fabulatur, quis credat aut profugos Persas caput Regis cum trunco misso feciali repetiisse, aut iratissimam hostem pactis induciis reddidisse? Qui hoc credit ignorat, quantum fœmineus dolor in orbitate recenti tumultuetur.

Citius te tigris abactis
Fœtibus, orbatique velint audire leones.

Ut Papinii verba hîc mea faciam. Philostrati autem fides nobis subleste, qui

Digitized by Google

qui Heroicis ait, Cyrum in Lesbo caput Orphei, ubi oracula illud dabat, de vitæ suæ exitu interrogasse, responsumque tulisse: Κύρε τὰ ἐμὰ καὶ σά. Cyre quæ mea sunt (fata) & tua. Orphea enim extitisse unquam multis dubium, Pochardo omninò falsum. Lucianus quidem plane audiendus non est, qui in Macrobiis *p. m.* 825. non erubescit scribere: *Cyrum hunc ad centesimum pervenisse annum, & ex mœrore vitam finivisse, cùm audiret Cambysem filium, cui imperium commiserat, plerosque amicorum, velut jussu patris, occidisse.* Provocat ille quidem ad cippos Persarum, & ad Onesicriti autoritatem. Sed reclamat toto vultu Historia, cum sorore Chronologia. Quis enim unquam fando audivit, Cyrum se abdicasse imperio? Ex Taric Mircondo quidem tradit Micrælius Syntagm. *Histor. Polit. lib. III. sect. 9. p. m.* 899. *Loraspham sive Cyrum filio rebelli Gustapho, qui ad Turcas profugerat, & Persis bellum inferre decreverat, diadema misisse.* Sed liber iste prodigiosè mendax est, & ne sic quidem Cyri abdicatio firmiore talo stabit. Quid multa? Ipse Lucianus secum alibi dissentit. Absurdior tamen longe, mea quidem sententia, Michaël Beutherus, qui *in Animadvers.*

Digitized by Google

madvers. Histor. cap. 15. duplicem Cyrum facit) Medum unum, qui à Tomyri occisus sit, alterum Persam, qui sicca apud Persas morte obierit, eamque rationem Herodotum cum Xenophonte conciliandi non incommodam esse judicat, *p.* 290. Sed solet hic autor, sit venia dicto, magno conatu magnas nugas agere. Ad Curtium saltem redeamus. Is tradit Alexandrum coronam imposuisse Cyro, cùm sepulchrum aperuisset. Capite ergo cadaver non caruit. Sepultum igitur & quidem integro corpore sepultum, hunc Regem habemus perspicacissimum.

De ipso autem sepulchro, ejusque fortuna jam videndum. Cujus descriptionem ex Strabonis *lib.* 15. *p. m.* 485. & Ariani *lib.* 6. talem damus: *In horto ejus regia turris fuit non sanè magna, arborum densitate occultata, à parte inferiore solida, superiore tecto & sacello exornata, quod perangustum aditum habebat. Per hunc Aristobulum jubente Alexandro illapsum aureamlecticam vidisse, & mensam cum poculis, & aureum alveolum: veste gemmis ornata Regis corpus amictum. Hujus monumenti custodiæ præpositos Magos in singulos dies ovem, quolibet mense equum in alimentum accepisse.* Id, ne quis miretur,

Digitized by Google

tur, noverit & hodie à Tartaris eorum carnes in deliciis haberi, & Persas etiam nunc asini affaturam magni facere. Titulum sepulchri talem:

Ω ΑΝΘΡΩΠΕ ΕΓΩ ΚΥΡΟΣ ΕΙΜΙ Ο ΤΗΝ ΑΡΧΗΝ ΤΟΙΣ ΠΕΡΣΑΙΣ ΚΤΗΣΑΜΕΝΟΣ ΚΑΙ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ. ΜΗ ΟΥΝ ΦΘΟΝΗΣΗΙΣ ΜΟΙ ΤΟΥ ΜΝΗΜΑΤΟΣ. Onesicritus Græcum hoc epigramma se legisse testatur:

ἔνθαδ' ἐγὼ Κῦρος κέκμακα, βασιλεὺς βασιλήων.

Et in eandem sententiam Persico sermone aliud legi. Plutarchus in Alexandro utramque inscriptionem ab illo Rege additam confirmat, nisi quod in priore pauca mutat. Id sepulchrum, dum ille in India res gerit, à prædonibus effossum & plane spoliatum fuit. Quod indignatus ille non Magos modò custodes quæstioni subjecit; sed Polymachum quoque Macedonem Pellâ oriundum ultimo supplicio affecit, qui ejus sacrilegii autor ferebatur. Curtius Orsinem quoque nobilem Persam eo crimine conflagrasse, quamvis innocentem commemorat *lib. X. cap. I.* quem tamen extra culpam fuisse Arianus negat *lib. 6. cap. 5.* Strabo ipsum etiam cadaver ex parte ablatum vult, cujus tamen reliquias Alexander colligi,

Digitized by Google

sepulchrum instaurari jusserit. Καὶ τοῦτο μὲν δὴ τοῦτο. Huic autem rei procul dubio originem suam debet fabula illa, quam refert Schickardus ex Juchasin *in Tarich. p. 25.* Alexandro videlicet in India monstratum fuisse sepulchrum Kainan magni Regis prioris mundi, ut nempe intelligatur ille antediluvianus filius Enosi, non ille de quo Lucas *cap. 3. v. 36.* qui tot lites peperit.

Nobis verò, qui jam defuncti videbamur omni labore, nova quæstio oritur, habeatne ætas nostra, quas ostendat, hujus sepulchri reliquias? De Pasargadum hodierno nomine ex Theveto supra quid monuimus. Sed propius jam ad Cyri sepulchrum gradus erit admovendus. Hic, si Garciam de Silva Figueroa, Hispani ad Persas Legatum (quo nemo, sentente Vossio ad Melam, melius & accuratius res Persicas explicavit) audimus, sepulchrum Cyri in oppido Schiras vel Xiras etiamnum exstat. Id, si admittimus, ipsas Pasargadas esse oportet, quam Schiras hodie appellamus urbem regiam. Et nomen quidem à Cyropoli, pro Parsagadæ Plinio venire putantur, non multum abludit. Qui verò hanc sententiam tuentur, plerumque illi

Digitized by Google

illi sunt. qui Tschilminaram, sive quadraginta illas columnas, quas de la Valle *part.* 3. *p.* 130. Mallet Asiæ *p.* 77. describunt, ipsius Persepolis rudera ab Alexandro quondam incensæ esse arbitrantur. Præcipua verò pro hac opinione argumenta Vossius ad Melæ *librum* 3 *cap.* 8. *p.* 83 ita colligit. *Supersunt, inquiens, illis quadraginta octo vastissimæ columnæ, quarum altitudo septuaginta ferme pedum etiam absque basi. Jam verò atria, & signa immensa, murorum incredibilis magnitudo, omnia denique ex auro aut candido marmore pulcherrimè exstructa clamant, hanc fuisse olim regiam Persepolitanam.* Et sunt utique hæc talia, quæ animos nondum præoccupatos facile in partes pertrahere queant. Id tamen assensum meum suffl aminat, quod & recentiores, qui Schiraſum accuratè describunt, ne verbulo quidem sepulchri meminere, & Tavernier *p.* 274. abjectè admodum de his ruderibus loquitur, & Persepolis Ptolemæo ad gradum longitudinis 91. collocetur, Chilminara ad gradum ejusdem 96. Sed esto error in Scriptoribus, esto in libris, quod & ipse suspicor, cùm Persepolim & Parsagadas viciniores sibi fuisse ex veteribus satis constet; tamen

Digitized by Google

ſententiarum circa hanc rem diverſitas ita mentem implicat, ut ex Labyrintho hoc emergere ſine filo Ariadnæo difficillimum fuerit. Ea certè, quæ Dapperus in deſcriptione Perſiæ *p.* 3. 4. 5. 6. 7. ex diverſis tradit, involvunt magis legentem, quàm expediunt. Olearius *p.* 540. eam urbem ex ruderibus Perſepolis ſurrexiſſe arbitratur cum Philippo Ferrario *Epit. Geogr. lib. urb. lit. P.* Curtius magnæ aliàs fidei homo diſertè ait: Perſepolim ne longa quidem ætate, quæ ſecuta eſt excidium, reſurrexiſſe, ita, ut nec veſtigium ejus reperiretur, niſi Araxes amnis oſtenderet. Sed quî Ptolemæus ſitum potuit oſtendere? Quæ deinde illa Elymais *Macc.* 1, 6. clade Antiochi nobilis? & apud Joſephum *lib.* 12. *cap.* 23. Perſepolim multi putant, ſed falsò. Illa enim ad Araxem amnem, Elymais ad Eulæum ducentis paſſuum millibus ad minimum diſtantes. Quid ſi Suſas intelligeremus, quæ ad hunc amnem ſitæ erant *Dan.* 8. *v.* 2. Sed nihil definio, nec fraudi mihi fuerit uti ampliationis formula: Non liquet.

***

De

De Septem Sapientibus.

PRoceres illi Græcæ gentis, quos, ut Poëta loquitur,

Ardua septena numerat Sapientia fama,

diversa jam olim sunt experti hominum judicia. Sive enim appellationem spectes, seu numerum, sive personas aut ordinem & dogmata, convenire inter dissentientes nunquam satis potuit. De ipso sane nominis honore, litem illis movére, ut notat Diogenes Laërtius in Thalete, Damon & Anaximenes, qui in alia omnia ivére. Ille quippe omnes reprehendit, hic ἐπιθέτῳ saltem τῆς ποιητικῆς, hoc est *Poetices studiosos fuisse* scribere non sunt veriti. Dicæarchus autem apud eundem adhuc incivilius eos tractavit asserens ἅτε σοφὰς, ἅτε φιλοσόφους αὐτὰς γεγονέναι, συνετὰς τε τινας καὶ νομοθετικάς, *nec sapientes, nec Philosophos eos fuisse: Sed cordatos quosdam*, ut Interpres vertit *viros & Legumlatores*. Quibus rebus fit,

Digitized by Google

ut excusatius M. Tullius scribat, *speciem saltem & similitudinem eos sapientum gessisse*, & Lactantius *lib.* 4. *divin. Institut. Cap.* 1. *p.m.* 225. exclamet: *O miserum calamitosumque seculum, quo per orbem totum septem soli fuerunt, qui hominum vocabulo cierentur. Nemo enim potest jure dici homo, nisi qui sapiens est. Sed si cæteri omnes præter ipsos stulti fuerunt, ne illi quidem sapientes, quia nemo sapiens esse verè judicio stultorum potest.* Et sanè, si σοφία ex definitione Platonis, Stoicorum, Ciceronis intelligamus scientiam rerum humanarum divinarumque facile patet, quantum illa ambitu suo complectatur. Stoici imprimis sapientem suum eâ perfectione sibi sunt imaginati, ut decempeda illius soli Deo applicari possit. Hoc rigore si sumus, jam sacer ille numerus causa sua cecidit. Quid enim illi de divinis rebus sciverint, error, cœcitas mentis, superstitio satis ostendunt. Humanarum etiam rerum cognitio eo tempore, Ἦν τρόπον τινὰ ἐν γάλακτι καὶ σπαργάνοις, *versabatur quodammodo in lacte & fasciis*, uti venustè de arte pingendi ejus seculi loquitur Ælianus *lib.* 10. *Cap.* 10. ποικίλης, ut modestia Pythagoræ, qui erat ætate Sapientib. hisce suppar, meritò laudanda

sit,

Digitized by Google

sit, qui interrogatus à Leonte Tyranno; quam artem calleret, Philosophum, se, non σοφὸν esse professus est. Quàm benè autem abstracti etiam nomen mutaverint, qui hunc secuti sunt, viderit Keckermannus initio Systematis sui.

Dicæarchum autem miror virum alias apud Spartiatas magnæ autoritatis (utpote de quo Suidas memorat, *librum ejus lege lata, quotannis in prætorio Ephororum audiente juventute esse prælectum*) quòd cum septem viros illos συνετοὺς & νομοθετικοὺς fuisse non inficias eat, Sapientum & Philosophorum nomen abstulerit. Nisi forte ille in stupida hac hæresi fuit, ut solis Theoreticis amplitudinem hujus tituli usurpandam crediderit. Quod autem Solon non versificator modò fuerit, aut sibi soli sapuerit, ostendit correctio Reipublicæ Athenienfis. Neve de principe solo id excipiam, insignis locus facit apud Ælianum *lib.* 3. *Cap.* 7. ex quo discimus, reliquos etiam collegii sapientis, idem factitasse. Biantem dico, Thalen, Chilonem, Pittacum, Cleobulum suis quemque patriæ leges præscripsisse. Sint itaq; illi, pro captu sui seculi sapientes, nec invideamus benè meritis hanc gloriam, *quem dedit superior ætas, nec secuta fustulit*, ut Ausonius canit.

Digitized by Google

De numero autem hebdomadico, utut plerique inter se consentiant, non desunt tamen, qui ex Pythagoræ disciplina sacrum hunc numerum placuisse suspicantur. Vid. Horn. *Histor. Philos. lib. cap.* Et plures certe ea ætate fuerunt celeberrimi viri, qui cooptari in istud collegium omninò meriti fuere. Anacharsim & Abarim Scythas dico, Pherecydem Syrium (ex Syro insula ex Cycladibus una) Epimenidem Cretensem, Pythagoram Samium, Theognidem, Simonidem, Stesichorum, Acusilaum. Sed esto Pythagoram sua modestia excluserit, Anacharsin & Abarim patria Barbarica, quæ est Græcorum ambitio, qui se solos in possessionem sapientiæ veniisse crediderunt, reliquas nationes ridiculè excluserunt, quasi virtus non esset commune patrimonium. Noluerit etiam Pherecydes tam propè admoveri ad Pittacum Præceptorem. Cur autem reliquis præjudicium suum opposuére? Equidem quis primus hunc numerum constituerit, dicere non habeo. Meminit Herodotus aliquoties Solonis, Chilonis, Biantis, Pittaci, Thaletis, sed nusquam septenarii numeri; Saltem *lib.* 1. *Cap.* 29. ἀπικνέονται ἐς Σάρδις ἀπικόμενος πλέστῳ ἄλλοιτε πολλοῖς καὶ τῆς

Digitized by Google

τῆς ἑλλάδος σοφισταί, οἱ τότε τὸν χρόνον ἐτύγχανον ὄντες, ὡς ἥκασι καὶ ἀντίων ἀπεκρίνοντο, καὶ δὴ καὶ Σόλων. *Contulerunt se Sardes opibus florentes tùm omnes Græciæ Sophistæ* (ita Sophos olim vocabant,) *prosè quisq; proficiscentes, tùm verò Solon.* Thucydides & Xenophon ne verbulo quidem cujusquam illorum meminére. Ex quo conjector tunc nondum coaluisse famam illius collegii. Primus, quod noverim, Plato in Protagora eos in hunc fasciculũ collegit, sed Mysoni Chenensi (Chen oppidum Laconicæ, quo de Meursius *Miscell. Lacon. lib. 4. c. 5.*) locum sextum, Chiloni Lacedæmonio ultimum dedit. Periandri nulla planè ratione habitâ. Caussam ejus rei se reperisse Clemens Alexandrinus *lib. I. stromat. p. 219.* arbitratur, cum septimum quidem locum multis competitoribus petitum & pro cujusq; ingenio traditum scribit, videlicet Periandro, Anacharsi, Epimenidi, Pherecydi, Acusilao, Platonem tamen in locum Periandri ὡς ἀναξίου σοφίας διὰ τὸ τυραννικὸν ἀνακαθῆσαι Μύσωνα τὸν Χηνέα i.e. *ut indigni sapientia, quia fuerit Tyrannus posuisse Mysonem Chenæum.* Ego verò laudo Platonẽ meũ, si primus hominẽ flagitiosissimũ ab hac laude excluserit, sed mihi v. simili videtur

Digitized by Google

tur tempore Platonis nec receptũ quidem fuisse in istud Collegium & postea obrepsisse nescio quo pacto, quove autore. Quàm frigidum autem, quod Laërtius ait, *Myſonem ob ipſam patriæ ignobilitatem tribu motum!* Sic scilicet virtus πολιτίδων seu censu non χωριτίδων legitur! Et si tyrannus in omninò hunc ordinem admittendus erat, mallem Pisistratum surrogassent ejusdem propositi hominem, non malitiæ, ad quem Diogene fatente aliàs Myſonis pleraque dicta velut hæreditate pervenerunt. Sed Pisistrato forte Solonis reverentia nocuit & Periander unius cœnæ impendio sapiens factus. Lautè enim tractasse sapientes traditur. Aut minus ex dignitate Spartæ visum fuit Chilonem ultimum nominari, & ejusmodi homo substitutus est, quem inter Myſorum ultimos facilè quilibet referat. Enim verò utantur sanè illi ætatis privilegio, & quando ita volunt, septem sint.

Quis verò priore loco nominandus, Thales ne, an Solon (habent enim utrique suos suffragatores, & pro Thalete etiam oraculi arbitrium interponitur) minutioris fortè fuerit curæ. Solon in civili prudentia, Thales in Matheſi & Physicis excelluit, sectæque Ionicæ fuit caput.

Digitized by Google

caput. Hippoclides etiam ut olim matrimonium. Herod. *lib. 6. cap.* 129. Ita quoque controversiam hanc forte desaltaverit, quam quisque vitæ legem, uti Quintilianus *lib. 5. cap.* 11. apophthegmata illorum vocat, dixerit. Vix enim unicum exstat, quod non à pluribus quocunque jure sive injuria invadatur, cujus rei fidem facit Clemens Alexandrinus *lib. I. Strom. p.* 220. Et possemus quidem huic malo medicinam afferre ex Platonis Protagora *p. m.* 206. qui sententias hasce communi Scto septemvirorum illorum decretas & in Apollinis templo inscriptas esse opinatur. Ita enim ille d. l. Ἅτοι κεφαλαιωδῆ ξυλλήβδην ἅπαν εἶχεν τὴν οὐσίαν ἀνέθεσαν τῷ Ἀπόλλωνι εἰς τὸν ἐν Δελφοῖς, γράψαντες τὰ τῶν, ἃ δὴ πάντες ὑμνοῦσι; Sed cum hoc solus Plato dicat, malumus ampliare memores illius apud Comicum: *Nihil dictum est, quod non dictum sit prius.* Quin imò si operæ pretium facturi videremur ex Salomonis Proverbiis totius heptalogi παραλλήλα facile concinnare possemus, cui tamen sua sublegisse Græcos non facile dixerim.

Neque vacat jam philosophari cum Vellejo Paterculo, cur intra unius seculi angustias septentriones hi & illuxerint & occi-

Digitized by Google

occiderint. Sive istud æmulationi tribuendum, quæ ingenia colit, incitat, perficit; Sive opinioni hominum antiqua modò admirantium. Lectorem potius ad clariss. Bœclerum remitto, qui egregiè *Notis ad hunc Historicum* de fatis literariis disserit *p.* 59. &c. & me ad septem Græcæ sapientiæ consulta confero. Non quod illi nihil amplius ad famam afferant, (multa enim egregia de hisce viris commemorat Diogenes Laërtius in ipsorum vitis) sed quia jam olim hæc quæ damus in admiratione fuerunt. Quo fit, ut crudum illud Minucii Felicis judicium esse, opiner, *omitto*, inquientis, *illos rudes & veteres, qui de suis dictis sapientes esse meruerunt.* Benignior paulo Eusebii sententia *lib.* 10. *de præp. cap.* 2. *De istis septem sapientibus nihil aliud, quam sententiæ quædam commodè & breviter dictæ ad utilitatem humanæ vitæ compertum est.* Magno sane in pretio jam olim fuere & Quintilianus loc. supr. alleg. honorificè illarum mentionem fecit, & Plutarchus calculum adjicit in symposio. Quid de Ausonio dicam, qui velut in Theatro loquentes introducit hosce viros in

Ludo quem vocat septem
sapientum.

Digitized by Google De

De Inventore Carminis heroici.

SÆpè animum meum non perfunctoria subiit admiratio, cur, cum reliqua carminum genera inventores suos ipso nomine, quasi suspensa hedera præ se ferant, solius heroici incunabula ferme lateant, natales ignorentur. Sapphici quidem carminis, Phalæcii, Glyconici, Anacreontici, Archilochii, Asclepiadei, Pherecratii, Alcmanii qui autores, ex ipsa appellatione discimus. De heroico si omnes omnium forulos excutias, nihilo certior reddare. Adeo inter se pugnantia rerum scriptores tradunt. Inventi enim nobilissimi gloriam ad Apollinem, Musas, Phanotheam Icarii uxorem, Phœmonoën Pythiam, Themin unam ex Titanidibus, Orphea, Homerum, Hesiodum, Polymnetum Colophonium, ipsum deniq; Mosen referunt, variantibus pro capitum

Digitized by Google

tum numero sententiis, Nos autem ex illo statim exesse jubemus Orphea cum collegis, ut quibus longe antiquiora oracula hoc metro reddita habeamus, & inscriptiones tripodum in Ismenii Apollinis templo positorum, quas se vidisse testatur Herodotus *Terpsichore cap* 59. Quæ res etiam Plinium impulit, ut *lib.* 7. *Nat. Hist. cap.* 56. fateatur, *nos versum heroicum Pythio oraculo debere,* unde & Pythius ille vocatus est.

Ac sanè, si dicendum quod res est, antiquiorem in Græcia illius usum vix quispiam facile repererit. Voluit scilicet, κακοζηλ@ impostor in hoc etiam grandiloquentiam Prophetarum imitari, & hanc vino suo minus vendibili quasi hederam suspendere. Nolim tamen præclarissimi hujus inventi primam originem dæmoni huic assignare, sed usum esse dico undecunque accepto. Quod adeo verum est, ut cum posterioribus seculis Pythia carmine desiisset respondere, quod Cicero ait ante Pyrrhi tempora factum, ejus rei caussa doctorum hominum ingenia exercuerit. De Mose autem quid statuendum nonnihil hæreo. Josephus enim *lib. 2. Antiqv. Judaic. cap. ultimo* diserte testatur divinum hunc virum

Digitized by Google

rum submerso Pharaone ἐπινίκιον suum ἐξαμέτρῳ τόνῳ composuisse, & c. 4. l. 4. ποίησιν ἐξάμετρον populo recitasse, per quam canticum illud *Deut.* 32. intelligit. Hieronymus *in Præfat. ad Chronicon Eusebii* adhuc audacior *omnia Mosis, Esaiæ, Salomonis, Jobi hexametris & pentametris versibus composita decurrere* affirmat. Itaque malo hic vetere ampliandi formula uti? Non liquet. Istud quidem novi, Magnum Scaligerum negasse ullam rationem metricam esse in Ebræorum libris, aliis quoque illorum carmina sub leges constantes hexametrorum & pentametrorum non cadere ultrò fatentibus. Atq; utinam vetus Israëlitarũ Poësis non ex hominum notitia evanuisset! Ex hodiernorum enim rhythmis nihil tale conficias. Viderint autem, quibus in hoc studio licuit esse felicioribus. Josepho quidem propositum fuit gentem suam ornare, majores magnificè extollere.

Si tamen conjecturis locus relinquitur, ego salvo aliorum judicio putarim genus hoc carminis aut fortuito casu inventum, prout videmus ex tot exemplis, quorum satis idoneam copiam *Poëtica* Gissensium ex sacris & exoticis scriptoribus congerit *p.* 145. 146. 147. & Taubmannus

mannus *ad Plauti Trinummum pag.* 1143. Verba nempe non raro etiam non cogitantibus ad numeros veniunt, qui postea ob delectationem aurium frequentari sunt cæpti. Certè vetus sive fama, sive fabula est, cùm Apollo Delphicus arcum tenderet Pythonem serpentem interfecturus, accolas Delphos eum his verbis animasse:

Ἰὴ παιὰν, ἰὴ παιὰν, ἰὴ παιάν

ex quo versu deinde concitatiùs pronunciato Hexameter ortus sit, ut Athenæus & Terentianus notant. Rudia enim sunt plerumque artium initia. Pari pacto aliorum metrorum fortuita occasio, & ferè ridicula. *Ajunt quippe, cum anus quædam à juvene concitatius incedente in humero esset concussa, convicia homini dixisse, quæ cum in impetu illo animi essent ἔμμετρα placuisse juveni numerum, & similia comminiscendi occasionem dedisse*, ut festivè narrat Nazianzenus *Orat. 3. in Julianum.* Anum hanc Elias Cretensis Phœmonoën aut Phylaram fuisse censet.

Si verò cui minus verisimile ex casu virtutis originem arcessere, dico divinæ Musices partum esse hosce versus. Et quàm similis hæc proles huic matri, quam gemina facies norunt, qui quic-

quam

Digitized by Google

quam norunt. Nullus utique numerosior pes Dactylo, nec genus aliud Tono, quem Tactum Barbarè vocamus, adeò concinnè subservit, ut cum eo quoque deponat. Huic quidem opinioni ipsa rerum experientia suffragatur. Quoties enim Coræbus aliquis incipit saltem inflato utre

Stridenti miserum stipula disperdere carmen
Tum verò in numerum Faunos, Satyrosque videres
Ludere.

Si ea vis harmoniæ est, ut audientium capita, manus, totumque adeò corpus in numerum concinnè moveat, ut etiam ἄυσσοι lege certa pedibus plaudant, atque sublatis ocreis Tonum sive Tempus dimetiantur, quid mirum si lingvam tam lubricum membrum etiam ita moderetur, ut totidem syllabis respondeat. Incomptius id quidem initio, uti ex antiquis cantionibus apparet. Sed postquam Poësi Germanorum suus nitor ex cultu accessit, nulli gentium cedimus carminis felicitate. Non quidem me latet, quid de furore & Enthusiasmo suo iidem artifices passim tradiderint, & concedo Poëtas felicius nasci, quam fieri. Sed hunc

Digitized by Google

naturalem mentis habitum externis rebus, uti ignis folle excitari, quis negáverit? Quin ipsi adeò fatentur vino istud fieri, secessu, nemoribus, montibus, musica, & omnibus quæ animum defecatiorem reddunt atque lætitiam concitant. Inde tot Musarum montes Pindus, Parnassus, Helicon, Cithæron. Movet scilicet ad quendam gaudii purioris sensum generosas mentes ex clementer editis montium jugis sereno & blandiente cœlo, accinentibus argutè aviculis despicere in subjectas valles, in iisque interlabentes rivulos, viridantia prata, propinqua nemora & totum illud venustè luxuriantis naturæ amphitheatrum contemplari, ut etiam ante Hippocrenes haustum & Aganippeos latices canere & versus fundere subito incipiant. Testem dabo classicum, eumque non auritum, nec ultimi commatis Jacobum Spons. Is cum ante novem ipsos annos Parnassum Delphicis ruderibus vicinum ascenderet, de se ipse fatetur lib. 4. Itin. curiosi p. 11. *Die gereinigte Luft selbigen Orts, und die Einbildung, so man haben kan, das man so nahe bey dem alten Sitz* Apollinis *und der* Musen *sey, die einem bald etwas eingeben können, bläheten mir gleich die Adern auf, und*

Digitized by Google

und machte ein Lied von zweyen doppelten Reimen, und zwar in gemeiner Griechischer Sprache, die ich nur halb recht kunte: Ich habe sie nach einer Melodey componirt, *die so wohl in Griechischer als Frantzöischer Sprache bekant ist. Die Griechen morgen solche von uns, oder wir sie von ihnen entlehnet haben. Sie gehet nach dem Gesange* Revellez vous, belle endormie &c. *So keines von den neuesten ist.*

Dos mou na zis ena condigli
Na grapso mian tragodian,
Dia ti irrthamen eis to vouni
Opou Mousais econepsan?
Tora pamen is thiu Athina
Tin omorfotatiu choran
Na idoum oula ta palacea
Και *ton theôn Syntrophian.*

Quæ verba quò minus apponerem, à Genio meo φιλελληνοτάτω impetrare non potui. Quin & hanc veniam mihi dari postulo, ut ejusdem gentis literis sensum illustrare liceat. Ita autem conjector.

Δός μοι ἕνα κόνδυλον
ἵνα γράψω μίαν τραγωδίαν
Διὰ τὶ ἠλθομεν εἰς τὸν βουνὸν
Ὅπου Μοῦσαι ἐκονάβησαν
πορεύσωμεν εἰς τὰς Ἀθήνας
τὴν μορφοτάτην χώραν

ἵνα εἴδωμεν ἅλα τὰ παλαια
καὶ τὰ τῶν θεῶν συντροφίαν.

Sensus iste est: Da mihi quendam calamum, ut carmen quoddam scribam. Cur venimus in collem ubi Musæ sonuerunt? Abeamus Athenas, pulcherrimam urbem, ut videamus pretiosa palatia & Deorum alumnam. Iò Pæan iò Pæan quorsum abripior! quis æstus mentem sollicitat?

Da calamum, ut carmen scribam. Cur venimus autem
In collem Musæ, quo sonuére piæ?
Nunc visum valde pulchras abeamus Athenas
Magnificasque domus, conciliumque Deûm.
Est Deus in nobis, agitante calescimus illo

Ὑψοῦ μετεωρόμεθα πηγασε ῥίμφα δέχα.

Altius evehimur, torvam date Gorgona, & harpen

Ἀνδρομέδης ὑμνῶ, κῆτος ἀλός.

Ecce verecundis equitem declinat ocellis,

Οἰκτρὰ σιδηροδέτοις χερσὶ λιθαζομένη.

Sed excussi jam ambidextrum Deum & mitius pedes insanio. Redeundum ex furore in orbitam, sed ad furorem alium. Si morbo & delirio Poetas fieri dixero, desipere

Digitized by Google

pere forte viderer. Imò verò accipite: Proverbio vulgata est elegans Abderitarum insania, qui cum aliàs stupiditatis fermè infamia laborarent, postquam mens ipsorum diuturnis febribus afflicta non satis in officio esse cæpit, subito in forum irrumpere, carmina canere, gesticulari, omnibus vicis histrioniam exercere. Ita de Maraco Syracusano refert Aristoteles *in problem. sect.* 29. meliorem fuisse Poetam cum mente alienaretur, p. m. 1013. in quam rem non desunt recentiora exempla, quorum causas explicare difficile. Extraordinaria enim non raro accedunt, ut in Tynnicho illo Chalcidensi, quo de Plato in Jone. Sive enim in ἔκστασιν aut furorem rem conferas, parum te expedias. Postulant hæc peculiares sibi pagellas, & tamen nonnulla monuissem, nisi audirem idem argumentum jam à Magno quodam Viro superioribus annis occupatum esse,

Aureolus cujus candor sine FELLE triumphat.

* * *

Digitized by Google

De Inventore literarum.

On de Homeri patria, quàm de primis literarum incunabulis magis certat terrarum orbis, & contumaci inter se jurgio colliduntur Europa, Asia atque Africa, quibus omnibus, in dispari licet caussa, aurem tamen præbere æquum arbitramur. Et Europæorum quidem plerique à Cadmo Phœnice literas accepisse fatentur, nec beneficium dissimulant. Ordo etiam illarum, appellatio atque figura rem satis ostendunt. Videatur πολυμαθέστατος Bochartus *in Phaleg. lib. 1. cap. 20. Vossius in Aristarcho.* Cadmi verò exilium parum abest à temporibus Josuæ, cujus metu Cananæi per totum fermè orbem dispersi novas sedes quæsiverunt. Iste autem à Cadmonæorumne gente, cujus *Gen. 15. v. 19.* mentio fit, uti Hornius vult, *Historia Philosoph.* an ab antiquitate, aut oriente nomen invenerit, jam non dispicio. Istud tamen valdè

Digitized by Google

valde dubium, an literarum usus Græciæ universæ ante Cadmum fuerit ignotus. Herodotus quidem in *Terpsichore cap.* 57. 58. admodum fluctuat, Diodorus *lib.* 6. *allegante Rudbekio & Hormio*, formam saltem immutatam fuisse perhibet. Simile quid accidit Germanicis characteribus, qui cùm ex instituto Friderici II. si quæ fides Aventini, *circa annum Christi* 1229. Latini essent, hodie in cursiva, quam vocant, forma multum sunt mutati in usum compendii & ἐχυγεφίας. Norunt pueri Typographorum tot varietates typorum, tùm Germanicorum tùm Latinorum & illos, quibus Monachi quondam usi, vix eruditi satis legunt. Et si Cadmus primus literas in Græciam intulit, mirandum sanè non XXII. intulisse, quem numerum Ebræi, Syri, Arabes, aliique Orientalium agnoscunt? Sedecim enim saltem antiquos Græcos ante Trojam captam habuisse manifestum est. Cur autem vocales coævas utique more suæ gentis subscribere non docuit? Cur à dextra versus sinistram scribere non instituit?

Hæc sanè & alia faciunt, ut malim Dn. Rudbeckii sententiam sequi, qui *cap.* 38. *Atlanticæ suæ* firmissimis rationibus do-

Digitized by Google

cet, Runicas esse antiquas Græcorum literas, non quidem illas Ulphilæ, sed quæ in cippis circa Upsaliam adhuc reperiuntur, Gothicas vetustiores. Namque & Runæ XVI. numerantur, illarum potestas & figuræ cum minusculis Græcorum satis conveniunt. Majusculæ enim, quas in marmoribus & nummis hodie legimus, procul dubio recentiores, ad circinum & regulam operosè efformatas etiam χαραγάκτας nostri intelligunt. Et pro antiquitate Runarum non modò cippi Gothici & ipsa simplicitas pugnant, sed & illud, quòd Mercurium literas invenisse plerique tradunt. Jam verò Sveonum lingva hodiè etiam *Merkia* est scribere, *Merkiè* literæ, *Merkartzmann* scriba & literarum autor. Longum verò esset, ex messe Rudbeckii jam spicilegium instituere. Ipsum potiùs in horreis suis adeundum svaserim. Audax tamen effatum tanti Viri Phœnicum & Ægyptiorum literas Runis Sveonum debere originem. Id si admiserimus, gloria hujus inventi penes Europam maneret. Sed quia nec ipse quidem ausus fuit affirmare Gothorum hosce characteres Ebraicis antiquiores esse, & nobis licebit versus orientem vela facere & ferentibus ventis Syriam petere.

Digitized by Google Ten-

Tendentibus autem in Phœniciam ad dextram Africam se aperit, quæ Ægyptum suam, ut omnis antiquitatis, ita literarum etiam parentem ad tribunal veritatis fistit, quæ indicta caussa utique damnanda non erit. Testes utique producit, quibus vel injuratis credere possis, Clementem Alexandrinum, Lactantium, Justinum nostræ religionis homines, ut innumeros è gentilibus non memorem, qui omnes velut conspiratione facta Mercurium Trismegistum, aut Menona S. Mnevim, aut denique Teutanem, divinos apud Ægyptios homines in ejus inventi gloriam substituunt. Sed ego quidem cum Ægyptiis paciscerer hieroglyphicarum notarum concessione, quas utique habuerunt oppido antiquas, nisi de Mercurio altiùs quid suspicandi occasio daretur, de quo postea.

Nos his ὡς ἐν παρόδῳ confectis in orientem properamus, antiquissimam ex plurimorum opinione literarum patriam. Sed & hanc, postquam externo bello expedivimus, intestino implicatam offendimus. Committit enim in hac area Phœnices, Assyrios, Israëlitas sive ambitio, sive invidia. Nos persvasum habemus à sancta gente nobilissimæ rei manâsse

Digitized by Google

nâsse exemplum in reliquos mortales. Enimverò ne sic quidem omnes eluctati sumus salebras. Sunt enim viri non ultimi inter Philologos subsellii, qui literas cum Plinio mundo coævas faciunt, & Adamo ipsi hanc laudem tribuunt, aut saltem antediluvianis Patribus, quorum argumenta & Alphabeta vide apud CL. Bangium *in Cœlo orientis*. Sed fuerint, illi sapientissimi, fuerint longævi ores, fuerint plurimarum artium repertores. Nihil tamen horum pervicaces movere poterit. Longævitas etiam pro traditione, quam vocant per manum magis militat. Denique incerta omnia. Ad Sethianas autem columnas & Enochi vaticinium jamdudum B. Dn. Ursinus & ipse Bangius responderunt. Ad propriora ergo secula transimus, ex quibus Abrahamum & Mosen nobis dant. Illum testimoniis Eusebii, Svidæ & Berosi Annianí, nec non nummi cujusdam subjecta fide subnixum, (quod de τῆς πάλαι Wagenseilium *c. IV. Satæ* consulere poteris) Hunc non contemnendis argumentis, quæ validâ manu in adversarios intorquet Dn. Ursinus, cujus mentem ex ipsius verbis videamus: Ita autem ille in Procemio Zoroastris sui: *Mihi fortius stri-*

Digitized by Google

stringere adversarios visum, affirmareque, primi omnino libri scriptorem fuisse Mosen arte scribendi ab ipso æterno DEI verbo, ejusque prototypo exemplari Legis duarum tabularum accepta. Cæterùm quod ullæ literæ exstiterint ante illas, quas ὁ λόγος τομεὺς in duabus tabulis manu sua exoravit, nullo argumento evidente demonstrari posse. Et, fateor, commovit me quondam ipsa sui pietate hæc opinio, ut Sibyllæ folia mihi recitata esse crederem.

Sed concussit illam deinceps non levis aries, & ipsa fundamenta luxavit, quod *Exodi* 17. *comm.* 14. ipse DEUS Moysi, priusquam tabulæ Decalogi traderentur, in mandatis dedit, ut injurias Amalecitarum in librum quempiam consignaret. Et *cap.* 24. *v.* 4. idem Propheta verba Jehovæ omnia in librum consignasse legitur, idque priusquam ascenderet in montem post XL. demum dies accepturus primas Decalogi tabulas. *Confer. cap. Exodi* 31. *colon.* 18. Non quidem me latet, posse hîc πρόληψιν Historicam fingi. Sed cui rei lex tabulis lapideis inscripta, fuisset, nisi ante legem latam literæ cognitæ fuissent? Quis enim usus ignotorum characterum? An Moses alphabe-

turus

Digitized by Google

tum ante Israelitas docuit? An θεόδοτος παιδεύσας accessit? Jam olim scilicet Moses easdem in Ægypto literas didicerat, cùm in omni sapientia Ægyptiorum, ut Stephanus loquitur, *Act.* 7, 22. erudiretur. Nec Philonem audio, qui de hieroglyphicis id saltem accepit, alioqui fatendum & ipsum Decalogum iisdem literis fuisse consignatum. Alteras autem Ægyptiorum literas Cadmeis sive Phœniciis, id est Ebræis, similes fuisse, ex insigni loco Plutarchi colligere posse videor. *Irrnim Agesilai tempore à sepulchro Alcmenæ Thebis æneam tabulam effossam scribit, cujus literæ mirabiles & peruetustæ, ex quibus nil potuerit intelligi, etiam apparerent, postquam eas abluerant. Sed typum fuisse Barbaricum Ægyptio similimum.* Et si Ursini secta sequenda, quid faciemus tot inscriptionibus Beli, Semiramidis, Isidis, Sesostris, Osmanduæ, quas Herodotus & Diodorus allegant. An uno calculo tota antiquitatis fides damnanda? Quid fiet de ipsius Mosis inscriptione, quam in Monte Oreb insculptam observavit Dn. de la Valle, exscripsit Kircherus *in Prodromo Oedipi Ægyptii*? Ante Mosen igitur in usu literæ. Sed à quo inven

Digitized by Google

inventæ? Id enim jam exſpectari puto.

Si in re dubia conjecturis uti licuerit, jam Joſephi tempore non ignotæ notæ literarum ſimul & numerorum, quas Zifras vocamus hodie. Geneſeos certè *cap.* 41. *v.* 49. Ita ipſe Moſes: numerum frumenti à Joſepho collectum, in tantam molem excreviſſe, ut nec numerari לספר amplius potuerit. Radicem autem ספר non numerorum modò, ſed & literarum ſcriptionem notare norunt Ebræorum filii. Ego verò non numeros defeciſſe arbitror (quibus etiam ultra arenam maris aſcendere, licet ex computo Archimedis, utut illa ad extimam cœli ſuperficiem aſcendat. *Vide Lauremb. Arithm. Inſtitut. pag.* 27.) ſed papyrum, aut alia in quibus ſcriptitatum. In Ægypto repertas literas jam ſupra monitum, à Mercurio quodam. Quid ſi is noſter Joſephus? Locus certè & tempus non repugnant, nec ſapientia diſpar, nec dignitas. Uterque regis vicarium egit. Vide Urſinum *in Trismegiſto pag.* 73. & confer locum Pſalmi 105. *comm.* 22. Addo, quod liber Hiobi omnium ferè judicio noſtratium

Digitized by Google

tium sit antiquissimus, & ante Mosen scriptus. Idan ipse fecerit valdè dubium, quia id ab alio fieri optat, *cap.* 19. Josephus ergò? Ita quidem Leontinus de sectis *pag.* 409. ex mente aliorum. In mentem quoque veniat, quod de Josepho Magnus Vossius habet *in aureo opere de Theol. Gentilium.*

Argo-

Digitized by Google

Argonautarum expeditio.

QVantum ad famæ non modò celebritatem, sed & æternitatem conferant literarum monumenta, vel ex eo intelligere est, quòd Germani nostri heroicis facinoribus semper quidem inclyti obscuri tamen mansére, donec Romanorum scriptis, iisque satis malignis nonnihil ex tenebris suis prorepere cœperunt. Tantum nocuit majores literarum secreta ignorasse! Nimirum, ut venustè Venusina Siren canet *lib.4. Od.8.*

Paulum sepultæ distat inertiæ
Celata virtus.

Græci autem famæ propagandæ maximi artifices toto orbe suorum hominum laudes disseminavére, etiam mendacio in majus auctas. Quàm magnifica grandiloquentia illi celebrant decennii vertentis labore unam urbem cepisse? Marathoniam autem pugnam trecenti scri-

Digitized by Google

ptores illustravere. Quid Salamina jam dicam & Plataeas? Unius verò navis piraticam audaciam, quâ Argonautæ vecti aureum vellus ex Colchide rapuerunt, Deus bone quibus tubis non ebuccinant! Quantum autem est ex Thessalia per Hellespontum in Colchidem abire & redire, si ad nostrorum nautarum expeditiones id contendas? Nisi forte ipsa perfectio minimam partem operis istius habet, & reditus longè illustrior. Id verò cùm mihi valdè verisimile, age præsenti opera dispiciamus.

Evolventibus autem antiquitatis fidem in tres potissimum sententias abiisse compertum, qui de hac expeditione Argonautarum aliquid literis consignatum reliquére. Reliquas enim fabulas quas Delrio Notis ad Medeam Senecæ constipavit, non moramur. Aut enim eâdem viâ per Hellespontum rediisse, ajunt in Thessaliam. Quod si admittimus, mirari subit illa mundi crepitacula de tantula re tantas nugas egisse. Quod enim primam hanc navem fuisse, & hinc admirationem itineris auctam esse dictitant, in fabulis numero. Nam & ante Jasonem Cadmus Phœnix, & multi alii nave in Græciam appulerant, colonias dedu-

Digitized by Google

deduxerant, de quibus omnium optimè Bochartus divino opere Geographiæ sacræ. Crediderim facilius primam Græcorum navem fuisse, quæ Euxinum pontum sollicitarit. Axenus is antè dictus fuerat, quasi inhospitalis, sive ob accolarum mores, sive ob pericula ejus maris.

Sed sunt alii, ut Justinus *lib.* 32. *cap.* 3. & princeps hæreseos Apollonius Rhodius, quibus major forte fides habenda, Hi tradunt Æætam Colchorum Regem post Medeæ fugam & raptum χευσομάλας piratas Absyrto filio Duce classe persecutum esse, qui veritus ne elaberentur, velut per posticam angustias Hellesponti occupaverit, præsidio nautico firmaverit. Hinc coactos latrones maritimos, instantibus præsertim Colchis, in Danubii ostium refugere, quod ipsum cùm classe adversa obsideretur compulsos illos adverso flumine navem egisse, donec ex hoc Dravum ingressi ad Emonam oppidum Italiæ extremum pervenerint. Id cum ipsi condidissent in memoriam expeditionis Argo suam μηχανὰς ἐπήγαγε περὶ τετρακοσίους σταδίους ὁδὸν ἄγει διὰ μέσης ἐλαύνουσα τῆς διαβάλου ἀπάτης. Verba sunt Zosimi *lib.* 5.

Histor. cap. 29. Plinius *lib.* 3. *cap.* 18. & Justinus loc. alleg. humeris eos navem per Alpes transportasse ajunt minore similitudine veri. Emona autem sive Hemona & oppidum Carniolæ *Laubach* (si quæ Cluvero fides *lib. I. Ital. Antiqv. cap.* 3.) ex quo in sinum maris Adriatici Tergestinum brevissimus transitus. Quilibet autem videt in hoc circuitu digniùs operæ tantæque laudis feciſſe pretium Argonautas. καὶ ταῦτα μὲν οὕτω.

Tertii vero itineris ratio planè magnifico ordine explicatur & περίπλουν continet totius Europæ, eamque malo Diodori Siculi, quàm meis verbis tradere. Ita autem ille *lib. IV. cap.* 58. interprete Rhodomanno, *Non pauci*, inquit, *veterum, tum etiam recentiorum (inter quos Timæus est) scriptorum perhibent, Argonautas post vellus abreptum, cognito ostium Ponti ab Æetæ navibus præoccupatum esse mirificum & recensione dignum facinus edidisse. Tanaim enim ingressos ad fontes ejus ascendisse, navique per aliquod loci intervallum protracta, per aliud flumen in Oceanum sese effundens ad mare devenisse, & tum ab Arcto versus Occasum ita cursum flexisse, ut à sinistra continentem haberent, & tandem intra Gades in mare nostrum*

Digitized by Google

noſtrùm invehentur. Subjungit deinde tùm confirmationem hujus ſententiæ, ſed ex precariis fere argumentis petitam, tùm refutationem antecedentis, in quâ neſcio quem Iſtrum ſe in Adriaticum exonerantem comminiſcitur (quod Plin. refutat libro dicto) atque ex nominis ſimilitudine originem erroris accerſit.

Enimverò, ſi hanc opinionem amplectimur vellus aureum obiter ſaltem raptum, & reliqua profectio in Colchidem viliſſima velut appendîx erit reditus utique ἀξιομνημονευτος. Si tamen Orphea ſequimur, qui ipſe interfuit expeditioni, & carmine illam celebravit, & loca ſingula, ſingulas ſtationes diligenter obſervat, victas manus hic veritati dare tantum non cogimur. Is autem a verſu 1037. reditum ex Phaſi fluvio occidentali latere Euxini deducit per littora Gymnorum, Bunomorum, Sintorum, Mœotorum ad lacum cognominem. Deinde per adverſum Tanaim ad Sauromatas, de quibus Opitius *lib. variarum lectionum, ſive in Sarmaticis.* Sequuntur Arlopæ & *v.* 1066. Poëta commemorat Argonautas ratem per ἄπειρον ὕλην, immenſam ſilvam, Dionyſius

Digitized by Google

fius Afer ἀπειρον vocat. Traxisse hæc est Hercynia nostra, olim à Rheno fluvio ad Obium usque porrecta. Inde ventum per Botnicum sinum & per immanissimas gentes novem dierum itinere ad Hyperboreos sive Sveonas, & tandem per angustum flumen, sinumque Granvicum in mare Cronium sive septentrionale emersérunt. Quæ deinde de Cimmeriis & Acheronte sive Charybdi (hodie Muckostrum) de Jerne seu Irlandia, præternavigata, de columnis Herculis, Sardinia, Sicilia commemorat, tam altè itineris vestigia imprimunt, ut vel cœcum ducere possent. Cæterum adeundus hic non modò Ortelius *in Theatro Orbis tabula Argonautarum, quæ ultima est magni Operis;* sed & Hornius *in Atlante veteri. p.* 142. Imprimis autem illustrem Itineris commentarium edidit Dn. Rudbeckius in Atlantica sua *cap.* 26. inque illam Geographicas tabulas construxit, ubi punctis majoribus totam expeditionis faciem curatissimè ostendit. *Vide tab. IV. VI. & XXIX.* Omnem autem dubitationem tollit, quod Haraldum Norwagiæ Regem tempore Constantini Monomachi eadem via in patriam rediisse, certò constet.

Sed

Digitized by Google

Sed quid tu, inquiat quis, Orpheum tam presso pede sequeris? An ignoras ψευδεπιγραφα esse, quæ hodie ipsius nomine se venditant? Imò verò novi quid Vossius hic censeat *cap.* 2. & 4. de Poëtis Græcis, quid Hornius *Histor. Philos. lib.* 3. *c.* 8. & antiquiores etiam. Pisistrati temporibus antiquiora non esse, quæ Orphei nomen hodie ferant, Vossius d. l. decernit. Esto. Sed & Homeri ραψωδίας, quibus tamen ille prærogativam ætatis dat, ab eodem Pisistrato consarcinatas novimus. Ante enim in hymnis sparsim canebantur. Quis verò negare ausit Orphaica eandem esse fortunam experta? Sive autem Onomacritus, sive Cecrops quispiam Pythagoricus ea carmina primus in ordinem redegerit, certè oppido antiqua sunt, nec iter istud Argonauticum, cujus tot circumstantiæ cum populorum situ conveniunt, in cerebro otiosi hominis nasci potuit. Per siccum autem naves trahere & olim usitatum, nec hodie infrequens. Factum enim non ante multos annos, ut Christiani piratæ à Turcis in sinu Megarico deprehensi myoparonem per Isthmum Corinthiacum clam noctu traxerint in oppositum

Digitized by Google

finum, & sic incolumes evaserint stupentibus ad audaciam rei Turcis. Mihi verò

Anchora de prora jacitur, stat littore puppis.

De Fabis Pythagoræ.

DUm argumentum scribendi in horto Pythagoræ vestigo, pene imprudens grande piaculum commisissem fabis conculcatis, à quibus ille tam religiosè abstinendum esse monuit. Verùm agite obtemperemus benè monenti & curatiore paulo oculo fabas hasce contemplemur. Quod antequam facio, ne extra oleas vagetur oratio certis quibusdam cancellis circumdanda erit. Tota autem tractatio duabus quæstionibus absolvitur: *an scil. Samius ille Magister abstinuerit ab hoc legumine* (ova enim per κυάμους cum Gesnero intelligere quæ ratio svaserit?) & *cur abstinere jusserit?* Si autem μικρολογεῖν cuipiam videbor, cogitet illud divini Hippocratis: μηδὲν ὁ μικρὸν, μηδὲν παρεργον, nihil parvum, nihil contemnendum.

Et

Digitized by Google

Et abstinuisse quidem Pythagoram à fabulo, *ut Gellii voce utar*, totiq; ferme antiquitatis consensu ita comprobatū est, ut mirari subeat, cur Noctium Atticarum scriptor opinionem hanc veterem & falsam *lib. IV. cap. XI.* appellare non vereatur. Laudat ille quidem Aristoxenum autorem alicubi inquientem: *hunc virum ex omnibus leguminibus maximè approbasse fabam, & nullo frequentius usum, quod is cibus & subduceret sensim alvum & levigaret.* Ego verò non video, cur solus Aristoxenus non contra præceptorem modo Aristotelem, sed Platonem quoque & omnes reliquos sit audiendus. Quin valeat potius illud in discessionibus olim usurpatū: Hæc pars major esse videtur. Pythagoram sua pleraque ab Ægyptiorum sacerdotibus hausisse pueris etiam Historicorum notum est. Ita autem Paterculorum *in Euterpe Cap. 32. p. m. 104.* Κυάμους ἔτι τι μᾶλλα σπείρουσι Αἰγύπτιοι ἐν τῇ χώρᾳ, τὰς τε φυομένας πρώτους ἔτι ἄψοντες δαπάνται. *Fabas neque serunt Ægyptii in sua terra, neque sponte natas comedunt, ne coctas quidem.* Facile igitur apparet, quid illorum sacris initiatus fecerit. Certe Empedoclis Pythagoræi versum esse illum.

Digitized by Google

Ἀειλοὶ, πανδῆλοι κυάμων ἀπὸ χεῖρας ἔχεσθε,

nec Gellius quidem negat, licet non de legumine, sed de proluvio rei venereæ capiendum esse velit. Ejusdem quoque est illud apud Clementem Alexandrinum, Varronem nostræ religionis, lib. 3. Strom.

Ἴσον τοι κυάμους τρώγειν κεφαλάς τε τοκήων.

Mihi autem dubium non est, quin plus hîc in recessu lateat, aut finistra saltem manu discipuli acceperint, quæ Pythagoras dextra tradiderat. Certe non contemnendum, quod Plato de Timycha Pythagorica fœmina memorat: *Illam coactam à Dionysio tyranno, ut enunciaret cur fabam non comesset, respondisse:* Φάγομαι ἀντὶ τοῦ οὐ φαγομαι, *Rursus coactam ut comesset dixisse:* Οὐ φαγομαι ἀντὶ τοῦ φάγομαι, *Et sic linguam sibi morsicus abstuliisse, inque tyranni faciem exspuisse.* Aut igitur maximè κατὰ μίμησιν Pythagoras hujus rei causam esse voluit, aut insignis, contumacia dicam an superstitio? fuit hujus mulierculæ.

Hinc adeò factum, ut interdicti hujus mens varias interpretationes à variis acceperit, quæ res ad alteram quæstionem pertinet. Summus quidem Aristoteles in omnes se partes transfert apud Laër-

Digitized by Google

Laërtium in vita Pythagoræ, ita de fabis hisce judicans, φασὶ γοῦν αὐτὸν ἀπέχεσθαι τῶν κυάμων &c. res eo abit *Pythagoram monuisse, ut à fabis abstinerent, sive quod pudendis similes sint, sive quod inferni januis (sunt enim infœcundæ solæ, vel potius sine geniculo) sive quod corrumpant, sive quod naturæ universi similes sint, sive quod oligarchiæ in usu sint.* Per Tetractynmeræ tenebræ! Nec satis; Addit enim Laërtius de suo, quod vento plenæ multum animati contineant, quod ventres castigatiores reddant, quod vacuas phantasiis noctes reddant. Sed ideo potius commendandæ erant. Cicero contra *quod tranquillitatem mentis turbent, tantopere vitatas ait de Divinat. I.* Lucianus δι' αἰδοίων τὸν βίον *quod planè genitales sint, quodque si elixam fabam deponas certis noctibus in pixidem æneam, ut interpres addit: sanguinem efficias.* Caussas vides partim physicas, partim quoque mysticas. Varietas autem tanta censendi, si quid video, orta ex eo, quod inter Symbola ejus viri relatum fuit, quod ad vitæ institutum pertinebat. Verè enim ipsum abstinuisse jam probatum. Symbola autem semper ἀπορρήτων & αἰνιγμάτων τρόπος quippiam habent. Quæ cum semel

in

Digitized by Google

in medium projecta sunt, libera cuique conjectandi potestas. Non quidem nescio propriam hanc interpretationem multis fabulis, sarcasmis, subsannationibus Philosophum hunc exposuisse, ut occisum ipsum ementirentur ab Agrigentinis, cùm per agrum fabis consitum effugere noluisset. Addunt alii, quod bovi etiam præceptum illud de faba in aurem insusurraverit, eumque post abstinuisse. Hinc salsa illa in eum scommata apud Horatium *lib. 2. sat. 6.* Epigrammatarios Græcos & Lucianum, passim. Quo minus tamen πολιτικῶς suffragia judicum per fabas intelligere velim, obstat quod ipse Pythagoras Crotoniatis & Metapontinis Rempublicam ordinavit, & discipuli à publicis muneribus non abstinuere. Physica caussa melior de similitudine testiculorum (in quibus omnem vim ἀφροδισιακὴν veteres esse dixerunt,) vel, ipsius phalli, si scilicet faba primum germinet, aut detracto cortice ostendatur istud hilum αἰδοιώδες Theophrasti *Histor. lib. 8. c. 2. & 5.* pueris olim sæpe ex proverbio repertum, quod tamen plerique nostratium pro nigra macula malè accipiunt. Vide sis Hoffmannum *medicam. Officin. lib. 2. Cap. 90.*

Enim-

Digitized by Google

Enim verò cum & ipse & discipuli liberis operam dederint parum memores illius ἀνιὸς ἔφα, mysticum istud de inferni januis mihi quidem solam utramque paginam facere videtur. Quorsum autem istud pertineat, non adeò liquidum. Sensum quidem interpres Laërtii Ambrosius planè corrupit, quando istud ἀγόνατον infœcundum interpretatus est, cùm caulem undique sine geniculo pertusum notet. Ita enim Porphyrius de antro Nympharum explicat. Confer Casaub. *Notis ad Laërtium.* Similitudo in eo consistit, quod facilis descensus Averni, & recta via ex quocunque loco proficiscaris, quo de Epigramma apud Natalem Comitem *p.* 197. Quod autem Bauhinus *lib.* 17. *Hist. plant. p.* 285. Plutarcho refert: *fabas ideò damnatas, quia Lethes & Erebi sint cognomines, idque ad Lathyrum & Erebinthum ciceris genera transfert*, insipidum videtur. Propius scopum ferit Plinius *lib.* 18. *Hist. Nat. Cap.* 12. *Faba*, inquiens, *Pythagorica sententia damnata, quoniam mortuorum animæ sunt in ea. Qua de caussa parentando utique assumitur. Varro & ob hæc Flaminem eâ non vesci tradit, quia in flore ejus literæ lugubres reperiantur.* Imprimis autem observationem meretur,

Digitized by Google

tur, quod Alexand. ab Alex. *lib.* 12. *Cap.* 2. observat *in Lemuribus, quæ Majo per trinoctium fiebant, fabam nigram nudis lotisque manibus pedibusque per ora versantes ære tinniente post terga rejiciebant, lemures domo se ejicere clamantes, & ut abirent novies orantes, expiari hic manes arbitrati.* Confer & Ovidium in Fastis, & quæ ad illum Rosinus commentatur *lib.* 4. *Antiqv. Rom. Cap.* 9. Quæ si quis omnia reputaverit, magici quippiam deprehendet, à qua arte Pythagoras adeò alienus non erat. Et hinc illud religiosissimum silentium de fabis. Ita enim superstitio mentes ligare solet, ut vel mortis periculo decidere soleant. Finirem hic, nisi obiter monendum esset, litem illam, an vulgaris faba nostra eadem sit quæ Græcorum, inter Tragum & Cordum Botanicos olim motam facile ex similitudine testium decidi posse. Vide iterum Hoffmannum & Bauhinum locis allegatis.

* * *

Digitized by Google Ger-

Germanorum ſtatura.

VT in tota rerum natura datur maximum & minimum: ita iisdem terminis hominum quoque ſtatura includitur. Hinc gigantes, illinc pygmæi ſtant, qui inter monſtra potius, quàm homines referendi judicio B. Sperlingii. Hoſce autem in aliam occaſionem differre jam placet, & de veterum Germanorum ſtatura eminente, curque illa hodie decreverit nonnulla commentari. Et Germanos quidem olim non Italorum modò; ſed & Gallorum corpora proceritate ſuperaſſe, multorum teſtimoniis comprobari videmus apud Cluverium German. Antiquæ *l. 1. c. 14.* Ad quam altitudinem autem hæ gentes excreverint, melius meo quidem ſenſu addiſci non poteſt, quàm ex ſtatura tironis Romani, quam Vegetius *lib. 1. cap. 5.* conſignatam nobis reliquit, cum illorum proceritatem ad ſenos, vel certè

Digitized by Google

certè quinos pedes cum denis unciis fuisse exactam scribit. Renovarunt hanc legem Impp. Valentinianus & Valens *Cod. Theol. tit. de tironibus, ubi delectum haberi jubent in quinque pedibus & septem unotis usualibus.* Et ad hanc magnitudinem pleriq; Italorum tunc assurgebant, & nunc assurgunt. Proceri autem erant, qui ad senos usque pedes eminebant, quod ex eo liquet, quod Svetonius de Nerone habet, qui phalangem Alexandri M. æmulam conscripturus ex Italicis senum pedum tironibus legionem collegit. Si enim communis illa statura fuisset, quid electione opus fuisset? Italos autem cum Galli proceritate superarint, verisimile est illorum plerosque senos impleviſſe pedes, aliquos à septimo non multum abfuisse. Caligula enim cum de Germanis triumphum ementiri stolidè vellet *Galliarum proceriſſimum quemque velut ἀξιοθριάμβητον ad pompam sepoſuit.* Ergò adhuc majores Gallis Germani. Sed quanti? Definire difficile. Varro quidem, Gellius & Solinus *cap.* 4. statuunt, summum modum adolescendi corporis humani esse septem pedes & intra hunc modum Herculem fuisse. Id si admittimus aut singulare est, quòd de Pro-

Digitized by Google

Proæresio Sophista Eunapius habet, illum ἀνεσχηκέναι εἰς ἑπτακτὸν πόδα, surrexisse ad nonum pedem (ut benè Casaubonus emendat, cum ante legeretur εἰς ἕνα τὸν πόδα sensu plane inepto) aut de minore mensura pedis capiendum. Et eodem forte modo Maximinus apud Capitolinum octo pedes & prope semis, Andronicus Comnenus decem plane impleviſſe leguntur. Confer hic Majolum *dieb. Canic. Tom. I. Coll. 2.* Germanos autem plerosque ad septimum Herculeamque staturam perveniſſe tùm ex antecedentibus liquet, tum ex Sidonii testimonio *lib. 8.* ita canentis:

Hic Burgundio septipes frequenter
Flexo poplite supplicat quietem.

Burgundiones autem Germani Probo imperante Rhenum transgressi in Galliis consedere, ubi hodieque Burgundiæ Ducatus & Comitatus nomen retinet. Vide Cluver. *lib. 3. cap. 36.* Ingens utique & verè regia statura, quæque non immeritò Romanis olim & Gallis maximum terrorem injecit, velut cum gigantum sobole pugnaturis. Si enim pedi Romano, ut par est, damus sedecim digitorum longitudinem, septem pedes ad quatuor ulnas nostrates assurgunt excepto circi-

Digitized by Google

ter quadrante. Ea autem proceritas in nostris gentibus hodie propemodum miraculo est. Inde non immeritò quæritur, qui factum ut succedentibus seculis, statura adeò decreverit.

Et veterum quidem plerique caussam proceritatis in climatis rationem rejiciunt, atque, ut Vitruvius loquitur, *sub septentrionibus nutriri gentes immanibus corporibus* dictitant; *australes vero ob æstum humores depopulantem esse contractiores.* Huic fere calculum suum adjicit Bodinus Method. Histor. *cap.* 5. nisi quod relictis remotis meritò propiores causssas nominat, calorem corporum humidò permixtum. Enimvero & Æthiopes alicubi longissimi, & ultra gradum latitudinis septentrionalis 56. quo longius procedas, eò breviores homines invenias. Et, si solum clima sufficit, clima non mutavimus, staturam mutavimus, quantumlibet Jonstonus de Constantia naturæ contradicat p. 49. &c. Illi autem ferme ridiculi, qui vitio seculi senescentis jam ab Homeri ætate corpora hominum concreviſſe delirant. Novi illa Poëtarum:

οἷοι νῦν βροτοὶ εἰσιν, Iliad. E.

Quali-

Digitized by Google

Qualia nunc hominum producit corpora tellus. Virgil.

Et Juvenalis: *Terra malos homines nunc educat, atque minores.*

Enimverò, si res ita habet, Adamum gigantem fuisse oportet, ut sensim decrescendi copiam daret posteris, & minor, quod non jam olim ad pumiliorum minutiem redacti sumus.

Quorum tota cohors pede non est altior uno.

Mihi quidem hæc recta ratione mecum reputanti, semper visum fuit mutationem victus atque educationis & festinata matrimonia in caussa fuisse, cur pumiliora & humiliora hodie sint nostratium corpora. Verùm age de singulis videamus.

Simplici victu olim defungebantur majores nostri, & inter præcipua alimenta lac erat per omnem vitam, quod quantum vim habeat ad augenda corpora & infantes hodie ostendunt, & Helvetii & Cimbri, qui illud in quotidiano usu habent. Rectè Stagirites *lib. 3. hist. animal.* lac τροφιμώτατον vocat, ad alendum validissimum, & *lib. 7. Politicorum cap. 17.* præclarè scribit: φαίνεται δὲ τῶν ἄλλων ζώων διαπεπωκὼς ἡ δὲ τῶν ἐθνῶν, οἷς ἅπαν-

Digitized by Google

λές ὄβιν εἰσαγειν πολεμικῶ ἔζιν ἡ τὸ γαλακτ ὦ πληθόντα τροφὴ μάλιστα οἰκεία τοῖς σώμασιν. i. e. *apparet considerantibus tum ex aliis animantibus, tùm ex illis gentibus, quibus curæ est belli cum sibi inducere habitum nutrimentum lactis maximè augere & corpoporibus propriùm esse*, ubi in Scythas procul dubio digitum intendit, quorum nos sumus posteri. Hoc imo usi in trimatu suo cuique dimidia est mensura staturæ. Ut Plinius notat *lib. VII. Hist. Nat.* Pati verò non possum, quin Levini quoque Lemnii super ea re judicium adducam. Ita autem ille de occult. Nat. mirac. *lib. 2. cap. 24.* Si adolescentes & pueri ab ipsis incunabulis adsvescant, atque exercitationi sint dediti, productiori efficiuntur corpore, staturaque decenti ac speciosâ. Siquidem lactis potu atque usu ossa aluntur, quod semini affine est, ac sanguis elaboratus atque exactè concoctus. A matribus etiam toto lactabantur biennio & ultra, unde largissima futuræ proceritatis initia fluere nemo non videt. Hodie vero infinito luxu & varietate epularum peregrinis aromatibus conditarum sangvis accenditur, morbi accelerantur non infantibus modo, sed & parentibus infesti, qui mala sua in

Digitized by Google

in liberos transplantant, unde altera ad juſtam ſtaturam impedimenta. Ultra annum verò præbere mammas, in urbibus imprimis, non inſolens, ſed & noxium putatur. Credo ſanè, ne ſuperventu alterius fœtus malè dividatur alimentum vix adoleſcenti puero ſufficiens, & in hanc ſalacitatem vina exſtimulant & aromata. Quid autem veteres de tempore lactationis ſenſerint, ſi quis noſſe deſideret, Valeſium adeat de ſacra Philoſophia *cap.* 83. Cæterum Cimbros, unde olim numeroſiſſimæ gentes velut quodam turbinis æſtu toti Europæ infuſæ hodie inſano comeſſandi bibendique ſtudio, imprimisque uſu vini aduſti nimio genitalem vim corrupiſſe non immerito ſuſpicatur *in Icone animorum* Barclajus. Ut enim in plantis, ita in animantibus lætius adoleſcendi cauſſa humor eſt moderato calore temperatus, qui, ſi juſtam menſuram exceſſerit, incrementa impedit. Non faſciis olim & vinculis excipiebantur recens nati, nec intra cubicula cuſtodiebantur; ſed *in omni domo nudi & ſordidi inter pecora in hos artus, in hæc corpora*, ut Taciti verbis utar, *excreſcebant, quæ mirabantur Romani. Nulla res eſt*, inquit, Hippocrates, *quæ tantopere carnes debili-*

Digitized by Google

tet quàm commorari semper in locis tectis obvelatisque, quo nec calor, nec frigus penetrare possit. Longè aliter prisci Germani, qui infantes adhuc de matre rubentes in Rheno abluebant. Damnat id quidem Galenus ut ferinum; sed ita tenera statim corpuscula contra omnes injurias aëris firmabantur, unde credo fabulam manasse de Rheno Germanicorum infantum exploratore. Quantum vero ad staturam valeat neglectior illa sub divo educatio, non Sarmatarum modo armenta ostendunt, sed & illi, qui in rure contemptius habiti compactiore utuntur corpore & adultiore. Imprimis autem rem acu tetigisse mihi videtur Tacitus cum de Germanis veteribus ait: *Sera juvenum Venus, eoque inexhausta pubertas: nec virgines festinantur: eadem juventa, similis proceritas: pares validique miscentur, ac robora parentum liberi referunt.* Addo Cæsarem *Comm. VI. Qui diutissimè impuberes manserunt maximam inter suos ferunt laudem. Hoc ali staturam, ali hoc vires, nervosque confirmari putant. Intra annum verò vigesimum fœminæ notitiam habuisse in turpissimis habent rebus.* Benè in hanc mentem Aristoteles *lib. 7. Polit. cap. 12.* ἐν ὅσαις τῶν πόλεων

Digitized by Google

λεων ὅπη χωρεῖ ἀζεται τοῖς νέοις συζῆν τοῖς καὶ νέοις ἐπιτήδειον καὶ μιγῆναι τὰ σώματα εἶναι h. e. *in quibuscunque urbibus permittitur adolescentibus cum puellis copulari, in iisdem imperfecta & parva hominum corpora*, unde & sapiens ille annum trigesimum octavum definit ad nuptias masculis.

Nostris autem moribus vix quartum decimum annum implevere nobilium imprimis filiæ, decimum octavum alter sexus, & maturantur nuptiæ. Pudor prohibet dicere, quid etiam intra hos annos libido patret. In hæc mala impulit juventutem nostram vicinorum gentium stolida æmulatio. Accepimus quidem tradente Plinio jam olim Mandros, & hodie Mandeslojo teste Arabas quosdam, & qui sub Mogole degunt, Indos septennes conjungi. Sed & hi ultra trigesimum raro vivunt:

Et succus pecori & lac subducitur agnis.

Quid autem dicam de connubiorum cum Italis, Gallis, aliisque minoribus staturâ gentibus confusione? Hinc est, quod Ephori Archidamum Regem suum pecunia multarunt, quia pusillam uxorculam duxerat. Non Reges enim,

Digitized by Google

ſed regunculos ex illa ſibi ſuſcepturum cauſſabantur. Hæc certè omnia, qui cogitaverit minus mirabitur in enchiridii formam nunc redacta eſſe veterum volumina. Nimirum

Fortes creantur fortibus & bonis.
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Sarda-

Digitized by Google

Sardanapali monumentum.

Ommuni ferme omnium gentium convicio Sardanapalus vapulat, omnium stylis confoditur : non quod ipse turpissimus omnium exstiterit ; sed quod nescio quid sepulchro suo inscribi jusserit, quod melius, ut Aristoteles judicabat, in bovis periculo legeretur. Primus in eum Ctesias signum maledicentiæ extulit, quem deinde Diodorus, Athenæus, Plutarchus, Nicolaus Damascenus, reliqui secuti Sardanapalum sublato clamore velut furem insequuntur. Capita accusationum sunt: inter concubinarum greges sedisse, pensa distribuisse, purpuram neviſſe ; stola muliebri indutum fucata facie prorsus muliebri luxuria diffluxisse. Turpe quidem istud, & parum ex virtutis disciplina. Enimvero quod digna hæc Arbaci visa, quæ Principis sui cæde, Nini excidio, innocen-

Digitized by Google

nocentum sangvine expiarentur, istud non ferendum. Peccavit Rex, sed intra velum, sed remotis arbitris, ut ipsi etiam Arbaci copia videndi illius à Parameize aurea phiala redimenda fuerit. Sed sæpe parum reverenter tractant arcana Principum Historici, & periculosa libertate in eorum secreta inquirunt. Cæterum ipse Diodorus parum memor sui hunc mollem, hunc effœminatum in rebelles, qui jam exercitum 400000. contraxerant, armat, & tribus præliis fortissimè dimicantem, facit, toties victorem. Quam malè hæc cohæreant quis non videt? Non est ejusdem animi luxu & libidine diffluere, muliebri mollitia effœminari, exercitum colligere, pugnare, sæpè vincere, rebus desperatis pyramconscendere, arbitrio victoris se suaque omnia eripere. Sed usque adeo multis præjudiciis ille premitur, ut, qui patrocinari velit, causam voluptatis suscepisse videatur contra virtutem. Itaque malim vadimonium deserere. Vixerunt alii autem multo nequiores. De Hostio Deus bone, quàm fœda, quam turpia, quam exsecranda commemorat Seneca, ut mihi quidem religio sit numerare caput. Dignum sane quod ab Indicibus purgato-

Digitized by Google

gatoriis expungatur atque in ſpongiam incumbat. Parum autem ex dignitate porticus facit Seneca, quod in ſcenam obſcœnitatem hanc producit, & immoratur, & circumſtantias omnes conſectatur lenonis in morem. Quis autem Heliogabalum neſcit, de quo ea Dio commemorat, ut meritò quis putare queat, Diabolum ipſum in hoc monſtro expertum, quo uſque fœditas procedere poſſit. Et tamen hi minore infamia laborant, aut ſaltem occultiore. Diſpenſant nempe famam Hiſtorici & æterna multis ſtigmata inurunt, quibus oblitterandis nulla poſterorum eloquentia ſufficiat. Si autem, quod Magnus Scaliger affirmat, temporum ratio poſtulat, ad hunc ipſum Regem Jonas Propheta acceſſit, non uſque adeò deſperatæ frugis illum fuiſſe oportuit. Et quanto hoc veriſimilius, quàm cum CL. quodam Viro duos uno tempore Reges, duas regias Aſſyriorum fabricari? An verò Sardanapalus Aſſarhaddon fuerit, cujus fit mentio 2. *Reg.* 19, 32. *Eſai.* 37. 38. an Sardanes Phulis filius, quod Amarchanus contendit, non vacat jam inquirere. Conſulendæ Huberi *Diſſert. de genuina ætate Aſſyriorum*, nec non D. Strauchius *in Breviario*

Digitized by Google

viario Chronol. cap. XV. Tricæ illæ sunt inextricabiles, & si uspiam Historia sudat, hic sudat. De Epitaphio potius Regis videndum, quod tàm variè à variis recensetur, ut malæ fidei suspicionem prudentioribus injiciant. Notum illud Jctorum: *Qui variat assertionem, præsumitur mentiri velle.*

Operæ pretium verò est quosdam audire. Diodorus *lib. 2. Bibl. p. 110.* ita habet: Ἐπὶ τοσοῦτον ἦ τερατήχθη τερυφῆς καὶ τῆς ἀμαχίτης ἥδονῆς καὶ ἀκρασίας, ὥστε ἐπιτήδειον εἰς αὐτὸν ποιῆσαι καὶ τοῖς ἀγγέλοις τοῖς Ἀσσυρίοις τῆς ἀρχῆς μὴ τὸν ἑαυτῦ τελευτὴν ἐπὶ τὸν τάφον ἐπιγράψαι τὸ συγγενὲς μὲν ἐκείνοις βαρβαρικῶς, μεθερμηνευθὲν ἦ ὕστερον ὑπό τινος ἕλληνος.

Ταῦτ' ἔχω, ὅσ' ἔφαγον, καὶ ἐφύβρισα, καὶ μετ' ἔρωτος,

Τέρπν' ἔπαθον, τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια κεῖνα λέλειπται.

Clemens Alexandrinus lib. Strom. p. 301. addit unum versum:

Καὶ γὰρ ἐγὼ τοιόσδε εἰμὶ Νίνος μεγάλης βασιλεύσας.

Priores Cicero lib. Tuscul. Quæst. ita expressit:

Hæc habeo, quæ edi, quoque exsaturata voluptas
Hausit: at illa jacent multa & præclara relicta.

Strabo

Digitized by Google

Strabo autem ex Chærilo paulo liberaliùs ſenſum admetitur *lib.14.Georg.p.m.* 389. Anchiala inquiens, Sardanapali opus ut ſcribit Ariſtobulus, ubi ejus monumentum eſt & lapidea ſtatua, quæ dextræ manus digitos committit, & quaſi complodit. Quidam dicunt ibi epigramma eſſe Aſſyriis literis inſculptum hujusmodi:

SARDANAPALUS. ANACYNDARAXIS. FILIUS. ANCHIALEN. ET. TARSUM. UNO. DIE. CONDIDIT. TU. VERO. HOSPES. EDE. BIBE. LUDE. RELIQVA. NE. TANTI. QVIDEM. hoc eſt κροτήματα ſive digitorum crepitu digna, ut Athenæus addit lib. 12. cap. 12. Dipnoſoph. & mox:

Cum te mortalem noris, præſentibus exple
Deliciis animum; poſt mortem nulla, voluptas.
Namque ego ſum pulvis, qui nuper tanta tenebam
Hæc habeo, quæ edi &c.
Hoc ſapiens vitæ mortalibus eſt documentum.

Plutarchus lib. de fortuna Alexandri parum abit à Strabone, niſi quod ſtatuam Regis lapideam ait ἐπερχειμένην ἑαυτῇ βαρ-

Digitized by Google

βαίζει, ἐπὶ τῶν δακτύλων ἐπαίρων κεφαλῆς ὕψος ὀρχήσασθαι. Si ipsi Barbaricè illudentem, elatisque supra caput digitis velut increpantem.

Nec minus dissona sunt, quæ de morte Tonoscon coleri (quo monstroso nomine Eusebius Sardanapalum appellat) circumferuntur. Ctesias incendio se consumpsisse tradit, quo ipsa urbs quoq; conflagravit, ut alii addunt. Sed huic fabulæ strenuè se opponit Hornius in arca Noæ p. 89: & totam ex Historia Zimbri Regis Israelitici, quo de 1. Reg. 16, 18. simile quippiam legitur fluxisse opinatur, errore quodam Ctesiæ decepti. Et Ninum Ammiani adhuc ævo stetisse certum est. Duris ab Arbace statim confossum ait: Clitarchus senio obiisse post amissum regnum: Amyntas sepulchrum ejus à Cyro in urbe Nino eversum scribit:

Jam judicet cordatus Lector. Illud scilicet ganeæ, ut ajunt mancipium de morte & sepultura cogitavit etiam in mediis voluptatibus; imò hanc ipsam in argumentum crapulæ transvorsam abripuit. Successoribus, ajunt, mandavit. Sed hos suos non habuit. Et tamen ab hoste etiam ultimæ voluntati satisfactum,

Digitized by Google

ctum, idque in Cilicia ad Anchialen tanto intervallo à Ninive. Ille Sardanapalus, qui, ut infamiam & conscientiam arbitrorum effugeret, in aula sua latuit, & post parietes peccavit, voluit tamen suæ turpitudinis etiam post mortem monumentum exstare. At scelera conspectum sui reformidant. In perditis quoque, & ad omne dedecus expositis tenerrima est oculorum verecundia: neque quisquam est tam malus, ut videri etiam velit. Quis Tiberii secessum ignorat & infames tot scelerum immanitate Capreas? Quis æstus hujus monstri mentem versabat, cùm multo ante, quanta se quandoque acerbitas & infamia maneret prospiceret? Sed esto sane. Inscribi jusserit infame carmen sepulchro. Elige utram mavelis, excusari tamen potest. Quid attinet omnia Ethnicorum ad severiorem Christianæ Legis Philosophiam exigere? Ignorabant illi animæ immortalitatem, ignorabant præmia vitæ æternæ & supplicia inferorum. Quid mirum si hallucinati sunt illi, cùm & hodie Regum suorum amores, aut, ut magis rusticè dicam, adulteria publicis scriptis celebrent subditi? Quam frequens autem inter nos adagium est; tantum quemque rerum sua-

Digitized by Google

ſuarum ex hoc mundo aufferre, quantum ore corripuerit, mordicus abſtulerit? Maximilianum I. (ſi certa fides memoriæ) laudatiſſimum Principem ferunt, cum aliquando puerum aulæ ſuæ obambulantem vidiſſet. interrogaſſe, quid ageret, cui ſerviret: Hunc reſpondiſſe: ſe coquo eſſe à vertendis verubus. Tum Imperatorem: Sed qua mercede? Illum veſtem ſe accipere & victum. His auditis ſubriſiſſe Principem, & ſe quoque tantundem ab Imperio accipere dictitaſſe. Et hæc ab omnibus verè dicta eſſe putantur, quæ tamen ſi quis cavillari vellet, facile poſſet. Cur enim virtutem ille, & gloriam, & potentiam, & reliqua bona tam maligne ſiluerit.

Verum agite audiamus mortalium facile ſapientiſſimum Eccleſiaſtis *cap. V. v.* 17. 18. ita cenſentem: *Hoc itaque viſum eſt mihi bonum, ut comedat quis & bibat, & fruatur lætitia ex labore ſuo, quo laboravit ipſe ſub ſole numero dierum vitæ ſuæ, quos dedit ei Deus, hæc eſt pars illius. Et omni homini, cui dedit Deus divitias atque ſubſtantiam, poteſtatemque ei tribuit, ut comedat ex eis, & fruatur parte ſua, & lætetur de labore ſuo &c.* His ſi quis conferat, quæ idem Rex eodem libro

Digitized by Google cap.

cap. 3. comm. 12. 13. 23. cap. 8. v. 15. monet; & in hanc, id est, meliorem potius partem benignius epigraphen Sardanapali interpretari velit, æquior illi erit, nec monumentum ejus ut Voluptatis de Virtute tropæum intuebitur. Denique videntur ipsi defectores Regi suo hanc invidiam fecisse, hanc infamiam conciliasse, quo scilicet justiora ipsorum odia, sanctiora adversus turpem atque mollem viderentur arma. Neque enim dubium quin fidem monumentum posuerint, qui rerum post eum sunt potiti. Permeare nec, ut & vappa sit & nebulo Sardanapalus & quisque suo judicio abundet.

Bestiæ uti in Americam pervenerint.

Ingenti olim animorum ardore disputatum fuit, sintne homines è contraria parte, qui adversis vestigiis stent contra nostra vestigia, uti Cicero Antipodes circumloquitur *lib. IV. Tuscul. Quæst.* Et Lactantius quidem *lib. 3. cap. 23.* totam eloquentiam contra

Digitized by Google

defensores hujus opinionis armat, totam bilem in eos effundit, nec dubitat *hosce homines joci caussa philosophari, aut prudentes & scios mendacia defendenda susci-pere, quasi ut ingenia sua in malis rebus exerceant velostenteut.* Augustinus etiam *lib.16. de C. D. cap. 9. nimis absurdumesse, judicat, ut dicatur aliquos homines ex hac in illam partem, Oceani immensitate trajecta navigare ac pervenire potuisse, ut etiam illic ex uno illo primo homine genus institueretur humanum.* Enim verò quid mirum viros hosce doctissimos & sanctitate morum celeberrimos ex rerum Mathematicarum ignoratione humani quid passos esse, cùm Pontifex R. Zacharias (in cujus tamen scrinio pectoris veritas omnis recondita esse creditur) Vigilium Episcopum Salisburgensem accusante, Bonifacio Moguntino Anno Chr. 745. hæresios damnaverit, quòd Antichthonas esse crederet, ut Aventinus memorat, *lib.3. Histor. Bavar.* Augustinum verò satis mirari non possunt, quòd, cùm paulo ante eodem *lib.16. cap.7.* putaverit *bestias jussu Dei, sive permissu etiam ope Angelorum in Insulas longè à continente positas, ad quas enatare non potuerint, transferri potuisse*, de hominibus minus liberaliter

Digitized by Google

liter opinetur. Quid enim? Num, si hodie αὐτόχθονας, experientia confirmat, cum Theophrasto Paracelso duplex Adamus effingendus, Asiaticus unus, alter Americanus? An cum Isaaco Peirerio, Ducis de Conte quondam Secretario negandum Insulas istas à Noachicis posteris impletas esse, aut earum incolas ab his originem duxisse? Ita enim blaterat novus ille Prometheus & Præ-Adamitarum figulus *lib. 4. cap. 9. & lib. 3. cap. 5.* Quin absit prodigiosi cerebri blasphemum delirium! Non tamen negamus arduam quæstionem, & multis nodis esse implicitam, quo pacto, quave via in Americam pervenerint homines & bruta. Quæ difficultas fecit, ut ridicula etiam opinionum monstra in multis multorum nascerentur cerebellis. Ex quibus, ut se liberaret Petrus Cotton Jesuita Acherontæ ipsum sibi movendum esse statuit impie curiosus. Diabolo enim ipsi in obsessa puella hunc nodum solvendum proposuisse legitur. Nos homines & bruta aëre, terra, mari, consilio, casu in novum orbem delatos statuimus. Et de hominibus quidem minus hîc laboramus, quod jam Anno 1659. Wittebergæ publicè in origines Americanas inquisivimus.

Digitized by Google

vimus. Nec de volucribus ulla difficultas, quas maria volando transmittere, etiam lippis & tonsoribus notum. Objicit quidem & hîc Acosta Oceani vastitatem, & notum aves, volando fessas sæpè in ipsas naves decidere. Istud verò adverso imprimis vento accidere solet, nec deest fessis quies in Insulis Canariis, Capo Verde, Flandricis. Propior quoque iisdem ex Asia per Japoniam aut fretum Anian trajectus. Illæ, quibus sua gravitas sublime per cœlum iter negat, altiles ferme sunt & navibus transportari potuerunt. Idem judicium de quadrupedum genere, qui hominum manibus & contubernio adsvevêre. De iis videndum, quos aut sua ferocia, aut ex veneno noxa a consvetudine nostra prohibet; tigrides ajo, ursos, lupos, serpentes, & imprimis fœtidissimum illud vulpium genus, quod Annas Americani vocare solent. Hîc Nierenbergius Jesuita *Hist. Nat. lib. 5. cap. 3.* in eam sententiam inclinat: Terram repetiisse aliquando primum puerperum & post diluvium parturiviisse bestias, & lib. eodem cap. 21. p. 91. in America animalia statim in principio mundi formata quæ ibi inveniuntur. Sed vidit. Prior enim illa aut novam creatio-

Digitized by Google

ationem sibi fabricatur, aut ex lacunis æquivocæ generationis, quam sanior hodie Philosophia (imprimis in perfectioribus animantibus) exsibiliat; altera cum sacris literis adversariam exercet. Quin, si omninò delirandum, statuimus cum Empedocle homines Americanos è terra natos esse ut blitum, aut cum Democrito vermiculorum more ex eadem effusos. Ringeris Nierenbergi, & toto capite abnuis? Atqui ex Italis vestris Andreas Cæsalpinus publicè olim defendit in *Quæst. Peripatet. quæst.* 1. *vetustissimos mortalium instar murium aut ranarum sub Zona torrida* (quidni & in America?) *ex putredine factos esse.* Si autem impium istud credulitate nostra admittimus volaticos Plauti homines ex Gurgustii doniis campis, ubi Bombomachides Cluniminazidysarchides erat Imperator summus Neptuni nepos. Eodem sale Satyrico perfricandi Opmeerus, qui Americam ante Cataclysmum ab Atlanticis gigantibus habitatam fuisse vero non absimile judicat *in Chronologia pag.* 9. Marcus Lescarbotus, qui Noachum ipsum colonias eò duxisse somniat *Hist. Nov. Franciæ lib.* 1. *cap.* 3. & svaviter admodum rethoricatur: *Non credibile esse illum*

Digitized by Google

illum, qui 350. annos post diluvium vixerit, tantus architectus fuerit, qui Dei spiritum, & mille rerum cognitionem habuerit, ignoraſſe terram illam, in qua (riſum teneatis amici) *forte natus erat. Herculem quoque, ait ibi fuiſſe non alienum fuerit ab ejus virtute.* Solvere iſta quid aliud eſt, quàm manum exercere, & in ventum jactare brachia?

Sed ne cancellos, quos ipſe nobis circumdedimus, tranſiliamus, de brutis ſaltem videamus. Ex Aſia illorum deducendas eſſe colonias, ipſa diluvii Noachici hiſtoria ſatis oſtendit.

Quorſum enim tàm ſollicita ſpecierum conſervatio in arca, ſi aut totius orbis naufragium illud non fuit, aut jactura ex generatione æquivoca reparari potuit? In Aſia autem & monte Ararath arca, ſervatrix primum ſtetit. Inde volventibus annis per reliquas orbis partes diffuſa animalia tandem & Americam implevêre. Qua via autem inquis? Per ſeptentrionem Europæum ac Aſiaticum, ſi quidem ea eundem, qua ducit veri ſimilitudo. Cameli, elephantes, rhinocerotes, leones noſtri generis in America, nulli, quia frigoris impatientes. Ingens argumentum per frigidiora climata ac-

ceſſiſſe

Digitized by Google

cessisse cæteras animantes. Quæ facies Gronlandiæ sit, quæ sinuoso flexu supra Americam septentrionalem crispatur, nondum liquet. Aut igitur continenti committitur, aut brevi freto separatur, quod nescio quos piratas transisse novellæ nuper docuêre. Et de glaciali ferarum itinere res certa vel ex Olao M. *lib.* 18. Asiæ quoque illa pars inexplorata, & ultra Jesso cohærere illam novo orbi multi suspicantur. Hac igitur veniisse bestias quis neget? Sed transversim occurrunt alii dictitantes: Multas America feras alit, quas alibi frustra quæsieris. Serpentes sonoros, Pigritiam, Armadillo, oves Peruanas, & si quas alias Aldrovandus & Piso ζωόγραφοι describunt. Ergo peculiaris saltem quædam creatio concedenda. Si enim ex Asia accersendæ, & ibi species remansisset. Bona verba. Unde constat non remansisse? Magna pars Asiæ adhuc incognita ab Obyo flumine ad Sinas usque. Muscovitæ autem, qui istud iter Anno 1651. emensi sunt Legatione in Chinam missa, scientiam invident. Qui tamen sub Borisio Principe eos tractus ultra Jenisciam amnem explorarunt, fatentur se insolita animalia reperisse. Sonoros autem

Digitized by Google

ſerpentes (cujus anatomen Excellentiſs. Dn. Collectores Actorum *ex Eduardo Tyſone ad annum* 1684. *p.* 138. Iconem Piſo *in Hiſtor. Naturali Brasil. pag.* 41. dat.) olim in India Orientali fuiſſe ex Philoſtrati vita Apollonii diſcimus, cujus verba Photius *cmem.* 241. *p. m.* 532. iſta excerpſit: οἱ ὄφεις δράκοντες ὑπόχαλκον ἦχον ἱέντες, montani Dracones (nam & in Braſilia brachii ſæpè craſſitiem, longitudinem quinque pedum habent) ſonum quaſi æreum dant. Quæres iterum indicio eſt ſupra Japoniam aut Sinas alicubi cohærere, aut olim cohæſiſſe Aſiam cum America, aut ſaltem brevem trajectum dari, quod vero ſimilius reddit relatio illa Hamburgi 1676. ex Anglico in noſtratem verſa de quodam nauta Johanne Benio, qui Anno 1668. ex Japonia verſus ſeptentrionem inſtituto itinere, circumnavigata Aſia in Bataviam rediiſſe dicitur. Et ſi Inſulæ Canariæ, C. Verdeac Flandricæ ſunt reliquiæ veteris Atlanticæ, quod multi & magni viri ſuſpicantur, ex Africa quoque tranſitus patuit beſtiis, cujus mediterranea nondum quoque ſatis nota. Et ſi largirer multas in novo orbe ſpecies animantium reperiri, quas vetus hodie non habet, nihil tamen

Digitized by Google

men mouentur ex eo ad causam adversariorum accederet. Leones olim & Europa habuit, hodie nullos. Africa apris & cervis defraudatur, si qua fides Herodoto. Rangiferos solus septentrio ultimus alit. Nimirum ductum naturæ suæ sequuntur animalia, & rationem climatis eligunt, à quo per vim abducta emoriuntur. Nonnunquam quoque casu ad ulteriora expelluntur. Et quis negare ausit volventibus seculis maris atque terrarum, pluribus locis muratam esse faciem? ubi olim Isthmi connexere, hodie freta separant. Siculum testor Gaditanum & Zeilanense. Alicubi maria recesserunt: pluribus locis insulæ enatæ, absorptæ aliæ. Ad Plinium provoco, qui *lib. 2. Hist. Nat. cap.* 87. 88. 89. 90. 91. 92. docebit, quantum hîc terræ motus & illuviones valeant.

Digitized by Google

De Palladio.

FOrtuna ſola eſt in rebus humanis, quæ votorum utramque paginam facit, nec quisquam tam ignavus eſt, qui illam ſibi propitiam ſaltem optando reddere non laboret. De hujus autem inconſtantia cùm pleni ſint omnes libri, plena antiquorum exempla, mirum eſt jam olim quæſitum eſſe & hodie quæri, quo pacto lubricus iſte Mercurius figi, atque ad certas perſonas, familias, urbes, imperia *alligari* poſſit. Ridiculum autem, ſi non planè impium, nec nugis quidem, aut malis artibus hic temperatum eſſe. Ut enim ſinguli felicitatem velut captivam tenerent, herbarum, radicum, gemmarum, ſigillorum variis amuletis tentatum fuit, de quibus Camerar. *Hor. ſubc. Cent. 3. cap. 30.* Vales. *de Philoſ. ſacr. lib. 3.* Qui Romanæ religioni credulitatem ſuam addicunt Evangelium S. Johannis, agniculos cereos, icun-

Digitized by Google

icunculas consecratas, officula de reliquiis sanctorum appendunt, manubriis includunt, & sic se denique egregiè litasse suæ felicitati credunt. De familiis autem quid dicam? Notum ex Chronicis Oldenburgensibus Hamelmanni *part. I. cap.* 10. *fol.* 20. quæ nobilis. matronæ Alvenslæbiæ ancilla quædam ignota ob navatam in puerperio operam, quæque à virunculis nescio quibus Comiti de Hoya relicta sint felicitatis gentilis pignora. In quibus si quis Diaboli præstigias non agnoscit, talpa cæcior est. Ad urbium Deos tutelares spectant hodie sepulchra & cadavera sanctorum hominum. Sic Roma Petri & Pauli præsidiis se munitam credit judicio etiam Baronii *in Ann. 69. num.* 25. 26. Venetiæ S. Marco salutem debent, Gallia Dionysio. Nec verentur dictitare Magdeburgum insuperabile fuisse, donec S. Noriberti corpus custodierit; cùm reliquias hasce Pontificiis tradidisset, à Cæsareanis funesto excidio eversam. Imitantur nempe & hic gentilium superstitionem. Sic enim Laomedontis sepulchrum inter Ilii fata recensetPlautus in *Bacchid. Act. IV. Sc.* 9. & Athenienses oraculo moniti, ut Thesei ossa in urbem reducerent. Plutarch. *in Thesco*

Digitized by Google

seo. Inter imperiorum vero φυλακτήρια non immerito referas ancilia Romanorum cum Palladio, quo de præsente commentatiuncula dispiciendum.

Sive autem originem spectes, sive formam, sive materiam, sive fortunam, tam varia de illo traduntur, ut mentem legentis non dividant, sed distrahant, sed discerpant. Διοπετὲς sive cœlo delapsum illud fuisse nugantur, qui splendidissimè sunt mentiti. Credunt opifex ejus majorem admirationem operi suo conciliaret, ista fingebantur. Ita Dianæ simulachrum *Act. 19.* ita ancilia cœlestem originem prætulere. Sed esto. Ceciderit sanè ex nubibus ut vitulus ille Avicennæ, nondum tamen fabulanum finis. Alii Numa regnante ad ipsius preces ante tabernaculum repente apparuisse, alii in templum nondum tecto opertum defendisse, alii in Phrygiæ urbem delapsum, cui à casu simulachri Pessinuntis nomen impositum fuerit, affirmant. Taubmannus *ad Tulicom. p.* 190. Dorsanius *ad Ilcanum p.* 26. ultimis assentiuntur, atque ad Herodianum provocant à Natali Comite forte decepti. Confundunt enim quæ Herodianus *lib.* 1. *capit.* de matris Deûm simulachro audit, cum eo, quæ de

Palla-

Digitized by Google

Palladio habet *lib. eod. cap.* 34. Et hæc quidem cœlestis origo, cui si fidem adhibeamus, dubium nullum est, Diabolum ejusmodi quid machinatum fuisse, ad superstitiones invehendas.

Qui modestiora autem tradunt, Palladium aut à Scythis, aut à Philosopho quodam Asio confectum, aut Chrysen Pallantis filiam imaginem hanc à Pallade donatam ad Dardanum dotis loco attulisse commemorant. Usque adeo πολλὰ ψεύδονται οἱ πολυγράφοι, mendacium! Firmicus ex Scythis Abarim nominat, multo quam Trojana tempora juniorem, quod Scaliger miratur *ad Euseb. pag.* 46. Aliqua tamen Firmici exemplaria legunt avarum Scythiam. Quid si Avarem? Ut nempe conjectura Barthii *Adversar. lib.* 60. *p.* 2845. aliquo modo locum habeat, qui antiquiorem Scythiam hoc nomine appellatum autumat. De Asio Philosopho ita Cedrenus: *Ajunt Palladium nefandis quibusdam Dæmonum consecrationibus arcanisque ritibus dedicatum, ea vi fuisse, ut urbem, in qua esset, inexpugnabilem conservaret. Id signum Troi Trojanorum Regi Ilium condituro Philosophus quidam & innominatarum prestigiarum sacerdos, illius nomine, dono attulit, in*

Digitized by Google

in cujus gratiam Tros universam suam regionem hactenus Epirrhoen appellatam ab ipso Asiam denominavit. Gemina fere his ex Johanne Antiocheno allegat Seldenus de Diis Syris *Syntagm. I. cap. 2.* Quæ autem de Asiæ nomine adnectuntur, panus est purpuræ attextus, & assentimur hic potius Bocharto *lib. 4. cap. 33.*

Cæterum aut clypei formam habuit, aut ligneum fuit simulachrum, si Cedreno credimus, si Apollodoro magnitudinem trium cubitorum, mobilibus oculis, pedibus ita compositis, ut statum prælianti præ se ferret, dextra elatam hastam, læva colum fusumque gestans, ut rectè olim Theodorus dubitarit, masne an fœmina sit Pallas. Utriusque enim sexus arma ferebat. Pelle insuper humana tegebatur, si Eustathio credimus *ad Il. ad. Z.* Istud verò planè magicum, quod ex Dionysio quodam Clemens Alexandrinus *in Protreptico* habet, & Arnobius repetit *lib. 4. adversus gentes*, *Palladium ex Pelopis ossibus factum esse.* Tales nempe sunt sponsores illi fatorum humanorum, quorum arbitria solus sibi Deus reservavit.

Fortunam denique Palladii si spectes, tam multa varietate insignis, tantis contradi-

Digitized by Google

traditionibus implicita est, ut citius è Labyrintho te expedias. Ajunt nempe illud sollicitè in arce Trojana custoditum fuisse, ut qui nossent in eo salutem urbis sitam esse. Id cum intellexissent Græci Ulyssem & Diomedem per cuniculos vel cloacas ascendisse, & interfectis custodibus signum fatale abstulisse, apud Demophoontem deposuisse: expugnata urbe reddidisse Æneæ. Id negant alii & Diomedem in Italiam abduxisse ferunt, post oraculo monitum Nauti Æneæ socio tradidisse. Julius autem Pollux Onomastici *lib.* 8. *cap.* 25. planè in diversum abit. Scribit enim *post excidium Trojæ quosdam Achivos, Palladium habentes appulisse ad Phalereum portum, ab incolis imprudentibus occisos, Palladium Athenis in foro cognomine collocatum, ubi de cæde invita deinde fuerit quæsitum.* Verum agite, peregrinationem Italicam idoli persequamur! Lavinii primo locatum, deinde Albæ longæ, tandem post tot errores Romæ in templo Vestæ quievit. Quis jam non gratuletur Urbi de tanta alumna? Enimverò non Luceria modò, Siritis, Argi, Heraclea hîc interpellant apud Strabonem lib. 6. sed ipsum Ilium posteris suis possessione decedere non vult

Digitized by Google

vult. Ajunt enim cum Servio Appianus & Julius Obsequens, cum Fimbria bello Mithridatico annis 1050. post primam ἄλωσιν urbem hanc incenderet, remotis templi ruderibus integrum illæsumque Palladis simulachrum fuisse repertum. Plane ad hunc modum, quo & hodie multæ civitates ejusdem Sancti reliquias ostendunt. Sed esto sanè Romana Pallas. Malè certè fidem Numinis sui hoc loco tutata est, cum & è Gallico tumultu vix effugeret precario L. Albinii vehiculo ad Caletanos; & urbis alio incendio à Metello ægrè ex flammis eriperetur, & sub Nerone in cineres redigeretur cum æternis illis Vestæ ignibus, quod Tacitus testatur *lib. 15. annal.* Credo tunc & reliqua populi Romani fata flammis periisse, quorum septem Servius ad *Æneid. VII. v. 188.* enumerat, nimirum *aceum matris Deûm, quadrigas fictiles, Vejentorum cineres, Orestis seu Priami sceptrum, Ilioneum, Palladium, ancilia.* Quibus si quis fortunam Augustam sive auream addiderit, forte non errabit, de qua videndus Clariss. Ruperti *ad Flor. p. 15. &c.* Sed Palladium quidem instar Salamandræ, aut litui Romulei evasisse & hic si Vestæ placet, creditur. Commodo enim imperante

rante iterum Vesta arsit & Palladium ab hominibus (nefas!) conspectum Herod. *lib.* 1. ac denique ab impurissimo homine Heliogabalo in cubiculum imperatoris translatum, ut Deo suo uxor esset. Herod. *lib. V. cap.* 6. Sed jam pudet vanissimæ futilitatis. Istud tamen miror, quod Romani, viri alias satis cordati nugis ejusmodi fidem adhibuerint, & tutelam urbis suæ huic idolo crediderint, quod nec suam quidem tueri potuit. Laomedonte enim Rege Troja ab Hercule expugnata, cives trucidati, ipse Rex occisus. Sed præsens erat tunc, & recens Palladium, & vires nondum obsoletæ. Quam vis quid ego miror gentilium impietatem, cum nec Christianorum quidem animi ab hâc fuerint, sintque alieni. Constantinum quippe Magnum pignus hoc fatale secum Constantinopolim avexisse in quo foro cognomine collocasse autor est Camerarius *Oper. subcisiv. Cent.* 3. *p.* 13. *p.* 44. nescio quorum fidem secutus. Istud enim Minervæ simulachrum, quod Nicetas circa finem annalium describit in triginta pedum altitudinem assurgebat, nihil ad Ilionsem Minervam. Ego quidem valde dubito tam pium Imperatorem, qui reliqua idola confringi jussit, in hoc uno

Digitized by Google

peccasse. Cæterum negari nequit Constantinopolim plenam fuisse ejusmodi statuis Magicis, contra Barbaros, serpentes, & alia mala collocatis. Adderem de his aliquam multa, nisi hoc me labore sublevaret Simon Majolus *Canic. dier. Tom. II. Colloq. 2. p. m.* 129. Richterus *in Axiomat. Polit. p.* 109. & idem ille Camerarus *Cent. I. cap.* 60. *Cent.* 2. *cap.* 9. *Cent.* 3. *cap.* 13. 14. Ridemus cineres Zoroastris & quæ Herodotus habet *lib.* 4. *cap* 4. Scytharum cœlitus lapsa pignora, aratrum nempe, jugum, securim, phialam, & tamen de Gallorum liliis, vexillo, & oleo ampullæ Rhemensis non miriora nugantur nugivendi, quo de vide velut in compendio Bornmeisteri Pharum Geographicam *p.* 179. Qua fama verò apud Græcos crux dominica fuerit, notum est, & habet quid ejusmodi Imperium quoque nostrum in lancea illa, qua latus Servatoris perforatum, quæ hodie Norimbergæ inter cætera λείψανα asservatur. Hanc quippe circa annum 1097. peculiari revelatione detectam victorias multas Christianis peperisse contra Saracenos, Hunnos, & alios hostes crediderunt.

* * *

Libe-

Digitized by Google

Liberorum unde corruptela.

QVemadmodum illustri die, clarius est, malorum hominum semper uberrimam fuisse annonam, inque hoc uno omnium seculorum, omnium gentium sapientibus optimè convenit: Ita unde tam fœda vitiorum seges erumpat, in diversas semper sententias abiére quarumlibet ætatum sectæ. Si enim Poëtas in consilium adhibeas, arduam illi virtutis viam, austeram faciem: voluptatis autem declivia, meretricium vultum, illices blanditias caussabuntur. Si Philosophos, pro instituto quisque sectæ suæ respondebit. Plato animas rerum primordio à Deo conditas nescio quâ bruta cupiditate in generationem & materiam abeundi peccasse, & sic in corpora velut ergastula detrusas stoliditatis suæ luere pœnas. Aristoteles sententiam rogatus ceniebit superiorem, par-

partem animæ, quam Rationem appellamus, incorruptam esse atque bonam, ut quæ ad bona nos adhortetur; infimam vegetabilem virtutis & vitii expertem, ac sic quoque insontem: Mediam verò sensitivam instar contumacis bestiæ recalcitrare rationi & imperium detrectare. Sed operæ pretium fuerit ipsum videre *lib.* 1. *Nicomach. cap.* 13. *& lib.* 7. *Cap.* 3. Pari pacto qui ex Zenonis porticu nobiliorem nostri partem absolvunt, materiam insimulant & damnant. Quo pertinet illud Arpinatis nostri lib. III. Tuscul. *Ingeniis nostris semina innata virtutum, quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam perducerent.* Huic pollicem premit Quintilianus Orator. Instit. Cap. ultimo; *Natura*, inquiens, *nos ad mentem optimam genuit, adeoque discere meliora volentibus promptum est, ut verè intuenti mirum sit illud magis, malos esse tam multos.*

Enim verò si hos omnes interroges, qui fiat, ut inferior & ægrota pars nostri prævaleat superiori & incorruptæ, hærebunt sicut mus in pice. Viderint autem hîc, quantum à Patriarchis hisce suis absint, qui peccatum Originis extenuant, liberum arbitrium extollunt, concupiscen-

Digitized by Google

scentias fontem ἀλόφορον appellant, ut propè cum Aristotele exclament *lib. 2. Nicomach.* ἀγαθοὶ μὲν ἡμεῖς πάντοι δ' ἡμόμεθα φύσει. Viderint etiam illi, qui vitio materiæ peccasse Adamum statuunt ex Stoicorum scilicet mente, quam vide apud Excellentiss. Thomasium *dissert. 12. ad philosophiam hujus sectæ*,

Mihi quidem dubium non est, nos pleraque vitia parentibus nostris debere, non modo ex traduce infausto peccati originalis, cujus ærumnosa hæreditas omnibus jam adeunda; Sed quoque pudendo quodam educationis errore. Sed quis hoc nescit, inquiat quis, neglecta educatione corrumpi liberos, parentum malos mores exemplo nocere, priusquam illa ætas boni malique discrimen intelligat, aut scandali rationem admittat? Itaque precor, ne impatienti festinatione censuræ plura & planiora dicturum occupent. *Hoc volo dicere, parentes etiam optimos & prudentissimos, & disciplinæ servantissimos nihil tale cogitantes, nihil tale sperantes, tamen parvulorum suorum fomiti aliàs corrupto scintillas superbiæ, invidiæ, iræ & vindictæ, libidinis, metus, gulæ, denique omnis malitiæ quasi per ludum & jocum subdere.* Id, ne cui mi-

Digitized by Google

rum videatur & plane παράδοξον, age totam scenam remoto velo explicemus.

Ornandus est aliquis infans, comendus, lavandus, purgandus. Reclamat, ille partim dolore pectinis, scopularum &c. partim naturali pravitate & pro modo virium strenuè repugnat.

Quid ad hæc nos? Simul ac breves induciæ bellum hoc interpolant, digitum admirantem attollimus, in gyrum circumducimus, & illud hem! vah! papæ! ingeminantes cum poppysmate venustatem vestium, nitorem oris, artificium lepidissimi capitis, deprædicamus. Quid mirum si pusio deinde se circumspicere incipit, si sibi placere, si ostendere novos calceolos, togulam admirari. Et tamen, quod nemo credit, ex his parvis initiis sensim superbia cum annis invalescit inter applausus nostros, ut frustra postmodum cura omnis sit. Quo fit, ut rusticorum liberi, qui fere negligentius habentur, huic malo minus sint obnoxii.

Detrectat alius pupus cibum & cum vagitu injectum rejicit. Nos arrepta, patellâ, feli, cani, fraterculis, sororculis, denique ipsi Manduco pappam daturos minitamur: unum quoque alterumque bolum

Digitized by Google

bolum objicimus illis, sedulo interim monentes, ut caveat, ut accipiat priusquam esuritores illi cupedias præcipiant, cupidi, turpes, malevoli, indigni. Sed ita sensim invidiæ veneno imbuti in adultiore quoque ætatula livent, ac etiam saturi de dimenso suo quid consangvineis dari ægerrimè ferunt, & velut tribunitio clamore VETANT.

Interea dies diem trudit, & nostri illi prima vestigia formare & firmare discunt, utque fit, in illa ambulandi imperitia, forte cadunt & ploratu dolorem testantur. Hîc inter præcipua solatia humus pulsata, & in quo tenellus ambulo offendit cum increpatione percutitur & minis, si quid amplius peccet. Non possum mihi temperare, quin Senecæ hîc verba afferam *ex lib. I. de Ira, Cap. 2. p. m. 393. Pueri si ceciderunt, terram verberari volunt &c. Deluduntur itaque imitatione plagarum & simulatis deprecantium lachrymis placantur & falsa ultione falsus dolor tollitur.* Eadem fomenta adhibentur, quoties aut fratribus irascitur, aut familiæ, quam simulatis verberibus ulciscimur, ut placatiorem scilicet habeamus infantulum. Verùm enim verò hinc accidit, ut de pædagogo quo-

Digitized by Google

que & parentibus sibi satisfieri velit. Et miramur deinde, si ungvibus & morsu ulciscitur injurias.

Libidinis autem quænam alia incunabula? A nobis iterum illa amandi tirocinia habent. Docemus oscula dare, brachiolis cervicem ligare, basia eminus mittere primoribus digitis excepta, demulcere genas, columbatim miscere lingvas, addere blanditias. Et sic denique lepidum & amabilem videmur habere puerum, cùm prima hæc libidinis rudimenta feliciter percepit. Illi autem eum postea adultiores sciunt quid sit amare, utuntur arte, quam nobis tradentibus hausere, &

Quo semel est imbuta recens custodit amorem
Pupa diu.

Quin nec metûs quidem alia origo. Quota quæque enim mater, ut de nostro sexu nihil ducam, cum minas & blanditias frustra consumsit, ad μορμολυκεῖα, ad deformem personam, & illa noctium, *ut Apulejano verbo utar*, occursacula non confugit, velut ad sacram anchoram? Quo fit, ut etiam confirmatioribus annis sine candela extra limen pedem proferre non

Digitized by Google

non audeant, inquietis somniis, nocturnis terroribus infestentur.

Gulam verò quanto irritamus opere, cum nihil de præsentibus epulis negare solemus? Quin audivi anus nonnullas velut è tripode sanctissime affirmare: Toties pueris guttam sanguinis de corde decidere, quoties aliquid de præsente copia ciborum negetur. Tantò scilicet magis cavendum esse.

Hæc omnia cùm ita fiant, nostra deinde peccata furca & armata manu expellere ferò tentamus. Sed maturè eundem obviam inquias. Enimverò quando? Ante annum pueros vel levi manu percutere ingens matribus piaculum, qui sexus quo plerumque indulgentior, hoc ad disciplinam inutilior. Ita annus abit. Deinde dentiunt miselli, & nescio quid morbi interioris aluńt. Ignoscendum, patiendum, condolendum, ætas exspectanda. Sub his prætextibus quartus & quintus labuntur. Sed nec tunc quidem desunt, quæ excipiantur, infantia, imprudentia, ignorantia boni malique. Sed quid consilii? Ego quidem id me daturum non professus sum. Impar huic malo Respublica & altioris ea res indaginis, alius

Digitized by Google

temporis. Sed ne plane ἀσύμβολος jam discedam, prima hæc lex esto: Nihil indulgendum imperiosis vagitibus. Nunc autem satis fuit ostendere, culpa nostra plerumque liberos nostros degenerare nostro periculo. ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Vera autem hæc esse quilibet facile, qui non pro capite cucurbitam gerit, fatebitur. Et tamen seculi deinde morbos accusamus, scholarum laxiorem disciplinam caussamur, & omni ratione culpam à nobis amoliri, aliis imputare satagimus.

De

Digitized by Google

De Hominibus à beſtiis enutritis.

Multus paſſim ſermo, non apud Hiſtoricos modò; ſed & veritatis interpolatores Poëtas circumfertur de hominibus, quibus bruta mammas aut cibum præbuerint, plerumque non ſine omine futuræ magnitudinis. Quia verò hi ipſi fidem narrationibus ſuis detrahunt, & variis interpretationibus rem incruſtant, mihi id negotii datum eſſe credidi, forulos iſtos paulò penitiùs excutiendi. Ne autem incompoſita farrago relationum offendat legentium oculos, audientium animos, nutricationem hanc non inter animantium tot ſpecies diſpergere; ſed inter quadrupedes, aves, inſecta dividere placet. Quadrupedum familiam meritò capra ducit

Quæ fuit in cunis officioſa Jovis,

ut habet receptiſſima opinio. Auton. Liberal.

Digitized by Google

beral. *Metamorphos. cap.* 19. (Reliquas illius nutriculas, nymphas, apes, aquilam, columbam vide apud Natalem Comitem *lib.* 1. *Mythol. cap.* 1. *p.* 80. Hinc Ægiochus Jupiter ab αἴξ capra,) quod procul dubio ex Ebræo עז quia mortuæ nutricis pellem Jupiter clypeo induxerit, ipsam cœlo inseruerit. Pari pacto inter αἰγοτεροφεῖς referuntur Æsculapius apud Pausaniam *in Corinthiacis* Ægisthus apud Ælianum *lib.* 12. *cap.* 42. Daphnis in dramate Longi Sophistæ, quod ποιμενικὸν inscribit, *p.* 4. sicut amasium ejus ab ove *pag.* 7.

A capra ad canem transimus, domesticum quoque animal & hominis amantissimum. Ab hoc animante Cyrum nutritum Herodotus habet *lib.* 1. *cap.* 109. *&c.* Justinus *lib.* 1. *cap.* 4. alii. Æsculapium Lactantius *lib.* 1. *de falsa religione cap.* 10. Ad feras transeuntibus cerva primum se offert, cui Habis Hispanorum Rex nutritia sua debet, Justinus *lib.* 44. *c.* 4. Telephus, Auges & Herculis filius Hyginus *fab.* 252. Ægidius Athenienſis Eremita, cujus memoria in Calendas septembris incidit memorante Majolo *Colloq.* 7. *Canic. Dier. p.* 196. qui etiam aliud exemplum hominis cervorum contubernio usi

Digitized by Google

usi ibidem subnectit. Sed nec lupi quidem infestum aliàs homini animal ab hoc beneficio excludendi. Ab his enim non Miletus modò Antonio Liberali teste *cap.30. p.237.* Sed & Remo cum fratre Quirinus educatus est. Testantur quotquot de origine urbis Romanæ scripsere. Hisce omnibus Ælianus loco citato addit Peliam ab equa, Paridem ab ursa lactatos. Leonem verò Androcli hospitem consulto hic præterimus.

De avibus jam videndum, in quibus corvi Eliæ dapiferi meritò primum locum occupant, quòd sacræ literæ hîc fidem faciunt humana majorem 1. *Reg.17.* ad cujus miraculi similitudinem conficta videri possunt, quæ de Antonio & Paulo Eremitis Hieronymus habet *in vita Pauli.* His in tanta colorum dissimilitudine tamen beneficii vicinia columbas conjungit. Altrices illæ feruntur Semiramidis Diodoro Siculo *lib. 2. cap. 4.* quibus cum natura ubera non dederit, ex vicinis pastorum attegiis lac coagulatum surripuisse ait, atque infantis ori inseruisse. Hanc eandem cum Venere esse, cui sacræ sunt columbæ, non contemnendis argumentis probat Christianus Adamus Ruperti *Observat. ad Besoldi Synop-*

Digitized by Google

p/in Hiſtor. univerſal. p. 39. Adi ſis & Voſſium *de Orig. Idololatr. lib.* 1. *cap.* 23. Et de ævibus quidem, quod ſciam, iſta; niſi quis huc trahere velit, tempore lanienæ Pariſienſis viro cuipiam pio inter duos parietes latitanti gallinam tertio quoque die ovum, quo, dum furor deferveret, aleretur, in manus repoſuiſſe, quod debemus maximæ fidei Hiſtorico Thuano.

Inſecta reſtant, quibus per analogiam quandam locus inter hæc exempla patet. Midæ nempe fabulantur, dormienti formicas magno ſtudio & labore frumenta in os comportaſſe, ut habet Ælianus *lib.* 12. ποικίλης *cap.* 46. De apibus autem nobiliſſimo inſecto plures circumferuntur narratiúnculæ. Illæ quippe, ut Jovem taceam, quod de ſupra, & Meliteum apud Anton. *cap.* 13. Hieronem expoſitum, & humanæ opis egentem congeſto circa jacentem melle multis diebus aluére, ſi quæ fides Juſtino *lib.* 23. *cap* 4. Valer. Max. *lib.* 1. *cap.* 6. Plin. *Hiſtor. natur. lib.* 11. *cap.* 17. & Ciceroni *lib.* 1. *de Divinat.* Illæ Pindari, Platonis Ælian. *lib.* 12. *cap.* 46. Ambroſii, Paulinus apud Majolum *p.* 124. labris parvulis nectar ſuum ingerentes eloquentiæ omen fecére.

Digitized by Google

Et hæc fere sunt, quæ passim librorum prata pervolitanti reperire licuit de μετοτρόφοις. Majus opus autem restat, sententiam de his ferre, & ad judicii limam revocare singula. Si autem per vestigia mea retrocedere licet, non dubito, quæ de apibus feruntur ad unius exemplar, & reliqua expressa esse. Pari enim audacia Jovianus Pontanus *lib.* 2. *de stellis* idem prodigium Virgilio applicat his versibus:

Hunc (Melissa) *natum gremio excipiens flaventia mella*
Instillat puero & dulci rore illinit ora, &c.

Quamvis à similitudine veri istud non absit, apiculas dulcedinem cibi, quo pueri aluntur, secutas pluribus insidere potuisse. Idem ferme judicium de formicis Midæ. Columbas Semiramidis ad μυθικὰ rejicio. De corvis Antonii τὸ ἐπέχειν amplector, nisi forte & hi fraterculi fuerunt eorum, qui Prophetam alumnum habuêre. De quadrupedibus circumspectius agendum. Et quidem si Mythologos, aut quosdam etiam Historicorum sententiam roges, ex apibus Nymphas, ex cane Spaco bubulcam, ex lupa Faustuli uxorem, ex omnibus brutis homines di-

Digitized by Google

Etum

ctum factum fabricabuntur. Ubi quidem lubens concesserim in multis nominis similitudinem, in aliquibus & corporis animique dotes occasionem fingendi dedisse, ut eloquentem ab apibus, celerem ab equa aut cerva, crudelem à tigride nutritum fabularentur. Huc enim spectat Virgilii illud: Camillam lacte equino educatam, *Æneid.* 11. & illud ejusdem *Æneid.* 4.

-- -- duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hircanæque admorunt ubera tigres.

Hâc autem fidelia omnes parietes dealbari posse nego, negat ratio, negat experientia, Breviter sic me expedio. Ferino, aut etiam sine omni lacte educari posse hominem in confesso hodie est, licet in subsidium non vocem, quæ Procopius lib. 2. belli Gothici de Thulitis memorat, *illos cerebris & medullis ferarum infantes suos alere.* De brutorum multorum φιλοθρεψια plenus Aristoteles, plenus Ælianus, plenus uterque Plinius. Lac fœtibus destinatum alendis, si illi aut morte, aut venatorum raptu perierint, ubera bestiarum distendit, & non sine voluptate emulgetur, retentum turget, tabescit, exulcerat. Expositiones infantum

Digitized by Google

tum ut licitæ, ita creberrimæ omnia olim theatra implevêre. Quid mirum ergò φιλανθρωπίαν illud Ens quosdam etiam miraculo si servavit, ut hominis ἀσυμφίαν istam exprobraret? Et Herodotum quidem miror, quod, cum sæpè mendaciſſimis narratiunculis fidem adhibere non dubitet, in Cyri infantia censorem severum agat. Livius quoque περιλογίαις alias ad fastidium usque scatens, & infamiam in Romulo & Remo se reperisse autumat, non quod pueri in faba. Huic Lactantius *lib.* 1. *cap.* 20. & alii pollicem premunt, & Cluverius supercilium attollit *lib. III. Ital. Antiqvæ*, nec non Vossius *lib.* 1. *de Orig. Idol. cap.* 12. His licet multos, quos allegat Freinshemius ad Florum, Godelevæus ad Livium, opponere possim, tamen nolo, & excludor pagina. Testes intromittamus. Vidit, suis ipse oculis & commemorat Procopius *lib.* 2. *de bello Gothico pag.* 320. *fœminam in Italia statim ab edito partu irruptione Gothorum territam infantem reliquisse, quem vagientem capra nutrivertt, cui deinde ob hanc rem Aegisthi nomen impositum sit.* Alius puer triennis à lupo raptus diu in lustrò educa-

Digitized by Google

tus, tandemque captus vix recto corpore incedere didicit, Anno 1344. ad Henricum Hassiæ Landgravium perductus. *Appendix ad Schafenburgensem* & ex ea Camerarius *Hor. subsec. lib. 1. cap. 75.* Melander *Jocoser. part. III. pag. 162.* Zeillerus *Epist. 327.* Majolus *colloq. 7.* Quia verò de his iidem illi, qui exscribunt, dubitant, age ex Joh. Jans. Strausii Hodæporico recentiora audiamus. Is *Itiner. 3. pag. 68.* disertis verbis testatur: *Se vidisse Plezkoviæ Polonorum puellam, quæ Anno 1656. ab ursa à matris dormientis latere abrepta, inque lustrum deportata sit, deplorantibus interim miseris parentibus fatum filiolæ. Aliquo autem post tempore feram à rusticis sclopeto occisam, cujus ubera cum lacte diffluere sensissent, in opinionem venisse, catulos illam alere. Hos ut invenirent in sylvam abiisse, tandemque vagitum infantis percepisse. Quid fit? sequuntur illi vocis vestigia, reperiunt puellam in antro sanam & succulentam, illamque suis restituunt.* Qui autem his omnibus non movetur, abunder utique sensu suo

Atque idem jungat vulpes, & mulgeat hircos.

Id

Digitized by Google

Id autem, si cui mirum videtur, ex singulis ferè Monarchiis singulos illarum autores fatales nutrices nactos esse Semiramin, Cyrum, Romulum; admittat arbitrium Plinii *lib. 7. Nat. Histor. cap. 17. Quæ de infantibus ferarum lacte nutritis cum essent exposiți, produntur sicut de conditoribus nostris à lupa, magnitudini fatorum accepta referri æquius, quàm ferarum naturæ arbitror.* Solus Alexander Hallanicen nutricem agnoscit.

Digitized by Google

De Æthiopum colore.

Eropes ab Homero ideò vocari homines, quod divisam sive articulatam habeant vocem, aut quod variis lingvis utantur post nobilem illam ad Babylona confusionem, plerorumque opinio est. Mihi verò à diversitate vultuum id nominis traxisse vero videtur similius, quæutique tanta est, ut vix in Xerxis exercitu duos reperias sibi omnino similes. Hinc inter naturæ svaviſſimos lusus refertur, quorum etiam gemellorum exacta inter se convenientia. Exempla collegit Valerius Maximus lib. 9. cap. 14. & alii. Quia autem brutorum ferè similes sunt partus, Empedocles cum Stoicis hominum dissimilitudinem ab imaginibus animo conceptis oriri opinatur. Enim verò probè tenendum illam oris humani discrepantiam in temperatis modò Zonis obtinere. In frigida & torrida secus se res habet. Namque

Digitized by Google

que & Scytharum nullam esse dissimilitudinem jam olim agnovit Hippocrates, & Gronlandos cum reliquis extremi septentrionis incolis omnes esse nigro capillitio, brevi statura, rara barba, facie lata, depressis naribus, colore lurido, experiuntur nautæ nostri. Sic Æthiopes omnes atri, crispi, labeones, simi, albissimis dentibus, nigris oculis, pedibus valgis. Quis autem credat Stoicis hujus Zonæ incolas diversis imaginibus animi minus turbari? Itaque operæ pretium facturi videbamur, si in colorem Æthiopum illiusque causas paulò curatiùs inquireremus. Hoc animo cum simus, idem faciendum quod ædificantibus, qui, priusquam fundamenta ponunt, aream ante purgant & inutilia rudera removent. In horum censu meritò collocamus frivolam illam R. Bechai opinionem, qui ita censet; Chamum cum adhuc arca illa salutaris naufrago supernataret mundo, cum uxore sua rem habuisse. Hinc factum, ut Chus ex hoc concubitu natus nigerrimus de matre prodierit, quasi in pœnam libidinis paternæ, ac hunc infelici quadam hæreditate ad posteros Æthiopas transmisisse illum ex supplicio nigrorem. At enim verò in-

Digitized by Google

certo admodum superstructa est hæc sententia fundamento, Chusum esse Æthiopum progenitorem. Habet quidem ea res antiquos defensores, sed & Matthæus Beroaldus jam olim, & post hunc Bochartus *lib. 4. Geogr. Sacr. cap. 2. p. 238.* ita illam subruit atque evertit penitus, ut clarè ostendat, Arabas Chusum condidisse, & sic in ruinam Judaicum illud pegma facilè subsidit. Motus nimirum est venerandus tot Patrum chorus significatione vocabuli Chus vel Chum, quod nigrum sonat, ut & hunc nigerrimæ prolis parentem esse crederet. Namque & Æthiopes quasi αἰθόμενοι τὸ ὄπα i. e. facie adusti appellantur, qua & Maurorum, (unde Germanorum *Mohren*) nomen spectare videtur à μαυρὸς niger; nisi fortè hîc Becmanni derivationem Ebraicam *in Origin. L. L.* admittere mavelis, quæ tamen eodem redit, aut verior etiam h. l. Bocharti conjectura *Geogr. Sater. cap. 25. p. 544.* Arabes verò buxeo & sublivido colore potius, quam atro esse in confesso est. Cæterum non negamus terram, Chus quoque sive Arabiam olim Æthiopiæ accensam, imprimis Madianitidem, ex qua oriunda Mosis uxor Æthiopissa, vocatur *Num. 12, 1.* Duplex enim Æthio-

pia

Digitized by Google

pia, Africana infra Ægyptum, & Asiatica, cui antiquis temporibus adnumeratum, quicquid terrarum à littore maris mediterranei versus orientem exporrigitur. Affini errore laborat Postellus, qui ex Chami maledictione tam atro carbone ejus posteros esse notatos, nescio unde asseruit. Mirum ni ex Rabbinorum putidis lacunis & hanc vappam hausit. Sed nuspiam Chamum exsecratum legimus, & in posteris ejus præter Æthiopes plurimæ gentes colore ab his diversæ.

Sequitur jam ut de Herodoti quoque sententia videamus, qui *lib.* 3. *cap.* 101. coloris culpam in Æthiopum genituram confert, quam nigram esse falsò affirmavit, hoc nomine jam olim refutatus ab Aristotele *Histor. animal. lib.* 3. *cap.* 22. & *de generatione anim. lib.* 2. *cap.* 2. cui opinioni quidam contrariam quoque experientiam opponunt. Certè si umbra illa facierum Æthiopicarum ex semine esset, sequeretur ossa etiam & dentes eorum paribus tenebris fuscari, quorum originem non minus ex semine, quàm cutis esse novimus. Est illud nobilissima pars sangvinis humani, ut naturalium rerum periti statuunt, qui cum in Æthio-

Digitized by Google

pibus non minus ruber sit, quàm in aliis populis, nec sperma alterius certè coloris esse poterit.

Itaque magna pars vulgi in solis calorem rem rejicit, & rationem climatis. Plinium hi sequuntur, qui *lib. 2. cap. 8. Hist. Nat.* quasi perorata jam lite & velut ex tribunali pronunciat: *Æthiopas vicini sideris vapore torreri, adustisque similes gigni, barba & capillo vibrato non est dubium.* Cur verò in eadem zona habitantes Brasiliani, Peruani, Indi fusci saltem, non nigri sunt? Cur, ut ipse fatetur, Æthiopum infantes, antequam solem conspexerint, hanc secum suliginem afferunt? An intra matrum quoque viscera vicini sideris vapore torrentur? An vero & quanto vicinior sol sit Æthiopiæ, Mathematicis putandum relinquo. Et quid iis respondebimus, qui sub Tropicis, quàm sub Æquatore, majorem æstum intendi contendunt, quia angulos nempe acutiores radii illic faciant in reflexione. Error procul dubio ex eo ortus, quod ipsi solē ad fuscanda corpora plurimum conferre singulis æstatibus videamus, qui tamen lintea dealbare solet. Inquirit in causam diversitatis Vogtius *im Physicalischen Zeit-Vertreiber*, cent.

Digitized by Google

cent. 1. quæst. 4. In corporibus nimirum humanis cum sudore terreni quippiam ex poris effluere, quod pulvere deinde per aërem passim volitante mixtum adhæresçat pertinaciùs. Inde esse quod fabrorum & carbonariorum fuligo nullis balneis eluenda resîdat. Enimverò iste, qui ex calore color est, hieme apud nos rursus evanescit, cùm Æthiopes apud nos quidem nunquam dealbentur. Deinde, si vicinior sol Æthiopes adurit, sequeretur remotiores apud septentrionales candoris esse causſam, quos constat hoc colore pulchritudinem suam æstimare. Hic autem si frigus solum causſeris, procul dubio errares. In Lappia enim & Gronlandia, ubi illud maximè inhorret, luridæ iterum facies incolarum. Et disputat de Germanorum candore Cluverus *lib. 1. German. Antiqv. cap. 14.* causſamque rei in humorem probabili sane argumento rejicit. Hinc enim videmus sequiorem sexum plerumque candore corporum præstare, imprimis quæ inter paludes gignuntur. Addenda quoq; victus ratio, quæ lacticiniis contenta à calidioribus cibis, aromatibus, potu, & quæcunque sangvinem inflammant, abstinet. Id cum apud nos hodiè minus curetur,

Digitized by Google

videmus etiam majorem vultuum diversitatem & capillorum, quàm Taciti ævo, quo *habitus corporum, quanquam in tanto numero idem erat omnibus, truces & cærulei oculi, rutilæ comæ &c.* Hæc, si quis paulo accuratiùs perpendat, facilè colligere poterit, ut candoris apud nos non una causſa, ita nec nigroris esse eandem apud Æthiopas. Non adeò absurdè Ortelius in descriptione Africæ ad nostram mentem: *Quæ ergo hujus coloris causſa efficiens? an cæli aut terræ ariditas? an fortasſe soli quædam incognita proprietas? an ipsorum hominum quædam naturæ innata proprietas? an omnia?* Qvæ enim de soli proprietate hîc suspicatur, videntur respicere ad miram illam Nigri fluminis naturam, qvi, ut Aloysius Cadamustus *cap.* 14. *navigationis suæ* & multi alii observant, Nigritas à subcinericii coloris hominibus separat, aridam & sterilem Africam ab irrigua & feraci. Si autem terra ad incolarum colorem qvid confert, necesse utique erit in ejusdem atomos culpam conferre. Albæ aut flavæ in sterili Africa cis Nigrum arenæ, in irrigua & fertili tellus nigra. Hujus si æstu solis excitatæ atomi aërem impleant, ac deinde sudantium poros, ali-

Digitized by Google

aliquid ad corporum colorem conferre, vero non absimile est. Id si tenuerimus, in promptu ratio, cur ipsi inter se Æthiopes colore differant. In regno Congo, Gvinea & circa caput bonæ spei nigerrimi sunt, reliqui fumido livore subflavescunt.

Denique hæc mea sententia est; Solem & cholericum sangvinem initio multum contulisse ad colorem hunc. Accessisse deinde artem & multum auxisse, hanc faciei noctem, vultuum caliginem. Inungunt hodieque Gvineenses recens nátos palmarum succo, adipe, sebo & aliis pingvedinibus, eosque soli exponunt, ut instar marmoris resplendeant, cujus generis mancipia majore apud nos pretio sunt, quia pulchriora a formarum censoribus judicantur. Flavus enim ille & in nigrum declinans color, quam luridum ab utre coriaceo appellamus, nescio quam nauseam spectantibus movet, & ex atra bile morbum indicat. Sapienter ergo illi homines faciunt, qui cum faciem dealbare non possint, in alterum extremum declinant, idque operam dant, ut piceo colore, qui omnium validissimus est, eniteant. Nimirum uti apud nos sexus ille, qui inter speculum & pectine-

Digitized by Google

ctinem occupatus formæ gratiam captat, cerussa & minio lac suum purpuræ miscere studet, lilium rosæ, quia omnium Europæorum præjudicia hi colores faciem maximè ornant: Ita apud Æthiopes totam commotices legem absolvit carbo, quo solo formæ suæ satis lenocinatum esse credunt, si illum ad splendorem exigere queant. Nempe mundus regitur opinionibus, & suum cuique pulchrum est. Lacteo colore ut congenito, delectantur Europæi. Inde & olim Deorum imagines ex ebore & Pario marmore maximam partem factæ, candidæ sacerdotum vestes Cluverus *Germ. Antiq. lib.* 1. *cap.* 35. *p.* 257. & hodie Angelos cum cœlitibus reliquis ita pingimus ac singimus, Diabolo verò Æthiopis faciem damus, in qua quoque non rarò apparuit. Contra illorum majores Deos suos nigros & simos faciebant, uti jamdudum Clemens Alexandrinus observavit *Lib. Strom. Strom. VII. pag.* 11. & Abyssini hodie Diabolos albos, angelos nigros pingunt. Credo, ne, si mutent institutum ipsi Dæmonum fraterculi esse videantur. Æthiopis occursus mali quondam ominis, & si subito hodie se imprudentibus ingereret, spectri, suspicionem nobis faceret.

Digitized by Google

ceret. Sed ulciſcuntur & illi præjudicium hoc, albosque homines inter monſtra referunt, ac ſpectra, teſte Linſchotano cap. 41. Hinc verò tandem factum eſt, ut conſvetudo hæc corpora fuſcandi in naturam abierit, quo nempe pacto eadem diſciplina Africa quondam Macrocephalos protulit, Europa cilones. De illis Voſſius obſervat ad Melam, de his Bodinus Method. *Hiſt. cap. 5. p. 197. cum majores noſtri*, inquiens, *vultus oblongos formoſiores eſſe putarent, obſtetrices ſenſim perferunt, ut longiſſimi viderentur, id quod videre eſt in antiquis ſtatuis & imaginibus.* Potuerunt igitur & olim Æthiopiſſæ matres ſimas infantum ſuorum nares premendo efficere, labra prominula, valgos pedes torquendo, donec hoc ipſum quoque natura in legem recepit, quod imprimis evenit, ſi prægnantium imaginatio accedat vehemens. Quantam illa in utramq; partem valeat notum eſt. Namque & albæ matres viſo olim Æthiope nigellum infantem peperére, & nigræ viſo candido candidulum. Exempla vide apud Simonem Majolum *Canicul. dieb. colloqv. 3. p. 72.*

* * *

Digitized by Google An

An ranis pluat.

NObilis inter rerum naturalium scrutatores agitatur quæstio, in nubibusne generati sint bufunculi cum ranunculis, quæ sæpe post pluviam subitò comparere solent. Et hanc quidem nonnulli tam securè affirmant, ut aliquis ex eorum secta disputatione de meteoris aqueis scribere non vereatur: *De vermibus, ranis & bufonibus tam certa res est, ita ut si quis velit dubitare, experientiæ reclamet.* Enimverò, liceat sententiam libere dicere in libera Musarum republica, nunquam potui adduci, ut istud fieri crederem, & cum initio in dubitantium castra transirem, jam multæ rationes momentum in negantium partem inclinant. Has in chartam hanc conjicere placuit, dum discipulis oraturis Confirmationum & Confutationum quædam exempla distribuo. Ne autem statim à principio clamoribus illo-

Digitized by Google

illorum turber, qui experientiam & fidem historiæ tanquam Gorgonis caput, aut Ajacis clypeum objiciunt, jam nunc pronuncio, me non diffiteri nonnunquam lacte, sanguine, carne, frumento, farina, lapidibus, lana, vermibus, vitulo etiam, si Avicennæ credibus, pluisse, sed miraculo, sed prodigio. Quam ineptum autem sit hæc naturæ parerga inter ἔργα ejusdem referre, nemo est tam insulsus, qui non videat. Non igitur omnia in nubibus sunt generata naturaliter, quæ forte cum pluvia decidunt, sed ad superiores causas referenda. Id si observes, magna ex parte clamosam illam experientiam exarmaveris. Sed agedum ad nostras rationes. Mea hæc sententia est: Semina ranarum & bufonum nec cum vaporibus posse elevari, nec in nubibus elaborata pendere, nec sine suffocationis periculo descendere, nec sine vitæ dispendio in terram delabi. De singulis ordine. Et ranarum quidem sperma glutinosum & grave ita cohæret, ut credulus sit oportet, qui illud cum levissimis corpusculis elevari posse in tantam altitudinem credat. Bufonum autem genitura solo colore nigro differt a ranarum semine. Id quo minus virtu-

Digitized by Google te

te ſolis attrahi queat, obſtat, quod in cellarum ſubterraneis cavernis repoſitum reperimus, nunquam ſub divo radiis expoſitum. Sed fingamus quacunque ratione elevari poſſe in pluviarum patriam, non tamen video, quî graviuſcula hæc corpora ſuſpendi queant inter leviſſimas atomos, ex quibus tota nubes conſtat, priusquam expreſſis igniculis in guttulas iterum reſolvatur, quo facto illæ ſuopte pondere ſtatim ad centrum mundi relabuntur. In deſcenſu autem reſpiratione opus eſſe animantibus hiſce qui negaverit, vitam ſimul eripiet, & tamen hanc impediri certum eſt. Ad reſpirationem enim non attractio modò aëris, ſed & remiſſio requiritur, quæ ultima pars æſtus hujus impeditur violenta incurſatione aëris à corpuſculo diviſi. Et ſi bufunculi periculum hoc ſuffocationis evaſerint, lapſu tamen ad terram aut lapides afflicti exanimabuntur. Hic mihi aliquis cogitet nubium altitudinem, quæ quamvis diſpar ſit, nunquam tamen gravidæ tam prope à terra abſunt, ut non ingens illud ſpatium quod cadentibus abſolvendum eſt, ſufficiat ad interitum. Experiri quis rem poterit, ſi ſaltem ex altiſſima turri ranam demittat. Aut enim præcipitio

Digitized by Google

pitio peribit, aut suffocatione. Substernat in fidem hujus rei vel molissimam ex plumis culcitram, vel vas aqua plenum, ut in proprium elementum relabatur. Ego quidem ranas & bufones pedibus apprehensos sæpè quantum potui in altum projeci, & observavi sive lapsu, sive quod aër superior ad respirationem illorum non proportionatus (utar enim necessario vocabulo) diu immotos jacuisse. Jam colligat quis, quid in tanto altiore descensu futurum sit? Unum regeri posset, non perpendiculo fieri istum, sed in latus à vento inclinari bestiolas, quod forte casum molliorem faceret, nisi experientia compertum esset, grandes illas guttas ferè recta linea descendere, cum quibus ranas advenisse observasse nonnulli volunt. Quin bufones terrestres, quibus frequentiùs pluere affirmant, aquam quoque ita reformidant, ut in eam projecti properè ad ripam enatent. Et, si omninò ex nubibus delabuntur, quî fit, cùm viatores sæpè pluvia deprehendat, nemo tamen unquam decidere vidit, sed decidisse. Cur nemo in pileos, currus, tecta domorum, naves, tabulata,

Digitized by Google

delapsos sensit? Nimirum turpis hæc pullities in cavernis suis exclusa imbris verni tepore sollicitata in publicum prorepens cœlo decidisse à vulgo creditur, nunquam ante eo loco visa. Ut miserabili risu digni videantur, qui mala causæ patronum Ælianum quærunt. Hunc enim, ajunt, diserte testari *lib.* 17. *cap.* 4. *Autoriatos Indos plurimis ranis de cœlo lapsis in alium locum migrare coactos esse*, & *lib.* 2. *cap.* 26. ἀυτοψίαν *suam allegare, quod nempe in itinere ex Neapoli Italicæ Dicæarchiam versus viderit ranis pluisse, quarum anterior pars binis innixa pedibus repserit, posterior adhuc informis, & tanquam ex cæno humido coalita, tracta sit.* Imò ex hoc ipso colligo ex limo natas fuisse, cujusmodi quid in Ægypto quotannis accidere solet, & Kircherus in vitro imitatus est *Mund. Subterr. l.* 8. *f.* 372. cum incredibile sit ex tanto intervallo delapsas alteram illam ex cæno partem non fuisse dissipatam, sed coaluisse tam fluidam. An verò generatio æquivoca ex eo probari queat, mea jam nihil interest. Quin ipse ranas vidisse memini, quarum posterior pars in piscículum desinebat, tàm mollem, ut inter digitos contrectantis instar

Digitized by Google

instar mucilaginis dilaberetur. Denique ex instituto Dei terra & aqua producendis ac alendis animantibus destinata in hanc rem benedictionem accepit: Si tale quid revera in nubibus generatur, naturæ ordinem excedit, & ad causas supernaturales referendum.

Fateor quidem, me magnis hic autoritatibus premi Scaligeri *Exercit.* 192. §. 3. Olai Magni, Nierenbergii *lib.* 4. *cap.* 16. Rondeletii, Olai Wormii, Athanasii Kircheri in mundo subterraneo *lib.* 12. quibus tamen Theophrastum, Licetum, Antonium le Grand, Voglerum, alios opponere possem, si emendicatis armis uti placeret. Quid dicam, quod adversariorum pleraque pars aliena fide nititur, aut ita loquitur, ut ad nos potius accedere videantur. Vidit nempe Scaliger, complutam terram gyrinulis post semihorulam scatere totam. Vidit Fallopius *de fossil. cap.* 9. guttas magnas in pulverem recidisse, & statim obortas esse ranulas. Vidit Frommondus ad portas Tornacenses deciduo in aridissimum pulverem imbre repentino tantum subitò ranunculorum per siccum saltantium exercitum extitisse, ut undique nihil pene

Digitized by Google

aliud cerneretur. Vidit Cabeus Anno 1600. in agro Ferrarienſi ex decidua nube in pulverem ranarum pluviam oriri. Vidit Schottus 1634. in Sicilia aquæ magnas guttas in pulveroſa terra in ranas mutari *Phyſic. curioſ. cap.* 77. §. 7. Sed hi plerique ex nubibus ipſas ranas decidiſſe non dicunt, ſed in terra natas pluvialibus aquis fœcundata. Dicerent hic generationis æquivocæ oſores à ranis terreſtribus ſemina in pulvere depoſita obſtetricantibus aquis cœleſtibus vitam accepiſſe. Sed hanc controverſiam meam jam non facio. Magis miror Olaum Wormium, at quantum virum! qui Muſei ſui *pag.* 221. *ſeq.* credit murem Norwagicum, Lemmer vocant incolæ, in nubibus naſci, & inde depluere, viviparum animal ex congreſſu ſpeciei ſuæ aliàs natum. Id ſi admiſerimus, & cibum in nubibus, & juſtam adoleſcendi moram permittere, quæ, ſi mures in materno utero formentur, ultra menſem poſtulat. Quæ autem nubes tam diu in eodem horizonte commoratur, imò ſub cœlo? Deſcendunt enim ſtatura perfecta. Quaſi verò aut nubes

Digitized by Google

nubes in iisdem locis depluant, ubi vapores collecti, & non continuo fere motu locum mutent. Quanto verisimilius est nubium ventorumque violentia ex summis Norwegiæ motibus abreptos, quæ Liceti etiam sententia est, deponi. Neque & cacumina illorum sæpe ultra nubes exeunt, & in terra natos eos fuisse culter anatomicus facile probaverit, qui gramen, teste ipso adversario Olao M. *lib.* 18. *cap.* 20. in ventriculo ipsorum detexit. Hinc procul dubio ille murium Norwagicorum exercitus, qui anno 1658. tanto numero itinera complevit, ut militi profecturo viam intercluderet. Et cur haberent illi partes genitales? cur sexum?

Imprimis autem notandum, quod de nubibus septentrionis habent illarum regionum periti. Esse nimirum quasdam ex fumo ortas, quæ tanto impetu in montium latera invehantur, ut vix viatores deprehensi omni nisu satis cavere queant, quo minus illarum vi abripiantur. Et esse has Horizonti Norwagico peculiares, vel ex eo conjectari quis queat, quod in vicinam Daniam aut

Digitized by Google

in nubibus generata esse statuendum sit, quæ desuper cadere videmus. Nimirum risum movebimus, quem Athanasius Kircherus moviſſe fertur. Cum enim otiosè huic deambulanti ventus pileum viatori in vicinis montibus ereptum ante pedes abjeciſſet, statim cœpit philosophari de generatione pileorum in nubibus. Sed mitto hæc. Quid enim attineret ex allatratu magnorum virorum maledicentiæ infamiam quærere? Veritas una cordi, cui si satisfecero egregiè litatum putabo, sin secus meliora docentem sequar.

Digitized by Google

De Aureô ſeculô.

Enocinio quodam ſvavitatis ſuæ per univerſum ferme, qua patet, terrarum orbem occupavit fabula de aureo quodam ſeculo, quo homines ſecuri ſine omni labore, metu, lege, vitio mollia peregerint otia vitamque beatam, qualem in Elyſiis deinde campis à manibus heroum degi Poëtæ ſunt fabulati & Seneca *Epiſtola* 90. ſvaviter deſcribit. Ne Indorum quidem Brachmanes ab hac religione intacti mansére, ex quorum numero Calanus hæc Oneſicrito olim tradidiſſe legitur *apud Strabonem lib. XV. Olim omnia plena fuiſſe triticeæ & hordeaceæ farinæ, ut nunc pulveris: fontes alios lacte, alios aqua fluxiſſe: nonnullos melle, alios vino, quosdam oleo.* Credas nugacem illam noſtratium Schlauraffelandiam ex hac idea expreſſam, imprimis ſi conferas, quæ Pherecrates de ſuo ingenio addit allegante *Natal. Com. Mythol.*

Digitized by Google

tere? Præivit quidem fateor, Clemens Alexandrinus inexhaustæ vir eruditionis, qui Græcorum furta ex Mose & Prophetis detegere, & nescio quem Syncretismum inter utramque religionem invehere instituit. Sed & notatus hoc nomine non immeritò à nostris est. Vide περὶ πάνυ Thomasii dissertat. eruditissimam *de Stoica mundi exustione th.* 15. *p.* 16. 17. sed intra orbitam. Felicissimum & verè aureum fuisse Adami in Paradiso statum nemo negaverit, sed qui paucis forte diebus circumscriptus fuit, ex quibus seculum facere nimis liberale esset. Fluctuant in definiendo hoc tempore veteres, Cæsarius Nazianzeni frater, *Quæst.* 60. *p. m.* 185. & Cedrenus, multasque veterum opiniones recensent, qui tamen plerique in arctius spatium colligunt illam in Paradiso moram. Et, si in aureo largiendo liberalis sim, quid de reliquis seculis futurum, quæ ante cataclysmum decurrisse antiqui uno ore omnes asserunt? Ad quodnam metallum ingens illud spatium post diluvium est referendum? An argillacea forte, lignea, aut lutea ex eo tempore fluxerunt secula & omnes Patriarchæ, Prophetæ, imò Christus ipse aurei seculi verus reparator

Digitized by Google

rator cum Apostolis hisce sordibus sunt involvendi? An ad initium cum Stoicis recurrendum, & novus ætatum ordo auspicandus? Nimirum malè cohærent scopæ dissolutæ. Nec feliciorCœlius Rhodiginus, *qui lib. 13. Antiq. lect. cap. 21.* per *Saturnum supremum inter Angelos intellectum notari vult, cujus radiis ultra Angelos illustrentur animæ, accendanturque, & ad intellectualem vitam continuè pro viribus erigantur. Quæ quoties ad vitam ejusmodi convertantur, eatenus sub regno Saturni agere credi.* Talia certè hæc sunt, ut vel Scythicam nivem refrigerare possint, quoscunque etiam huic delirio fratres rosaceæ crucis tibicines supponant.

Mihi igitur, si sententiæ dicendæ hic locus est, vel etiam non rogato ita videtur: Conflatas esse has diversorum metallorum ætates in fornace ingenii humani, quod quoties, imprimis apud Poëtas luxuriam suam explicat, in fabulas diffunditur prodigiosas, ex quibus, si quid veri exsculpere nitaris, ex pumice aquam postules. Compararunt nimirum mundum cum ætatibus anni, aut hominis, unde ipsis quatuor hæ partes sub manu velut natæ. Aurea enim

ætas

Digitized by Google

ætas ver & adoleſcentiam exprimit, & ſic in reliquis. Hinc Ovidius de aurea ætate:

Ver erat æternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos ſine ſemine flores.

Et in argentea.

Jupiter antiqui contraxit tempora veris.

Aureum nempe ver, aut adoleſcentiam mundi quacunque ex ratione dici poſſe conceſſeris, reliqua facile ſequentur. Qui aſſenſum ſuum adhuc ſuſpenderit, eum ad Platonem remitto *lib.* 3. *de Legibus*, & Macrobium *in Somn. Scipionis cap.* 10. probabili modo de hâc ætate diſputantes. Quin audacter cum Bodino contendere auſim *Method. Hiſt. cap.* 7. *p. m.* 424. quod ætas illa, quam auream vocant, ſi ad noſtram conferatur, ferrea videri poſſit. Nullæ, inquit Ovidius, erant tunc naves, nulla oppida: domus ſpelunceæ, veſtes ex ferarum pellibus inelaboratæ, cubilia ſub divo, cibus poma, radices, fraga, mora ex rubetis, glandes. Porcorum iſta vita fuit & ferè pecuina, quod nec Diodorus Siculus diffitetur, *lib.* 1. *cap.* 8. *Cæterum homines*, inquiens, *primitus natos vitam inconditam & beluinam*

Digitized by Google

nam egisse memorant, ut qui sparsim ad pascua exierint, & sapidissimam quamque herbam, sive sponte natos arborum fructus comederint. Sed aurei dicat quis, tunc mores erant. Erant forte pauculis illis diebus, quibus in Paradiso vita transigebatur. Postquam verò semel Protoplasti impulsu illius scelerum artificis, vitiorum institoris à Deo recessere, non gradu, non cursu: sed præcipitio à virtute descitum fuit. Cujus rei majorem testem dare non possum, quam ipsius Dei vocem conquerentis. *Figmentum cordis humani tantùm pronum esse ad malum ab adolescentia, omni tempore.* An tunc argentea ætas erat, cum terra fidem decoqueret & Adamo sudanti tribulos & spinas ferret? An cum Cain Abelem horrendo parricidio interimeret? cum ante diluviani libidinibus omnia polluerent? Cum ventri & gulæ litaret hominum nequitia, & denique flagitia committerentur, non nisi diluvialibus undis expianda? Pari nempe jure & Commodi sceleratum imperium decreto senatus aureum seculum vocari debuit, ut habet Dion. *lib. 72. p. m. 824.* Nec post diluvium mitius insanitum fuit, cum totus orbis immani idololatria statim occuparetur, & Deus alte-

Digitized by Google

alteram querelam repeteret. Aureæ igitur fabulæ sunt ad aniculas & coli philosophiam relegandæ, quæcunque de metallis illorum seculorum vanitas commenta est, simplicitas credidit. His qui fidem adhibet, querelas Patriarcharum & Prophetarum attendisse non videtur de corruptissimo suorum temporum statu. Quorsum ergo senes quidam μεμψίμοιροι, in circulis non contra homines modo; sed ipsam quoque naturam declamitant: deficere illam, elementorum vim extingvi, agros quondam fœcundos sterilescere, herbarum vires hebetari, cœlum descendere, frequentiores fieri Ecclipses ac horridiores; morum imprimis corruptelam jam non habere, quo progrediatur, fidem periisse, denique ad ultima exempla scelerum ac nequitiæ perventum esse. Quibus cum jam olim fecerim satis, alterius etiam operæ pretium non videor esse facturus. Bene ad nostram mentem Seneca *Epist. 97. Erras, mi Lucili, si existimas nostri seculi esse vitium luxuriam, & negligentiam boni moris, & alia, quæ objicit suis quisque temporibus. Hominum sunt ista, non temporum. Nulla ætas vacavit à culpa. Et, si æstimare licentiam*

Digitized by Google

tiam cujusque seculi incipias, pudet dicere, nunquam apertius, quàm coram Catone peccatum est &c. Qua tota epistola nihil aliud agit, quàm ut ostendat, semper fuisse malos. Præclarè etiam eloquentissimus Caspar Dornavius *in parallelis morum seculi* demonstrat, vitium nullum esse, quod non jam olim ad summum fastigium ascenderit.

Apologia pro Attila.

Loriam ex difficili petere solennis olim veterum Sophistarum fuit consvetudo. Herculem enim laudare, quem nemo unquam vituperaverat, minutioris curæ & proletarium videbatur: Busiridem verò, muscam, febrim, asinum, pediculos, imo ipsum Diabolum encomiis ornare coactis atque sacrilegis, is denique apertus eloquentiæ petulantis campus videbatur, in quo Rhetorum ingenia tolutim incedere, atque ad legem equestris disciplinæ crura mollius explicare queant. Ita patrocinium innocentiæ commodare parum est ad gloriam Patroni: Homici-

Digitized by Google

dam ſupplicio, trifurciferum infelici arbori eripere, id verò magnificum, & ad clientes parandos palmarium. Sed quid ego publicos mores cenſeo ſine ſuffragio populi? Delirare iſtud eſt, & currum extra orbitam agere in circo. Negandum tamen non eſt, ut laudum, ita etiam vituperiorum præjudiciis non rarò oppreſſam eſſe veritatem. Non ſtetit intra pomæria Scholæ illa ἀπαιδεύτων procacia; ſed iisdem arietibus hiſtoriæ quoque fides labefactata, iisdem teſtulis velut in exilium acta. Ita Carthaginenſes omnium calculo perfidi, crudeles; ſed hoſtium. Germani Barbari ac inconſultè feroces; ſed Romanorum. Si verò quis alius iniquas cenſuras expertus eſt, Attila is eſt, Hunnorum quondam Rex, cujus cauſſam ſuſcipere quid prohibet plurimorum conviciis exulceratam? Perventum nempe in Progymnaſmatum ordine ad actum usque Encomiaſticum, quem tribus exemplis totidem diſcipulis valedicturis cum exprimendum dederim, ego quoque ſtylum in has partes transferam, oſtendamque inſignem plerumque fieri injuriam non Attilæ modo; ſed & toti Hunnorum genti, mendaciis illis, quæ de ipſorum ortu & moribus à multis

Digitized by Google

multis tradita fuerunt. Jornandem hic atro carbone noto & qui ipsum secuti sunt, Paulum Diaconum, Sigebertum Gemblacensem alios. Hi enim, impudentius, an imprudentius non dico, asseverare non dubitant Hunnos à veneficis quibusdam fœminis, quas Alrunas, sive Adelrunas, ut Olaus mavult, vocant, immundorum Dæmonum concubitu adulteratis prognatos esse intra Scythiæ solitudines. Cerebrum in calcaneo gestet oportet, qui hoc vanæ & facilis antiquitatis commentum crediderit hodie, postquam spiritus generare non posse etiam Physicorum pueris notissimum est. Philippus Callimachus Experiens scriptor seculi XV. Faunos & Satyros substituit Hunnorum parentes. Sed nihil interest, quo nomine censeantur Cacodæmones.

In vultum deinde illorum, quem tamen nemo sibi fingere potest, involat Ammianus Marcellinus *lib. 31. statim ab initio* hisce ungvibus: *Quoniam ab ipsis nascendi principiis infantum ferro sulcantur altius genæ, ut pilorum vigor tempestivus emergens corrugatis cicatricibus hebetetur, senescunt imberbes absque ulla venustate spadonibus similes: Compactis omnes*

Digitized by Google

firmisque membris, & opimis cervicibus prodigiosè deformes & pandi, ut bipedes existimes bestias, vel quales in commarginandis pontibus stipites dolantur incomptè in hominum figuras (Diese Gesichter werden vielleicht auff dem Hauklotze zugerichtet seyn.) Nec pigeat adducere geminum huic locum Jornandis, quo Diabolorum hosce, sr diis placet, nepotes pari elegantia depingit. *Quos bello forsitan minimè superabant vultus sui terrore ninium pavorem ingerentes terribilitate fugabant, eò quod erat eis species pavenda nigredine, sed velut quædam, si dici fas est, effa non facies, habensque magis puncta, quàm lumina.* Addam insuper Tavernieri locum ex pag. 141. lib. 3. Itin. Persici, ex quo colligere queas Calmuccorum gentem Hunnorum esse fraterculos. Ita enim ille: *Die Kalmuchen sind zwar starck, aber so heßlich, und ungestalt, dergleichen es unter der Sonnen nicht giebt. Das Antlitz ist dergestalt flach, und breit, daß von einen Auge zum andern fünf Finger Raum giebt. Die Augen sind ungemein klein, das wenige von der Nasen aber so flach, daß man nichts als die Loecher siehet. &c.* Iconem monstri hujusce modi exhibet Strauffius *in Itinerar. pag.* 111. Sed

nacti

Digitized by Google

nacti sane fuerint illi cadaverosam faciem, & naturam in largiendo vultu novercam experti sint. Americani etiam faciem effodiunt, & variis lapillis, instar musivi operis sternunt. Nemo tamen adeo exclamat, aut Quiritium statim fidem implorat. Odium nempe calamum duxit, judicii lancem inclinavit.

Adderem quid de moribus illorum, quos adversarii in militibus, in hostibus, in victoribus, in barbaris, & quod maximum Scythis mansvetos ac placidos absurdissima ratione quærunt, nisi illorum in Attila Duce expressissimam haberemus imaginem, de quo jam dicendum. Nomen procul dubio Germanicum, aut, si alius repetendæ origines, Sveonicum. Svecia enim quo minus Scytharum simul & Germanorum patria antiqua sit, dubitare nos non sinunt, quæ in eam rem laboriose commentatus est Rudbekius *Atlanticæ c.* 8. & 10. Hac dialecto Attin sive Atta, & pro varia scriptione Ata, Tata, Hatto, Otto, patrem notat, unde Attila, Ethele Hunnorum lingva, ut observat Michovius, Totila, Atlanda i. e. patria, & Atlantica Platonis apud eundem scriptorem *Cap.* 7. *p.* 212. Ex eadem origine Athelingi, Edelingi, quasi nobiles sive

Digitized by Google

patricios dicas & *König Etzel* in annalibus Thuringiæ. Sed omisso nomine reliqua videamus. Hunc, ne quid ad contumeliam desit, ex cane patre natum scripsit Roccus Ariminensis in cantilenis apud Bartholinum *Histor. Cent. V. hist.* 87. *p.* 167. Pudeat verò nostros homines tàm insulsi mendacii. Nolo autem hic inquirere solicitius, possit ne ex homine & bestia perfectus homo generari, quod & verecundam hic magis amplector ignorantiam, & hæc res alias paginas sibi postulat. Quæ enim de Ulvone Sveco Saxo Grammaticus *lib.* 10. *rer. Sanicarum* commemorat, ex ursо genitum illum fuisse, non satis concoquo. Ex historiarum quidem monumentis constat avo Velambro, patre Mundzucco heroa nostrum esse natum. Ipse in ferali illo titulo, quo se pavorem orbis & flagellum Dei jactavit, Nimrodi se nepotem esse credi voluit: Nec desunt, qui à Noacho usque per 28. generationes ejus genealogiam deducunt, quam vide apud Clariss. Ruperti *Observat. ad Besold. Synopsin p.* 30. Mihi quidem Siculæ gerræ videntur ab adulatoribus confictæ, qui etiam Principum Austriacorum origines continua serie ab Adamo usque deducunt. Et

Digitized by Google fuit

fuit nescio quis Marullus Poëta Calaber, qui referente Philippo Callimacho, Attilam carmine laudavit tanta impudentia, ut à Diis ortum scriberet, quæ assentatio ipsi Attilæ adeò displicuit, ut librum Patavii, insigni modestiæ exemplo ultricibus flammis abolendum juberet, vix ipsi parceret Poëtastro. Ex quibus videmus in hoc viro omnem modum excessisse, sive odium scribentium, sive adulationem.

Tradunt quippe alii sæviſſimum hunc fuisse tyrannum, aut latronem potius orbis totius, qui velut in macello publico gladium in omnes, imprimis Christianos strinxerit. Sævitiam ex facie, quam nummi nonnulli exhibent, exspirare. Mihi quidem qui ex Bosiano Musæo prodierunt, severum exhibent, non crudelem. Hi an genuini sint dubitari potest, imprimis cum non satis conveniant cum prosopographia Ottonis Frisingensis, quam *lib.* 4. *cap.* 28. exhibet. Suspecta etiam epigraphe Latina, cum teste Procopio Hunni literas ne fando quidem inaudiverint. Provocant alii ad tot orbium cadavera: Sed & Romani Carthaginem deletam, Numantiam solo æquatam, Corinthum incensam in titulis habuere.

buére. Quid mirum hostes hostiliter tractari, inter arma clementiam periclitari? ut taceam quæ de Argentorato & Wimpina traduntur à Munstero admodum incerta esse. Aquilegia toto triennio nec quicquam oppugnata iram victoris accenderat. Uno verbo: bellum erat, & à Romanis cœptum contra Attilam. Is si ingenio tàm diro fuit, qui factum, ut à Lupo Trecacensium, Leone Romæ Episcopo tàm facile flecteretur? Ineptæ monachalis cerebri nugæ sunt, quæ de Angelo, aut duobus senibus Attilæ minitantibus, nisi parceret, afferuntur. Taceo alia clementiæ signa à Callimacho memorata, & Michovio *lib. I. de Sarm. Asiana. cap.* 13. taceo Jornandis, Callimachi, Ottonis Frisingensis & Bonfinii autoritatem diversum omninò testantium. Ab Hunnis autem & Attila, tam libidinosis, ut ajunt, supra myriadem virginum uno die interfectam esse mendacium est Scythica quoque nive, frigidius.

Alterum crimen superbiæ est, quod tamen ad fortunam potius, adversus quam nunquam satis cauta mortalitas, quàm ad naturam referendum esse constabit

Digitized by Google

stabit ad æqvam lancem hæc appendentibus. Enimverò hoc quoque malè probant ex titulo, qui conceptus est verbis barbarico fastu tumentibus: ATTILA MUNDIZICZI F. & M. NIMRODI. N. EDUCATUS IN ENGADI, DEI GRATIA REX HUNNORUM, MEDORUM, GOTHORUM ATQVE DACORUM, PAVOR ORBIS ET FLAGELLUM DEI. Ut est apud Bonfinium lib. III. Ego vero quovis pignore contendere ausim, totum titulum ementitum esse. Quid enim homo gentilis de Nimrodo, de Engaddi rescire potuit? Cur autem ille se ait Gratia Dei Regem, non deorum? Nec melioris commatis, quæ illi de Martis gladio, qui factum hominis auxerit, addunt. Piget reliqua addere, quæ de somnio Regis, de aruspicum responsis referuntur. Verba Prisci Græca, qui Attilæ ἄγχεον fuit, & legationis ad eum socius, ex quibus Jonandes sua expressit, adducit Lindenbrogius *ad Ammianum pag.* 203. Quin, si Herodoto Melæ, Solino credimus, plures hujusmodi gladii in Scythia erant. His enim gentibus pro simulacro Martis erat ensis. Difficile ergò ex hoc

Digitized by Google

fiduciàm ſubigendi orbis capere, criſtasque erigere ſupra cæteros. Succeſſum hic morbus, non vetuſti gladii ex buculæ vulnere proditi. Nec dum fabulandi finis. Interpolat enim Lambertus Schafnaburgenſis pag. 186. Gladium hunc poſt multos dominos tandem ad Lupoldum quendam de Mersburg Henrici IV. Imperatoris amicum veniſſe. De titulo Attilæ conſulendus Becmannus *in Notitia Dignit. Illuſtr. p.* 73.

Libidinem denique & parricidium objiciunt, quibus Chriſt. Adamus Ruperti cum jam reſponderit, ego quidem actum non agam. Quilibet a cordatus videt, quantum in hiſtoria hujus regis affectibus ſit datum in utramque partem. Ego quidem non dubito, ſi Homerum is nactus fuiſſet prædicatorem, ipſi Achilli palmam facturum dubiam. Utinam ad manum eſſent carmina, quæ Aventinus *lib. annal. Boicorum* ſe vidiſſe teſtatur de virtutibus Attilæ, validius elidere poſſumus mendacia ex odio profecta, quo ſe gens Hunnorum tot Germaniæ vaſtationibus obnoxiam ſemper fecit, donec ab Henrico Aucupe uno prælio ſic in genua dejecta

Digitized by Google

dejecta est, ut nunquam resurrexerit. Idem dolor Tamerlanem, Judæos Mahomethem pessimæ quidem notæ hominem, tamen ultra veritatis lineas insecutus est. Hoc dictante etiam B. Lutherus ex incubo natus & Anti-Christus, si commentum placet, nasciturus. Magna igitur circumspectione ejusmodi scriptorculi legendi sunt, qui famam ex morbo animi sui dispensant, & bile calamum pro sepia implent.

In

In vitam redituri.

Mortis tanta formidine percellebantur olim gentiles, ut nominare etiam infaustum & mali ominis esse, videretur, & quoties ejus memoria necessaria esset, εὐφημισμῷ mollire duritiem vocabuli mallent, circuitione horrorem frangere. Tanti timoris caussa vel præcipua fuit repetendæ vitæ desperatio. Hinc Plinius l. 7. c. 55. falsè ridet reviviscendi promissam à Democrito, ut ait, vanitatem. Sed quid ab Epicureo aliud expectes, quam quod ejusdem impietatis sectator Horatius jam olim cecinit:

Soles occidere, & redire possunt:
Nobis, qvum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetuo una dormienda.

Christianorum propria fides est, ut animæ immortalitatem, ita corporum resurrectionem asserere, ad quam lucem humana ratio oculos caligantes obliquat.

Digitized by Google Hæc

Hæc benè quidem se res haberet, nisi & horum inexplorata credulitas, etiam ante diem restitutionis omnium multos olim inde redituros putavisset, & etiamnum putaret, unde Ethnici quenquam redire negabant. Ejusmodi autem παλινδρομοι cum sat idoneum numerum conficiant, placuit indulgere huic voluptati, & de singulis non nihil perspicere.

Hoc animo cum simus, & temporum vestigia sint sequenda, ex antediluvianis patribus occurrit primo loco Enochus, quem in Paradisum terrestrem esse translatum, ibique in secretâ aliquâ & amœnissima regione versari in magna carnis, & Spiritus tranquillitate vivere, & victurum esse usque ad consummationem seculi Patres credunt nonnulli ex loco Ecclesiastici cap. 44. Sequuntur Pontificiorum aliqui, quos vide apud Pererium in cap. 5. Geneseos. Nimirum persvasissimum habent fore illum in duobus testibus Anti-Christo se opposituris, de quibus sacer canon Apocalyps. 11. tandem rediturum, ut occisus communem mortalitatis legem impleret. Enimverò, quæ vulgata versio de translatione in Paradisum addit, Græcus Syracidis textus non habet. Sed μετατιθησι saltem inquit, sine men-

Digitized by Google

mentione loci. Et, qui teſtes illi futuri ſint, ab Anti-Chriſto occidendi, nemo forte dixerit ante vaticinii eventum.

Huic meritò alter ille æternitatis candidatus adjungitur Elias, flammeo curru in cœlum abreptus. Hujus quidem reditus diſerte promiſſus *Malach.* 4. *v.* 5. Quem locum cum de Thisbitis illius perſona intelligerent olim Judæi, & hodie errori pertinaciter inhæreant, quid mirum illos adventum ejus hodieque exſpectare? Quô de apud Buxtorfium in Synagoga Judaica aliquam multa. Sed de Johanne Baptiſta capiendum vaticinium eſſe dubitare nobis non licet ex locis *Matth.* 17. *v.* 10. *Marc.* 9. *v.* 11. *Luc.* 1. *v.* 17. Ingenti quoque riſu excipiendi Verpæ, qui in Sepher Juchaſin affirmare audent ipſum fuiſſe Phinees, Aaronis filium, cujus anima in hunc Prophetam immigraverit. Sed ſolet hæc gens ferè putidiſſimis fabulis inepta paſcere ingenia. Chriſtianos magis miror, qui & hunc Eliam in terreſtri Paradiſo ſupereſſe magna credendi vanitate ſibi & aliis perſvadere volunt. Peperciſſe enim diluvium huic ajunt, & DEUM præſervaſſe eum in præcipuum beatitudinis terreſtris locum, quo Enochum nempe, Mathu-

Digitized by Google

Mathusalemum, Eliam, Johannem Evangelistam, & sanctos denique, qui surgente Christo surrexisse visi sunt, transferret, uti svaviter somniat Simon Majolus Canicular. dier. Colloqv. 17. p. 381.

Sequitur Johannes Evangelista, de cujus morte aut potius vita sepulti mirasunt, quæ circumferuntur deliramenta. Prochorus qui vitam Johannis conscripsit, mortuum Ephesi sepultumque fatetur, sed paulo post nusquam apparuisse corpus. Ex hoc Theophylactus, Euthymius & Gregorius Trapezuntius occasionem ceperunt augendæ fabulæ: Vivum in Paradisum esse translatum: Sed rediturum tamen ut ab Anti-Christo occideretur. Ita tres jam habemus testes occidendos à bestia, cum Johannes ipse saltem duorum meminerit. Augustinus verò, quod nollem factum, non levibus, ut ait, hominibus credidit in ipso sepulchro Johannẽ adhuc dormire & vitam scaturigine, pulveris indicare, qui quasi ebulliat quiescentis anhelitu. Ducem hunc sequuntur gregarii, Cornelius à Lapide, Salmeron, Barradius. Quæ res amplam fenestram aperuit seculi nostri fanaticis in Anglia, qui Quærentes, sive Expectantes se vocabant, quia

Digitized by Google

quia Johannem se quærere & expectare dicerent brevi compariturum, ut Ecclesias restitueret. Alii dixerunt eum esse in Suffolcia jam conspectum; alii in Transsylvania hærere & eò destinarunt literas, ut maturaret in Angliam venire. Quin etiam apud eos, ut, cum peregrinum aliquem vident, interrogent, num is Johannes Apostolus sit. Hæc Honorius Reggius sive Georgius Hornius. Fons totius erroris Joh. 21. v. 23. exoritur. Sed malè, quæ hypotheticè à Salvatore dicta erant, absolutè accipiebant discipuli. Conditio verò ex Logicorum scito nihil ponit.

Facessant autem hi quocunq; schemate in proscenium Ecclesiæ producti. Male utique stetere. Neronem autem inter eos numerari, qui postliminio vitam ante diem ultimum salutaturi sint, quis ferat? Et tamen Sulpitius Severus l. 2. Histor. Eccles. ita garrit: Creditur Nero, etiamsi gladio se transfixerit, ipse curato vulnere servatus secundum illud, quod de eo scriptum est Apocalyps. 13, 3. Et plaga mortis ejus curata est, sub seculi fine mittendus, ut mysterium iniquitatis exerceat, i. e. Anti-Christi personam recipiat. Idem ille Autor in vita Martin

capi

Digitized by Google

cap. 16. dulces hac de re nugas commi-niscitur. Sed & huic errorem præivit Hieronymus ad Danielis cap. 9. Multi, inquiens, nostrorum putarunt ob sævi-tiam, ac turpitudinis magnitudinem Do-mitianum aut Neronem Anti-Christum fore. Samuel Solam ad librum Juchasin Augustino etiam hanc dicam impingere audet. Ita enim: Commentarii de vitis Regum dicunt, Neronem mortuum esse, partim fugisse, nec sciri locum quo fugerit usque adeò, ut Episcopus Augu-stinus asserat, ipsum adhuc vivere, *l.* 20. *c.* 19. de Civitate DEI. Enimverò K. inuren-dum tam effronti fronti, Ita enim Hippo-nensis noster: Sed multum mira hæc opinantium præsumptio. Nero nempe & Domitianus primi imperium in Christianos sævissimè exercuerunt, primi persecutiones moverunt. Tale quid sub finem mundi eventurum Chri-stus cœlestissimum os veritatis prædi-xit. Ergò iidem numero Tyranni tra-gœdiam hanc interpolabunt, N. V. C. Videndus hic Casaubonus ad Ne-ronem p. 514. & Hornius ad Sulpitium. Nobis quidem viæ compendium faci-endum est.

Nunc verò per hanc scenam traducimus.

Digitized by Google

Monstrum horrendum, infame, ingens,
cui lumen ademptum.

Mahometem dico. Nam & hunc, ne quid ad insaniam desit, Arabes quidam vivere credunt, in monte Radhua, & inde appariturum, ut terram repleat justitia. A Georgio Elmacino quoque Histor. Saracen. l. 1. c. 12. Cujusdam Hamiræi versus in hanc mentem citantur. Ego vero nec componere me hic, nec manus his sordibus inquinare volo. Quin lutum excutio, & pergo.

Arturum jam admovent propinquiora secula, πολυθρύλλητον illum Britanniæ Regem, in quo quid possit fabulandi prodigiosa licentia videtur esse experta. Nam & hunc ex acie se subduxisse ajunt nugatores, ac aliquando reversurum. Spectant huc Josephi Iscani Poëtæ recentioris quidem, sed non utique de plebe, l. 3. de Bello Trojano versus ultimi.

Sic Britonum ridenda fides, & credulus error
Arturum exspectat, exspectabitque perenne.

Vide notas Dresenii ad h. l. eruditissimas pag. 56. in cujus judicio libenter acquiesco.

De

Digitized by Google

De Friderico I. Imperatore jam dicendum, magis ex vulgi ingenio, quam noſtro judicio. Hic expeditione contra Saracenos ſuſcepta lavans periit in Serra amne Armeniæ, Tyri ſepultus eſt. Tamen & hunc in arce *Trieſels* adhuc vivere & terram ſanctam recuperaturum degeneres animi credunt. Recoxere deinde circa initium ſeculi noſtri hanc crambem roſaceæ crucis, quos vocant fratres, qui neſcio quod aureum ſeculum ex aſtris ſibi concinnabant, Chiliaſtarum lacte propemodum diffluens. Exſtat etiam neſcio quod vaticinium à Friderico quodam Imperatore, Sepulchrum Domini recuperatum iri, quod & Theophraſtus Paracelſus Prognoſtico ſuo inſeruit. Id quam coacte ad Fridericum III. Electorem Saxoniæ, ſub quo reformatio cœpit, referatur, judicet, qui judicium habet. Credo famam inde emanaſſe, quod Friderici noſtri Imperatores plerique bello ſacro nobiles evaſere. Hinc conjectura, fore, ut tandem aliquando res ex voto caderet.

Quæ de Gvilelmina Bohema aliquando reditura ejus aſſeclæ fanatici ementiuntur, vide in Actis Eruditor. Menſ. Novembr. 1687. p. 595. Tam præclare autem

Digitized by Google

autem de Republica noſtra merentibus Dnn. Collectoribus Deus benefaxit!

Supereſt jam unicus Sebaſtianus Rex Portugalliæ, qui cum in Africa prælio contra Mauros cecidiſſe diu creditus eſſet, Venetiis demum vel ipſe, vel Pſeudonymus quiſpiam comparuit, qui multis indiciis fidem ſui feciſſe ſcribitur. Sed ab Hiſpanis captus pœnas Regni ſive jure repetiti, ſive per fraudem affectati dedit ultimas. Luſitanorum vero vulgus, priuſquam ad Brigantinos Duces ſceptra Regni devolverentur, diu eum expectavit, & forte hodie quoque exſpectat. Ego quidem arbitrium meum hic non interpono: Ita tamen breviter cenſeo: BEATOS CARERE DESIDERIO AD NOS REDEUNDI: DAMNATOS POTESTATE.

Digitized by Google

Bibliotheca Imperatorum.

Illem haud raro mihi commoverunt, & nodum in scirpo quærere visi sunt quidam civilis prudentiæ scriptores, cum quærerent, an Princeps juvenis literis sit informandus, quo de Keckermannum vide *System. Polit. lib. 1. cap. 2. p. 909.* Nocere verò illas, & generosos mentium elidi ab illis spiritus barbarum omninò crimen, & ad rudes aulas Scytharum relegandum, quorum judicium de libris æquè brutum Zonaras *Tom. II. annal. p. m. 259.* atro carbone notavit. Longè alia mente fuerunt laudatissimi Imperatores Basilius & Manuel Palæologus, quorum ille filium Leonem jam Collegam statim in limine aureoli operis ad literas discendas adhortatur, hic *cap. 39.* Successori svadet ex præceptis veterum prudentiam colligere, *cap. 52.* animum excolere, *cap. 75.* doctrinam cibum animi appetere. Et

Digitized by Google

quid dicam de tot Principibus literatissimis, quibus artes noſtræ ad beatè gerendam rempublicam maximo fuerunt adjumento. Habemus certè hodienum ſcripta Imperatorum, eaque cum ſumma voluptate in manibus verſamus. Plura ætatem non tulere, ſed aut temporum injuria periére, aut aliàs in ſpongiam incubuerunt. Hæc cum ſat idoneum numerum conficiant, age videamus de libris Imperatorum ſuperſtitibus, eosque intra parvas haſce pagellas includamus.

Si igitur oculos in prima Monarchiæ Romanæ incunabula rejicimus, ſtatim occurrit ille ex utroque, ex arte & Marte Cæſar Julius, cujus ſeptem de bello Gallico, tres de civili libros orbis literatus exoſculatur: puros omninò ac elegantes, aut, ſi Ciceronem audire malumus, rectos & venuſtos omni ornatu velut veſte detracta. Quæ de abjudicatis illi ſcriptis Voſſius monet de Hiſtor. Latin. cap. 13. Oceanus ſunt; cui cymbulam hanc brevesque chartas non credo. Faſtidium movet literatis ſtomachis crambe recocta. Fidem quoque in dubium vocant, quam & ego alicubi ſubleſtam eſſe judico. Quis enim credat Plutarcho, neſcio

Digitized by Google

nescio cujus fide referenti: *Cæsarem non toto vertente decennio urbes octingentas plures cepisse, populos trecentos subegisse, cum termillies millibus hostium congressum esse diversis præliis, trientem ejus summæ* (Di talem terris avertite pestem!) *interfecisse, reliquos vivos in potestatem redegisse.* Nimirum Gallia transalpina cum Britannia eo tempore ne tot quidem urbibus exculta erat, quot ille populos subegisse fertur. Objiciat quis hæc non à, sed de Cæsare prædicari. Fateor. Sed tamen & hinc apparet vanitas mentiendi omnia in majus extollens.

Trajanus sequitur incomparabili Panegyrico à Plinio laudatus, ad quem exstant epistolæ varii argumenti LI. succinctæ illæ, & multa civilis jurisprudentia, refertissimæ, ex quibus illæ, quæ de Christianorum suppliciis & innocentia agunt facile sunt nobilissimæ, & multorum Notis illustratæ. Sed præter has bibliothecas auget idem Imperator Tacticis suis, sive de acie ordinanda libellis. Dignum tanto Principe studium, qui Rhenum & Euphratem nominis sui gloria conjunxit. Hunc nobilissimi ingenii fœtum jussu Anastasii Imperatoris in lucem revocavit Urbicius vir consularis, in

Digitized by Google

quo genere & Adrianum & Mauritium Imperatores quid reliquisse fama est.

Excipit hunc non minore laude ferendus M. Antonius Imperator, cujus libros XIII. de se ipso & ad se ipsum auro contra caros æstimant, quibus Græcæ literæ ad palatum sunt. Moralē in hoc opere Stoicorum Philosophiam tam Laconica verborum parsimonia complectitur, ut sæpè sensum suum elidat, tanto argumentorum pondere persvadet, ut nihil efficacius illis esse videatur; denique Epictetum sub purpura sua occultat. Sed more hujus sectæ nimium quoque sibi tribuit, & Stoica magniloquentia imprimis *lib. 6. cap. 23. pag. m. 149.* ea de se prædicat, quæ Christianorum pauciſſimis auxilio Spiritus S. contingere solent. Non desunt autem, qui sub tam illustri nomine nescio quem alium latere suspicantur. Mihi autem, ut conjecturas eorum propius aspicerem tam felici esse nondum licuit. Itinerarium, quod sub ejusdem herois nomine circumfertur, hodie inter ψευδεπίγραφα à plerisque literatorum refertur. Vossium adeat de Histor. Latin. *lib. III. p. 695.* qui paulo pleniorem hujus causſæ cognitionem desiderat.

Ab-

Digitized by Google

Abeſt ab hoc aliquo temporis intervallo, longiſſimo morum, nullo eruditionis Julianus turpiſſimo Apoſtatæ convicio infamis. Hic Libanii Sophiſtæ non degener diſcipulus orationes aliquam multas, Epiſtolas, Satyras duas & Epigrammata nonnulla nobis reliquit à Styli elegantia, ingenii ſubtilitate, & magno doctrinæ apparatu commendatiſſima. Quæ res movit Petrum Cunæum, ut virtutes hujus transfugæ laudibus efferret maximis, acerbiſſimè hoc nomine tractatus à Dionyſio Petavio in præfatione editionis ſuæ. Et ſanè, ſi eruditionem Græculi hujus excipias, nihil magnopere habemus, quod admiremur in homine deſertore, mago, impio. Quin ipſis literis ita ſe immerſit, ut nullam imperii ſuſcepti curam interim habuerit, unde & Græculi literionis nomen retulit.

Eudoxia ſequitur Leontii ſophiſtæ Athenienſis filia (quid enim prohibet etiam ſequioris ſexus gloriam ex domo Auguſta admirari?) Hanc nonnulli confundunt cum Eudoxia Arcadii conjuge, Chryſoſtomi hoſte acerrima ſed ſupino errore ob temporum forte confinia confundunt. Eruditiſſima fuit Princeps & carminum imprimis arte ad mi-

Digitized by Google

raculum celebris, cujus multa olim, tempore Photii Patriarchæ in bibliotheca Constantinopolitana exstitére ingenii monumenta, sed Turcarum procul dubio irruptionibus abolita. Soli centones Homerici ejus nomine hodie circumferuntur, quibus Christi vitam & miracula versibus Homericis celebrat. Hæret tamen & hic aqua doctissimis quoque viris, an non & hoc opusculum falsam inscriptionem præ se ferat, & potius Pelagio Patritio Presbytero, qui sub Zenone Imperatore vixit, sit tribuendum, qui hoc potissimum argumento ducti, quod Photius ὁ μυριόστιχος non meminerit, cum reliqua ejus Principis carmina se legisse commemoret sollicitè. Enim verò dum illa lis ad tribunal literarium pendet, locum dare & huic Illustri Poëtriæ debuimus.

Proximum in temporum serie locum occupat Basilius Macedo, de cujus imperio Zonaras Tom. III. Annal. p. 134. videndus. Hic ad filium Leonem, cui sapientiæ Studium nomen dedit LXVI. capita Exhortationum exaravit, quorum primæ literæ hunc sensum exprimunt. ΒΑΣΙΛΕΙΟΣ ΕΝ ΧΡΙΣΤΩ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΡΩΜΑΙΩΝ ΛΕΟΝΤΙ ΤΩ ΠΕΠΟΘΗΜΕΝΩ ΤΙΩ ΚΑΙ ΣΤΜ-

Digitized by Google

ΣΤΜΒΑΣΙΛΕΙ. Hoceſt: Baſilius in Chriſto Romanorum Imperator Leoni caro filio & imperii collegæ. In his tam religioſe illum inſtruit, ut ſi ſacerdotem informaret. Edidit cum Notis Bernhardus Damke Hamburgenſis Baſileæ anno 1633.

Secutus exemplum laudatiſſimi Patris Leo ad filium Conſtantinum Porphyrogennetum, jam conſortem imperii præcepta dedit, ſed exſtant illa ſaltem in Bibliotheca Regia Pariſienſi, cujus rei fidem nobis facit Is. Caſaubonus in præfatione Polybio præfixa ad Henricum IV. Galliæ Regem. Utinam verò Imperatoris eruditiſſimi labor orbi literario diutius non invideretur! Verum enim verò, ſi & hoc votum venti diripiunt, locum tamen ſuum Leo tuetur Tacticis ſuis, quæ anno 1554. Baſileæ Latinè prodierunt, Græcè Meurſius edidit, de his literis longè meritiſſimus.

Utque ad Nepotem quoque literati nominis gloria propagaretur, Conſtantinus filius non Excerpta modo ſibi ex optimis quibusque ſcriptoribus fieri curavit, cujus exemplar è Cypro aut Conſtantinopoli, ut alii malunt Peireſcius magno

Digitized by Google

magno pretio ſuum fecit, & non minore nominis ſui gloria typis exſcribi publicis curavit, Noſter verò benè an malè de bonis literis meritus ſit, adhuc ſub judice lis eſt. Sed & ipſe manum admovit ſcribendis libris. Patrem quippe ſecutus, & ipſe de acie componenda quædam commentatus eſt, quæ idem Meurſius Græcè edidit.

Nec Anna quidem Comnena ſua laude defraudanda, quæ Alexiados libros XV. id eſt, patris ſui Alexii Imperatoris hiſtoriam ſcripſit magno judicio, nec minore ſtyli ſvavitate, quam Hœſchelio debemus.

Poſteris etiam nomen ſuum transmiſit Johannes Cantacuzenus ex Imperatore Monachus compoſitis non modo Apologiis quatuor pro fide Chriſtiana contra Saracenos anno 1360. pietate, & argumentorum pondere pleniſſimis, in quibus verò pro Johanne Joaſaphi nomen ſibi ſumpſit. Exſtat ejusdem quoque hiſtoricum opus de rebus Andronici & ſuis, quod prolixè commendat Voſſius *lib. 2. de H. Gr. cap. 29.* Gretſerus mala, Pariſienſes inter Byzantinos ſcriptores meliore fide ediderunt.

Agmen

Digitized by Google

Agmen hoc claudit vel primo loco qui memorandus fuerat ob ſtylum Atticiſſimum Manuel Palæologus Imperator ſcriptis ad Johannem filium educationis regiæ capitibus centum, quæ hanc acroſtichida referunt: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΒΑΣΙΛΕΙ, ΜΑΝΟΥΗΛ ΙΩΑΝΝΗ, ΠΑΤΗΡΥΙΩ, ΨΥΧΗΣ ΨΥΧΗ, ΚΑΡΠΟΝ ΤΡΟΦΗΝ, ΕΜΗΣ ΤΗ ΣΗ ΟΠΟΙΑΣΟΥΝ ΑΚΜΑΖΟΥΣΗ ΗΘΟΣ ΕΙΗ ΚΟΣΜΗΤΩΡ. Cæſar Cæſari, Manuel Joanni, Pater Nato Animi animo, fructum cibum, mei tuo, qualis qualis vegeto, cui deus moderator eſto. Octo inſuper orationes varii argumenti nobis reliquit, cum precibus quibusdam piiſſimis. Edidit Johannes Sambucus Baſileæ 1578. Dignus utique liber, meo quidem judicio, qui in plurium manibus verſetur.

Noſtri verò Imperatores gerendis rebus, quam ſcribendis magis intenti vix ullum hic locum merentur, niſi quod exſtare dicitur in bibliotheca Vaticana liber Caroli M. contra imagines literis Longobardicis conſcriptus, ſpolium Palatinæ. Is verò ex hoc carcere ſolem nunquam videbit, aut caſtratus videbit, ne ſuis ſcil. editoribus noceat.

De Maximiliano I. Imperatore minus eſt, quod laboremus, quod ejus nihil hodie

Digitized by Google

hodie exstet. Liber enim, qui inscribitur *der Edle Teurdanck* Melchioris Pfinzingii est, non Maximiliani. Nec de Rudolphi II. Mathematicis scriptis quicquam videre licuit. Non defuére tamen nostris quoque seculis Principes literatissimi. Dedit enim sola Anglia Henricum VII. Regem, dedit Elisabetham, dedit Jacobum δωδεκα βασιλικῶ ferè sceptri sui famam æquantem. Dedit Germania Augustum Luneburgensem, Mauritium Hassiæ Principem, aliosque, quos chartæ hujus angustiæ excludunt.

Atque ita Anchora de prora jacitur, stat littore puppis,

Digitized by Google Hiero-

Hierosolymorum conditor.

Ltimæ gentium antiquitates, quia ultra memoriam exeunt, & quædam nebulæ diem supprimunt, fieri amat, ut nuspiam historia ineptiat magis, cespitet, auguretur, quam cum ad urbium primas origines ventum est. Accedit gentium ambitio, quæ non semel de antiquitatis prærogativa lites sibi intendere sunt solitæ, quod Scytharum, Phrygum & Ægyptiorum exemplo Herodotus & Justinus comprobant, Caussam quoque veritatis suo præjudicio vulnerant inepti fabulatores, qui tum denique se cœlum Jovis possidere, & huic divæ egregie litasse judicant, cum urbium suarum sordida plerumque initia fastidientes, illarum incunabula, ab Hercule, Trojanis aut ipso Chamesono repetunt, conditorumque nomina, ex oppidorum appellationibus præposterè fabricantur. Piget immorari tàm puti-

Digitized by Google

putido argumento, & tenebris hisce ex testium fide lucem fœnerari. Quo fit, ut minus miremur Hierosolymitanas quoque origines eodem fato succubuisse, eadem vanitate contaminatas. Sive enim Grammaticas spectes, quas Etymologiam vocum architecti appellant, sive conditorem primum, utrobique quod rideas, quod mirere affatim habebis. Quis tàm temperati splenis sit, qui non cum Democrito ilia concutiat, cum videat Græculos solita vanitate scabiem suam etiam sanctissimæ & primævæ lingvæ obiter affricare? Eupolemus quippe dictam urbem judicat ab ἱερῷ Σολομῶντι, à templo Salomonis. Quippeni, quasi & ante templum non ita appellata fuerit. Lysimachus adhuc ineptior ab ἱερσύλοις, sacrilegis dictam somniat, quia Judæi ex spolio templorum eam ædificaverint, hoc nomine censoria virgula non immeritò à Josepho notatus. Sed mallem idem gravissimus autor non ad eundem lapidem impegisset turpiter lib. 7. de bello Judaico cap. ultimo de Melchisedeco ita scribens: ἱερατεύσατο τε τοῦ θεοῦ πρῶτος, καὶ τὸ ἱερὸν δειμάμενος, ἱεροσόλυμα τὴν πόλιν πρότερον ὀνομασθεῖσαν, Σόλυμα καλυμένην πρότερον. Ait nempe Regem illum primum fuisse Sacer-

Digitized by Google

Sacerdotem, & templo ædificato urbem Hierosolymam vocasse, quæ ante Solyma dicta fuerit, in quibus tot ferè errores, quod verba. Enimverò conditorem hîc repræsentare nolumus, de nominis origine adhuc occupati, quam ex sancta lingva deducendam nemo paulo literatior dubitaverit.

Sed & hic in sectas abeunt eruditi. Sunt enim non ultimæ ceræ Philologi, qui nomen urbis ex ראה vidit, & שלום pax derivent, quasi dicas visionem pacis, ejusque rei varias etiam rationes Flacius in Clave, & Ravanellus reddunt. Res ferme eò redit: Hierosolyma olim Salem dicta opinantur, in eamque caussam & Scripturæ Ps. 76, 3. & Josephi autoritatem jam allegatam afferunt, quam deinde Rabbinorum non pauci sequuntur. Si verò quis litem ne sic quidem secundum eos dare vellet, excipere posset Psalmi locum à LXX. Et vulgata ἐν εἰρήνῃ in pace reddi, & ita fieri posse, locum Esaiæ 57, 1. 2. fere geminum persvadere, quos etiam Lutherus noster eo loco est secutus. Sed constet sanè fontibus suus honor, & dicatur Salem abbreviatè pro Jerusalem, ut Seba pro Berseba, Jos. 19. Sittim pro Abel Sittim Num. 25. Hermon pro Baal Hermon

1. Paral. 4. Hanc Salem tamen Melchisedeci sedem non esse paulo post liquidius sole meridiano apparebit. Dixerim ergo allusionem potius esse de visione pacis, quam verum etymon. Eodem ferme censu est, quod alii afferunt de nescio quo timore Jebusitarum ex R. ירא. Jebusitarum metropolis erat Hierosolyma, unde & Jebus non raro vocatur. Inde facillima inflexione ex Jebus Salem s. Jebusitarum pace Jerusalem effeceris, non insolita literarum permutatione, quod Bochartus ostendit. Sed sufficerint hæc de nomine urbis sanctæ. De autore jam videndum.

Piget autem, quamvis levi flatu disjicere larvas Manethonis, qui nescio quos pastores Israëlitas illam condidisse deliravit Josepho memorante contra Appionem. Eodem pede contemptim obterendus Dux Judæorum Hierosolymus, quem Tacitus in proscenium adducit. Nec Solymi Lyciæ quondam populus quicquam ad Bacchum nostrum, nisi cum umbris disceptare ridiculè velimus. Gladiatorio potius animo ad Melchisedecum affectamus viam, qui tanta nube testium stipatus, tanto asseclarum numero incedit, ut eos nec numerare sine

Digitized by Google præ-

prævaricatione causæ, quæ nos collidit, liceat, & fere libertas in alia omnia discedendi eripiatur. Et miror sanè tanto applausu itum esse in sententiam Josephi tot paralogismis laborantem. Sed audiamus, qua face iter aperiat errantibus. Primus, inquit, Melchisedecus sacerdos fuit. Unde id, Josephe, probas? Credo, quia primus in sacris literis hoc nomine appellatur. Ergone nullus ante eum? Vide quid agas! Templum condidit in Salem. Credat Judæus Apella. An nescis, bone vir, Salomonem hoc fecisse? Ante illum in nulla urbe Deum esse cultum? Rex fuit Salem, sed cujus? Duæ enim hujus nominis urbes. Una ad transitum Jordanis in agro Sicimorum. Gen. 33, 18. Jos. 24, 32. Joh. 4, 5. altera, ut ajunt, ipsa Jerusalem. Hanc ipsam, inquis, volo. Bona verba! Sed fuerit ille Rex Solymorum, Ergò ne & conditor? Mallem tacuisses, ne te Logicorum pueri. Urbem ab ἱερῷ templo & Salem voce hybrida appellavit. Si hoc Græculus literio asseret, meritò vapularet. Cur autem ô bone vir! lib. 1. Antiq. cap. IX. tibi contradicis, asserens à posteris denique id nominis accepisse? Sed ne omnia verba atroci stilo effodiamus, condonemus reliqua

Digitized by Google

homini aliàs non malo, & istud saltem disputemus, utrius Salem Melchisedecus Rex fuerit. Tu statum præliantis compone, aut sequere in jus, Josephe: Grande tibi vadimonium impono. Litem decidat Moses. Sed quid ille? Cum habitaret Abraham, inquit Gen. 13,18. Gen. 14,13. in luco Mamre Amorrhæi prope Hebronem, nuncio de captivitate Lothi accepto armavit servos cum vernis, hostesque assecutus in extremis finibus Dan ad Hobam usque prope Damascum cecidit, quæ ad minimum 40. milliaribus distabat ab Hierosolymis. Ab hac pugna redeunti honoris & gratulationis caussa obviam procedunt Reges in valle sive campo Regio prope Sichemum, & in his Rex Salem ejusdem agri incola Gen. 33,18. Si autem in lucum usque Mamre veniissent, istud esset, non obviam ire redeunti, sed jam prætergressum sequi. Testor fidem tabularum Geographicarum. Nimirum hoc ipsum est, quod jam olim Hieronymus ex mente incolarum tradidit in Epistola ad Evagrium, quæ est 126. Suo tempore ostensa fuisse in Sichemitarum vicinia rudera palatii Melchisedeciani.

Sed quamvis jam viciſſe deberem, & Joſe-

Digitized by Google

Josephus longè à destinatione sua jaceat, tamen de meo jure discedam, herbam porrecturus, nisi ex alio etiam capite victor fuero. Tantum nempe abest, ut Hierosolyma Abrahami tempore jam condita fuerit, ut potius mons Morijah, in quo ille filium immolare jussus erat, quique mediam postea ferme urbem occupavit, tunc fuerit sine nomine, desertus, vepribus obsitus, pecorum pastui relictus. Denique Gen. 22. totus narrationis contextus persvadet solitudinem tunc in eo loco fuisse. Agnoscit argumenti evidentiam Heidmannus cap. 2. Palæstinæ suæ, sed caussatur: Montem quidem Moriah desertum tunc fuisse, sed oppidum Solymam ad radices ejus jam positum, quæ quidem eadem facilitate, qua afferuntur, etiam rejiciuntur. Loco nempe opus erat ab omni hominum commercio atque conspectu vacuo, ne quis importunus interventor insolens hoc parricidium turbaret. Qua fini etiam sanctissimus Patriarcha servulos dimisit, ne comploratione saltem aut furtivis lachrymis obstinatum ad obsequia Dei pectus inflecterent. Accedit & hoc, quod nulla in tot Patriarcharum peregrinationibus ejus oppidi à Mose fiat mentio, licet

Digitized by Google

Abrahamus in proxima vicinia Hebronis habitaverit.

Hæc si mentes nullo præjudicio occupatæ admiserint, eadem opera fabula illa Rabbinorum de Semo sanctæ urbis fundatore in cineres recidet. Melchisedeco enim & Semo præter Synchronismum usque adeo nihil inter se commune, ut mirer tàm multos putidæ hujus fabulæ fuisse bastatores. Ille enim justitiæ Rex ad Ebr. 7, 6. vocatur μὴ γενεαλογούμενος ἐξ αὐτῶν scil. Judæorum. Alienigena ergo, quod & Josephus non negat capite allegato. Vocatur ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ, quia nulla parentum eius fiat mentio. Quis vero tàm hospes in sacris, qui Noam ignoret Semi parentem & ad Adamum usque perductam genealogiam? Abraham autem qui in peregrina terra habitasse dici queat, si à progenitoribus illa iam velut usu capta? Plura adderem, nisi Bochartus iam p. 77. Geogr. Sacr. argumentum hoc occupasset.

* * *

Digitized by Google

An Terræ ſubpolares habitatæ.

POſt ferale iſtud totius mundi naufragium, quo pacto ille incolas receperit, inter prudentes ambigitur. Sunt qui Noachum littora circumvectum tribus filiis ſuam cuique hæreditatem diviſiſſe velint; Sunt qui interno quodam inſtinctu poſt confuſionem lingvarum in ſuam abiiſſe ſortem ὁμογλώττους exiſtiment, ita ut ultimus etiam Septentrio habitatores ſtatim acceperit; Sunt denique, qui caſu id factum, nec unius ſeculi rem eſſe decernant; quos proximè abeſſe à vero, & ego ſequendos mihi duxerim. Reliquæ enim opiniones aut Annii Viterbienſis & ſimilium commentis nituntur, aut conjecturis parum validis. Pro ultima ipſa rerum natura & ratio militare videtur. Quos enim, ut Taciti argumento utar, Aſia, aut

Digitized by Google

Africa, aut Italia relicta Germaniam peteret, asperam cœlo, tristem cultu aspectuque, nisi si patria sit. Nemo certè, si meliora ad manum sint, deteriora, per tot pericula sequatur. Avtochthonas quidem eos esse, nemo sanus dixerit, cui vel per transennam in origines gentium Mosaicas introspicere licuerit. Eò tamen verba valent, Germaniam non nisi repletis jam cultioribus terris fuisse repletam. Bello, fame, illuvionibus, aliis calamitatibus pulsi incolæ alio habitatum concessere, & velut ver quoddam sacrum in peregrinas terras emisere, cujus rei tot passim se exempla ingerunt, ut tralatitiæ & tuscioris curæ sit in his laborare. Suffecerit in fidem solus Lazius de migrationibus gentium. Quæ res facit, ut Europæ majorem partem, imò & meliorem partem diu inopia cultorum desertam fuisse non dubitem. Noachidæ certè, quorum longum catalogum Moses cap. 10. Gen. contexit in Asiâ consedere. Japetigenæ minorem sortiti sunt, Semitæ Assyriam, Babyloniam, magnam Arabiæ partem, Chamitæ terram Canaan cum vicina Ægypto. Probat solidè Bochartus, quo

Digitized by Google

quo neminem in hoc genere eruditus orbis vidit eruditiorem. Indiæ & Chinæ, & tot beatissimis regionibus expectandum fuit, dum copia hominum major succresceret. Ipsa Canaan terrarum in sacris laudatissima tot populis infessa quàm infrequens tempore Jacobi fuerit vel ex eo liquet, quòd ille tantam familiam, tantum pecoris secum trahens facile in pascuorum consortia fuit admissus Gen. 34, 21. quia scilicet amplius paterent fundi, quàm pro usu & numero Sichemitarum. Ipsi adeò Germanorum Scytharumque progenitores Gomer & Ascenaz in Phrygia & Bithynia consedere primum, dum multitudine aucta in Europam itum est, ut ego conjicio terrestri itinere supra Mœotim paludem. Quando id factum, dicere non habeo, nisi quod Ezechielis tempore adhuc illæ gentes ad latus Aquilonis Asiatici ponuntur. Cluverus German. Antiq. lib. I. cap. 4. pag. 40. ponit annum à diluvio 124. qui in ipsam ætatem turris Babylonicæ incidit, & tamen ait homines jam in eam multitudinem excrevisse, ut eos Asia trans Tigrim non caperet. Meræ con-

Digitized by Google

jecturæ. Ego tamen puto, quo horridior & remotior plaga quædam, eò tardius acceſſiſſe incolas. Scio multos ſecus ſtatuere, qui patriæ ſuæ antiquitates ad longiſſimos retro terminos producere certatim ambiunt, cum quibus mihi jam integrum non eſt confligere ad alia properanti. Nimirum diſpicere in animo eſt, an homines ſub polis habitent. Quæ quæſtio verò in duos, quaſi alveos ſe dividit, unum an habitent, alterum an habitare poſſint, quos ſecundo velut amne ſequi placet, qua iter aperiunt. Prior illa pars ita comparata eſt, ut ſi affirmes, altera inutilis maneat. Enim verò præſupponit illa, ut Philoſophi loqui amant, ſub polis terram eſſe. Sed quid ſi mare ſit? Dubium inquis. Ultima enim terra quæ ad cardines mundi ſeptentrionales vergit (de Auſtralibus adhuc incertior res) Spizbergia eſt ad gradum uſque 81. vel quod recentiores affirmant 85. nota. Reliqua ſuâ nocte ſepulta jacent. Ineptus verò ſim, ſi ex ſtabulo hoc ſubpolari exigerem ſcopulum magneticum illa quatuor inſularum monſtra cum Euripis ſuis & civibus pygmæis, quos, ſi tantæ operæ pretium videbitur, vide apud Mercatorem Atlante minore ſtatim ab initio operis.

Digitized by Google

peris. Experientia nautarum hodierna reclamat. Illud verò uno ore confitentur omnes, quo altius ad extremos Septentriones assurgat clima, tanto magis deficere habitatores, adeò ut intra circulum, qua notus est, Arcticum tot homines non reperiantur, quot solum Londinum continet. Ingens argumentum, tandem sub cardinibus planè deficere naturam... Et quid multa? Nova Zembla an homines alat, diu negatum est. Æstivis saltem mensibus ex Samojedarum vicino littore quosdam accedere piscandi & venandi studio plerique voluerunt. Dani autem quosdam ex insidiis deprehendisse dicuntur, sed vix senos longo tempore... Quid si & hi æstiva saltem statuere & temporaria spelæa? Ita omninò videtur... In Spitsbergia autem ne vestigium quidem hominis ab ullo unquam deprehensum est, cùm quotannis ad balænarum... capturam eò abeant ex totâ Europa... multæ nationes. Jam colligat quis prudens, quid crescente cum ipsis gradibus hyemis sævitia in locis polo vicinioribus futurum sit. Restat altera dubii pars, an habitari nempe non possit ille supremus mundi vertex. Hic mihi cum Linemanno negotium esse video, qui in deliciis

Digitized by Google

liciis Calendario-Geographicis ad annum 1639. Quæst. 3. in diversum inclinat argumentis ductis à diei longitudine, radiis in vaporibus refractis, terræ natura sulphurea, animantibus ibi repertis, quos ego nodos uno ictu dissecare possum. Tentatum nempè ter à Batavis anno 1633. & sequente opus istud est, qui in istis naturæ hibernis septem homines diversis locis reliquére exploraturos aëris statum per hyemem. De domo, victu, lignis & reliquis necessariis abundè erat prospectum, sed omnes miserâ morte perierunt, inventique cum Ephemeride relicta, quæ de sævitia hyemis testaretur & Scorbuti malo. Soli illi, qui in sinu Mauritii ad grad. 80. hybernarunt, ægrè evaserunt. Ineptum autem foret sub polo mitiora cum Röslino exspectare, aut paradisum omninò inter hanc glaciem figere cum Postello. Eat nunc Linemannus, & longitudinem diei cauffetur, quæ æstate saltem fovet, aut vaporibus refractis, quos sol hyeme attrahere non potest, aut terram sulphuream, quæ Islandiam & Gronlandiam à frigore non defendit, aut animantia, ursos putat, vulpes, rangiferos isti climati proprios, qui ipsi tamen longa illa nocte ita emacescunt

Digitized by Google sub

ſub nivibus, ut vix oſſa cohæreant. Nec alios multum moror, qui ita fruſtrà conditas haſce terras regerunt, cum tamen ex conſilio creatoris hominibus illa ſit tradita ad incolatum. His ego ſi tot deſerta in Aſia & Africa oggererem, in quibus vel menſtruum iter ſine veſtigio hominis conficitur, nihil forte haberent, quod opponerent. Si autem terram trahere id ex maledictione divinâ ſtatuant, & Septentrionem meum in hanc claſſem admittant. Imprimis autem iſtud cogitandum, poſt lapſum Protoplaſtorum nos corpora ſortitos eſſe calori, frigori, ſiti, fami, morbis magis obnoxia.

Et hinc illæ lachrimæ.

Digitized by Google

De

De Disciplina scholastica.

Esem para, mi Lector, & accipe auream fabulam! In agro ætatem omnem inter ærumnas exegerat Peccati filius Labor, vitæque quietioris desiderio in urbem vicinam reculas suas transferre volebat, ut canos saltem, ac in urnam vergentes annos pacatius alicubi componeret. Hoc animo cùm esset, ad cognatum quempiam, qui exigua hortulum suburbanum colebat stipe, divertit. Enimverò & hîc antelucanis fabrorum ictibus somnus excutiebatur, omnia discursibus & tumultu fervere, & magna quisque contentione ad opes anhelans properare. Laudabat igitur noctium suarum silentia, & ad aulam succedebat, si forte bracteata tranquillitas in splendore illo habitaret, cujus quò certior fides constaret, unum atque alterum diem sibi commorandum duxit. Sed statim sensit laborem

Digitized by Google

borem non esse molestiorem, quàm diem epulis consumere. compotationes ad lucem protrahere, ludere, vomere, implere rursus aqualiculum. Pallebant ora, livebant vultus, de capitis & laterum dolore querebantur. Pertæsus igitur insolens luxuriæ ingenium relictâ arce per compita otiosè errabat. Casu factum, ut Scholam præteriret templo contiguam. Hîc mirari gratam solitudinem, insolens silentium, ipse denique Scholæ titulus, nescio quid otii polliceri videbatur. Ingressus igitur, nomen suum profitebatur, & facile sacris initiatus Musarum jubebatur cum silentio attendere, libris assidere, discere, die noctuque literis operari. Unde indignatus ille curriculo se adrus & stivam iterum proripuit, saltem hieme, quiete usurus, si per æstatem laborasset. Quid ego hîc aliud exclamem, quàm illud Panareti Sapientis σχολία μεγάλη ἔστω, Non bellum, non Parcæ magis εὐφημίας vocabula sortitæ sunt, quàm Schola. Et tamen non vulgus modo hominum, sed & multi, qui sibi ultra illud sapere videntur, otii calumniam nobis impingunt, & de nostra desidia sententiam ferunt, qui nec decimam partem laboris nostri exhauriunt. Id cùm omnium bonorum con-

Digitized by Google

confessione constet, oggerere tamen audent: quantulum tandem est, audire pueros recitantes, nova pensa distribuere, imperare silentium, assidere mussitantibus, scripta ad examen Grammaticum revocare, aut Critico igne solœcas scorias excoquere? Hi, nisi studio mallent reduviam, quàm caput curare, cogitarent, hæc, quamvis ipsa assiduitate satis molesta, tamen minimam partem nostri muneris conficere, mitius nobiscum agerent, & magis ex æquô & bono. Mentem verò juventutis formare, corrigere mores, à vitiis abstrahere, ad pietatis & virtutis legem exigere, naturæ petulcæ sæpe vim facere, diaboli in primo aditu assultum sustinere, hic opus, hic labor est; hoc Sisyphium saxum, hæc κοπρεφόρια Herculis ærumna in Augiæ stabulo. Quô fit, ut sæpe mirer, cur ad pistrinum hoc ingenium nihil tale meritum damnaverim, & alios in hoc contemptu & laboris sterilitate reperiri, qui in hæc ergastula se detrudi æquô animô patiantur, cùm possint grandiores tibias inflare, habere plus honoris, laboris minus, & tamen mollius curare cuticulam.

Enimverò & hodie *Apparent rari nantes in gurgite vasto*, qui hunc sibi termi-

Digitized by Google num

num spei præfigunt ultimum. Plerique tanquam naufragii tabulas amplectuntur Scholasticas functiones, dum hyems desæviat, & serenior aër alium portum ostendat. Is ubi vel procul comparuit, manibus pedibusque remigium intendunt, ut in littus propediem enatent. Nec invidiam his facio, quibus contigit esse tàm felicibus, & se à contemptu vindicare. Inter quisquilias enim & purgamenta Parnassi multis in locis abjicimur, qui nostris humeris alios eò evehimus, unde nos cum fastidio despiciant. Istud verò jam nunc velut ex tripode prædico, brevi fore, ut, qui volens mancipari his laboribus velit, bonum habituri simus neminem. Quid deinde futurum sit, nisi Deus quosdam extrudat in hoc spicilegium, dicere abominor. Mihi quidem non meam, sed ordinis mei causam egisse dividiæ esse non debet, aut, si est, suram præbebo.

Nunc vero pomum hoc Eridis in medium projicio: Lenitas ne an severitas Præceptorum utilior in moderandis adolescentum voluptatibus? Utraque causa magnos habet Patronos, & si numero suffragiorũ pugnamus, vincimur. Novi illorum voculas, qui puerorum animis

Digitized by Google

nimis vultus austeritate ac sævidictis amorem literarum excuti dictitant, odisse deinde Scholas cum Præceptoribus, nec cruſtulis, aut ullis matrum blanditiis adduci posse, ut suâ sponte ad ludum literarium commeent, diverticula potius clancularia quærere, & ad alia omnia discedere. Cædi autem pueros deforme & servile omninò esse, ac, si ætatem mutes, injuriam. Liberalia ingenia degeneri metu in has anguſtias compingi, ex quibus ne adultiores quidem bonâ fide emergant. Si verò cui sit tam illiberalis mens, ut objurgatione non corrigatur, etiam in plagas ad peſſima mancipia durari; aliud præcipere Quintilianum, quô nemo Romanam juventutem prudentius rexerit; se sufficere in disciplinam suorum, nec pati posse, ut ab alienis malè tractentur. Nec ullus opifex tam bardus, aut uxor tam stolida, quæ formulam præscribere nobis non audeat. Quos ego quidem mallem, ut simiolas hasce prætextatas domi potius osculārentur, quàm nobis obtruderent malè natas ad bonam frugem mentes. Non autem is ego sum, qui plagosos Orbilios laudem, quibus adolescentum delicta quamlibet modica omnem statim manſvetudinem excuti-

Digitized by Google unt,

unt, vultum ira exasperat, vocem truculentia. Pallor deinde faciem subit, (postquam hinc cædendo, illinc vapulando, ad satietatem depugnatum est,) & tremor membrorum, & deformis ἀφωνία. Hos ego non minus nocere bonis artibus censeo, quam indulgentes illos, & molliculos probitati. Contra quos, si & ego declamare vellem, aut testes producere, aqua mihi sustinenda esset. De severis ego quæsivi, quæ virtus vultu potius, & verbis, & vitæ gravitate, quam plagis spectanda. Sed medium, inquiat quis, hîc tenendum est, atque inter Scyllam atque Charybdim navis dirigenda. Honesta oratio est, nisi ab hac aurea mediocritate sæpè abstraheret adolescentum protervia. Quid enim si homines, qui omnem bonam mentem ejurarunt, in quibus malitia non peregrinatur, sed habitat, increpiti respondent? Si coërciti totam contumaciam opponant? Hunc ego sapientem dixerim, qui hîc possit habere iræ suæ modum, contra quam quotusquisque satis firmus est? Multi, velut veneno epoto rumpuntur, nisi per oculos, verba, plagas evomant. Et tamen pœna differenda potius, quam affectui huic indulgendum, quod exemplo debetur.

Digitized by Google

Locus exilii Adamici.

POenitentiam egisse Adamum, inter omnium religionum Theologos tam in confesso est, ut, qui secus statuat, nominare possimus neminem. De tempore, modo, & loco non nihil variant, qui opinionum suarum nubes pro Junone amplexari solent. Quis enim Cedrenum ferat nescio unde tradentem, sexcentesimo demum ætatis anno id factum esse. Forte longius spatium in Paradiso illi indulget, quod tamen ipse alio loco ultra seculum extendere non est ausus. Mihi quidem dubium non est, quin primis statim exilii sui diebus cœperit deplorare infelicitatem suam. Æger enim animo & corpore tùm denique miser cœpit intelligere bona, quæ amiserat, præsentemque calamitatem cum pristina beatitate conferre. Accessit recens de nascituro Messia promissio, quæ sane otiosa diu apud eum non fuit. Modum

si

Digitized by Google

si spectes, ineptè delirant more suo Talmudistæ, quorum verba si adduxerimus, operam perderemus & oleum. Summa huc evadit: In jejunio mansisse Adamum per CXXX. annos; ab uxore separatum vixisse totidem: æquali spatio siculneum cingulum aptasse sibi, & denique in Gangem ingressum ad collum usque septem diebus supplicasse, ut Deus veniam sibi peccatorum indulgeret.

Sed relinquamus hæc suis autoribus, & de loco exilii dispiciamus nonnihil, quantum in his tenebris licet, quæ vel perspicacissimum quemque νυκτίλωπα fecerint. Res enim gesta antiquitate sui ad primordia usque nascentis mundi ascendit. Sequamur tamen qualemcunq; umbram luce verâ destituti. Evolventes autem monumenta veterum recentiorumque literaria deprehendimus tria imprimis habitacula Adami nominari, Indiam orientalem, Zeilon insulam, & Damasci confinia, ut verè æstimantibus videantur metatores isti studio loca secuti etiam post diluvium delicatissima. Et pro India quidem Samuel Andreæ Histor. Profess. in Academia Marpurgensi in disputatione de sepulchro Adami 1679. publicata, in hunc fere argumentatur modum:

Digitized by Google

modum: Paradisum, unde ejectus Adamus, inter Euphratem & Tigrim in Mesopotamia collocandum. Hoc concesso custodem Angelum ait positum in porta seu aditu Paradisi orientali (id enim vocem Ebræam קדם notare) unde primus parens ejectus erat, ne per eandem forte rediret. Ergo verisimile esse in India orientali habitasse Adamum expulsum, ac sepultum esse. Enim verò licet hæc omnia liberaliter largiamur, nondum tamen pro Indis quid conficitur. Vicinior enim ex eodem latere Susiana, cum tota Perside & Caramania, quæ hodieque Patriarcharum sepulchra, qua fide non dico, ostentat. India autem, præsertim quæ ad promontorium Comorinum & Zeilanam Insulam spectat, ad Austrum nimis descendit.

De Zeilanis mira sunt, quæ traduntur à Vartomanno *lib.* 6. *cap.* 4. Mandeslojo *lib.* 2. *Itiner. cap.* 12. *pag.* 145. Spielbergio *part.* 2. *pag.* 37. Verhufio *part.* 9. *p.* 31. aliisque quàm multis. Dies laberetur, priusquam omnium verba appingerem. Suffecerit igitur summam ex omnibus confeciſſe in hunc fere sensum: Mons

est

Digitized by Google

est in Insula Ceilon totius Indiæ, ut ferunt, altissimus, quem Lusitani Pico del Adamo appellarunt incolarum fabulas secuti. In hoc specus quædam, cujus in recessu Arabes cum Indis constanter tradunt Adamum fletu ac continentia culpam redemisse. Ostenditur etiam lacus quispiam parvus falsæ naturæ, qui ortus sit ex lachrymis Evæ Abelem occisum deflentis. Magna insuper religione ab advenis visuntur vestigia Adami, de quibus non possum pati, quin adducam verba Hermanni Bree *part.* 8. *Indiæ Orientalis, pag.* 74. *Die Holländer haben in der Stadt* Candy *Götzen gesehen von fünff oder sechs Klaffiern hoch, wohl* geproportioniret, *und künstlich gemacht, die sie hielten gemacht zu seyn nach der Gröſſe von Adam, sintemal die Länge und Breite der Füsse gantz und gar überein kommen, mit den Fussstapffen von Adam, welche der Koenig von einem Berge, so nicht weit davon gelegen, in die Stadt hat bringen lassen, seyn achthalb Spannen lang, und drey und eine halbe Breit. Sie sagen, es seyn die Fussstapffen des ersten Menschens.* Quæ de simiæ dente auro, gemmisque orna-

Digitized by Google

ornato in eodem monte sanctissima religione culto alii tradunt, adducere piget. Sed narratores Indi plerumque fabulam suam corrumpunt, quod credi volunt, Adamum in eadem insula creatum, in eadem Paradisum fuisse. Hæc enim cum sacris literis adversariam exercent, quæ natales ejus extra Paradisum ponunt, ex eadem ob noxam expulsum diserte asserunt. Et si tam procul à Paradiso recessit ille, quid opus erat terriculamento flammantis gladii? Ingentia etiam spatia conficienda erant exuli, ingentes fluvii trajiciendi, priusquam in hanc Indiæ partem perveniret, quod in illa rudis seculi infantia pontonibus, cymbis, ratibus destituta factum fuisse vero dissimile videtur. Nec opus erat tam longinqua sectari exilia, cum propiorum copia abunde suppeteret.

Supereſt tertia de Damasco opinio, quæ & plures & Christianos autores habet. Familiam ducit Epiphanius, quem sequuntur recentiorum plerique Frater Brocardus, Breidenbachius, Felix Fabri, Gotofredus Viterbiensis, Monteville, & qui non? Sed & horum mentem compendio tradere minus tædiosum fuerit. Vetu-

Digitized by Google

Vetustissima nempe traditio est, primum hominem ex rubra agri Damasceni argilla formatum, unde & à rubedine nomen obtinuerit. Res eò evadit. Ager Damascenus habet argillam rubram in modum ceræ flexilem. Hæc camelis in Indiam, Ægyptum, Æthiopiam magna copia exportatur, quod credunt comestam maximi in medicina usus esse, nec defatigari, aut cespitare, qui hanc secum gestent, & quicquid decerpatur terræ, quotannis renasci. Monstratur adventoribus spelunca, quæ ad Austrum patet, in quâ luxerint ærumnosi parentes Abelis interitum, nec minus locus cædis factæ. Insulsus verò sim, si in his fabulandi licentiam, futurasque nugarum exstantiores etiam clausis oculis digito exploratore non deprehendam. Plura certè transcribo, quam credo. Separanda tamen & diffuenda illa næniarum assumenta à textu probabilis veritatis, quæ non obscurè vires accipit ex loco Gen. 3, 23. Ibi enim divinus Historicus habet: Adamum ex Paradiso emissum, ut coleret terram illam, qua sumptus est exinde, uti verba emphatica sonant. Damascenam autem fuisse supra audivimus. Nec ignoro γενικῶς hæc explicari posse de

 Digitized by Google quali-

qualibet terra cujuscunque loci. Sed nihil quoque impedit, quo minùs ἀδιαιρέτως accipiatur, quod ה emphaticum in הארסה svadere videtur. Jam quis mihi cogitet parvum istud intervallum ab Euphrate ad radices Libani, ubi Damascus, & nullus omnino trajectus alicujus fluvii, & nostram opinionem majorem habere veri similitudinem non diffitebitur. Non exiguum quoque robur accedit, quod Cain post cædem fratris *Gen.* 4.16. dicitur abiisse in terram Nod, (id est exilii) quæ versus orientem trans Paradisum sita erat. Si enim Adam eandem plagam exul occupavit, quomodo Cain discessisse dicitur? Credibilius est longè in diversa abiisse fugientem conspectum Dei, id est Ecclesiæ Adamiticæ, uti plerique interpretantur. Neque tamen in Indiam usque fratricidam relegaverim, ubi Alexandro M. liber Juchasin refert, nescio cujus Cainanis sepulchrum esse monstratum. Neque ad Libanum propius admoverim, ubi autor Historiæ Scholasticæ, & ex eo Nauclerus urbem Enos collocat. In transtigritanis regionibus videtur illa fuisse condita, ut rectè judicat Hornius ad Sulpitium, & Paradisus inter utrosque primùm fuisse medius.

Digitized by Google

medius. Labentibus autem seculis connubiis Sethianos cum Cainitis mixtos esse sacræ Pandectæ referunt. Adderem fabulas de cadavere Protoplasti in arcam Noæ translato, & in Hebrone, postea seu spelunca duplici, aut in monte Golgatha, aut prope Mecham, ut Arabes credunt, sepulti, si quicquam ad rem nostram facerent.

De

Digitized by Google

De Pallade Scholarum Præside.

Eliquos inter magnorum ingeniorum morbos vel iste præcipuus est, quod opiniones suas eo affectu amplectuntur, fovent, tuentur, ut nec gallina sollicitius ovis incubare, aut pullos defendere queat. Testium & exemplorum ingens numerus, nec facilè quem reperies, qui non quod ipse opinatur reliquos sentire velit, & contemptum sui arbitretur, si quis in aliena omnia abeat. Suffecerit vel solus Philippus Cluverius, vir alias non proletariæ eruditionis, & qui de Geographia, si quisquam alius, præclarè est meritus. Is cum passim suo ingenio indulgeat, tùm imprimis lib. 1. German. Antiquæ cap. 15. & 29. Gentiles ait Spiritum sanctum veneratos esse, sub Martis, Herculis & Vulcani nomine, ignis symbolo, & hinc Vulcanum dici ex Jove & Junone natum, quia

Digitized by Google

quia Spiritus ſancti ignea vis à Patre & Filio procedat. Quæ res mihi ferè indignationem elicit, & vix calamum ſatis abſtineo, quin ſtringatur in illos, qui in Proteo etiam Spiritum ſanctum, in Sileno Chriſtum cum Eraſmo reperere. Impiæ Nugæ! Mars, Hercules, Vulcanus nomina ſunt ſtupris & ſceleribus infamia &, (fidem Numinis!) audent Chriſtiani has ſordes ſaluti s noſtræ autoribus diviniſſimis impingere! Sed gentiles inquiunt fecere. Imò verò non fecere & pereat, qui malè cogitat, pudeat, qui ſceleribus hiſce ſuam interpretationem infert in contumeliam Sanctiſſimi Numinis. Quin ſi quid tale auſa fuiſſet ſcelerata gens, conſpuendum foret, & in Orcum, id eſt ad originem ſuam relegandum. Ego quidem non dubito. Martem ex Nimrodo, aut Nino, Herculem ex Joſua & Simſone, Vulcanum ex Thubalcaino noſtro ſculptum eſſe, & ὁμωνύμους habeo magnos viros. Ignis autem & Veſtæ religio à flammis olim cœlitus in ſacrificia delapſis originem traxiſſe videntur. Quod enim alii derivant ſuperſtitionem ex lege divina Num. VI, 12. vel hoc nomine fidem non invenit, quod Chaldæorum περιλαμψία ipſo hoc inſtituto antiquior

Digitized by Google

quior est, à quibus deinde in Persas fluxit superstitio, aliasque gentes. Gentiles, quid de Scholarum præsidibus senserint, obiter percontari placet. Apollinem illi nominant & Musas, & Palladem, & Mercurium. Et scortatorem quidem ac παιδεραστὴν Dæmona, (quis enim Deum hunc appellaret) quem ipsi adoratores sui his sceleribus infamem reddunt, quam bellè virginibus Musis præfecerint ipsi videant. Si mihi optio data fuisset, castratum maluissem ex disciplina Gynæcei Persici. Altermas non nisi literarum inventarum nomine in hunc censum venit. Restant cum Pallade Musæ. Musarum Mythologiam variè tradit, inque multas opiniones discerpit ferè Pharnutus de Naturâ Deor. cap. 14. Sola igitur Pallas supereſt, quam virginem virginibus Musis præsidem rectius constitui, nemo tam obesæ naris est, qui non videat. Hujus verò origines explicare, ideò difficillimum, quod illæ fabularum fasciis ita sunt involutæ, ut qui evolvere illas velit, maximis nodis implicatas esse reperiat. Quibus quidem spinis nos jam immergere non placet. Summa enim huc evadit: Palladem illam Scholarum omnisque sapientiæ Præsidem ex

Digitized by Google

Jo-

Jovis cerebro natam, postquam ille Metin devoraverat. Quis autem hic non miretur filiam sine matre, caput puerperum, fœminam à mare deglutitam? Monstra hæc sunt supra omnem Africam prodigiosa, & in quibus Lucianus nasum suum exerceat, si tam pingui & rustico sensu accipiantur. ἀλληγορήματα ergò sunt, & altior in recessu sensus latet. Solebant nempè, non nego, veteres hujuscemodi tenebris involvere Theologiam suam, quas parum feliciter illustrant Augustinus Steuchus de perenni Philosophia & Mornæus cum Cluverio, qui sub Palladis Saiticæ peplo nondum revelato maxima Christianæ religionis mysteria se reperisse serio affirmant. Minore impietate Palladi de sexu controversiam cum Theodoro illo facere possem, cujus meminit Laërtius lib. 2. pag. 166. quem tamen ob hanc culpam ut blasphemum urbe ejecerunt Areopagitæ. Enimverò lateat sub Mose Liber Pater, sub Josua Hercules, sub Caino Jupiter, sub Nimrodo Mars, sub Semiramide Venus, & omnis Deorum gens furto ex sacris nostris abacta sit, quod Mythologi nostri contendunt. Sine pudore hæc concedere possu-

Digitized by Google

possumus. Trinitatem verò in Cerbero, aut tripode Delphico, Jehovam in Baccho, in Junone, Venere & Iside Filium Dei, Spiritum S. in Vulcano, Mercurio aut Hercule & tam pretiosos uniones nostræ religionis in sterquilinio profanæ superstitionis, quæri, ne dicam reperiri, quis paulo pietati addictior ferat? Male meritus est de nostra religione Clemens Alexandrinus, Vir alias admirandæ eruditionis, qui primus inter veritatem Christianam & gentilium mendacia medium se inferre instituit. Apage Syncretismum istum, quacunque mente quæsitum. Sed nescio quis me Zelus à Pallade mea auferat. Scholarum illa, quod dicere volui, antistita & artium liberalium præses. Hæc meritò ex Jovæ nata fingitur. Omne enim donum bonum à Deo. Sine Matre. Non enim propagatur eruditio per parentes. Ex cerebro. In hoc enim scientiæ velut in utero foventur atque animantur (quò pertinent etiam Musarum natales ex Jove & Mnemosyne sive Moneta) Et Mœti quidem id est prudentia deglutita, quà in percipiendis & tradendis artibus vel maxime opus. Bellorum curam gerit urbiumque architecta est, quia ut illa sine literarum scien-

Digitized by Google

scientia non benè geruntur, ita hæ absq; illis malè administrantur. Truces oculos habet & Gorgona in clypeo ob illud armorum hostilium δυσαντίβλεπτον. Athenarum Dea tutelaris ob celebritatem sapientiæ, quæ verè Palladium est imperiorum. Draconem, noctuam & oleam habet, ob lucubrationes eruditorum perspicaces. Lanificii inventrix, quia manus virginum aliquo opere sunt occupandæ, ne cupidini pateant otiosæ, & si quis præterea nucleus sub fabularum hujusmodi putaminibus latet? Cum verò Christianorum religio Græcorum nugas passim obtereret, Pallas etiam cum Apolline in exilium abire & Musæ diu præsidibus orbatæ in luctu fuerunt, donec orphanæ miserellæ in clientelam Gregorii & Catharinæ concessere. Hos enim renascens subalio schemate superstitio surrogavit. Gregorium quidem Magnum ajunt vastatas à Barbaris Scholas restituisse, plurimum auxisse, atque ornasse. Inde Patronus Scholasticorum habitus precibusque invocatus, inque ejus honorem festum à Gregorio IV. Papa institutum seculo 9. nisi fortè ad liturgiam illud potius spectat, ut observat Balæus, quo hodiè quoque Scholastici cum Præceptoribus

Digitized by Google

ſolent cum cantu per urbes circuire, novosque discipulos allicere. Non desunt tamen, qui altius institutum hoc & ab ipsis Quinquatribus Romanorum repetant, & ferme mihi quidem fidem faciunt. Celebrabantur enim illa ejusdem Martii mensis die 19. Ajebant Minervæ natalem esse, pueri feriabantur, & Minerval Præceptoribus numerabatur. Constantinopoli vocabatur Notariorum festum, quo illi cum pueris suis & scenicis personis per urbem circuibant. Edocuit me Enimundus Benefidius I. C. lib. III. Juris orientalis pag. 70. Palladis tandem personam Catharina suscepit. Hæc, si quæ Martyrologiis fides, Alexandrina fuit virgo, quæ à tribus Philosophis instituta ad summum eruditionis fastigium pervenit, tantaque fuit animi præsentia, ut Maximinum tyrannum Ægyptios ad idolorum cultum rursus adigentem palam reprehenderet. Inde carceri inclusa & cum 50. Grammaticis & Rhetoribus commissa, omnes vicit, & ad Christianam fidem traduxit; quos deinde omnes Busiris ille trucidavit, ipsam rotæ imposuit, quæ cum fulmine esset deturbata, gladio percussa vitam finivit Anno Christi

Digitized by Google

sti 307. Ex corpore purissimum lac fluxit, illudque ab Angelis in montem Sinai translatum. Quo factum, ut Philosophorum Dea quædam tutelaris crederetur, ejusque anniversaria memoria ad diem 25. Novembris recolatur. Per me quidem cuilibet licet hic credulitate sua abuti: mihi autem, ut cœca fide nugas amplectar, nemo persvaserit, cui tota Catharina illa ex cerebro Monachorum, uti Pallas ex Jovis prognata videtur. Qui plura desiderat, Vossium adeat de Philologia cap. XI. & Dresserum de Festis diebus, Taubmannum in Schediasmasi. Cui ridere autem volupe est, evolvat Præfationem Itinerarii ejus, quod Comes Johannes de Solms ad montem Sinai instituit. Nimirum recidiva superstitio tanto paroxysmo in Ecclesia Christi inhorruit, ut gentilium etiam fabulæ majorem similitudinem veri sæpe habeant, quam quas vocant Legendas Sanctorum. Nec insolens illo seculo sanctos invocare Chimæricos, quos nulla viderat ætas, nullum noverat seculum. Si quis neget, S. Georgium & Christophorum gigantem illi impingam, ut desinat impudens os opponere. Nos libellum repudii hisce omnibus mitti-

Digitized by Google

mus, & res suas habere jubemus illud Pauli ad Ausonium occinentes:

Quid abdicatas in meam curam pater
Redire Musas præcipis?
Negant Camœnas, nec patent Apollini
Dicata Christi pectora.
Fuit ista quondam non ope, sed studio pari
Tecum mihi concordia
Ciere surdum Delphica Phœbum specu,
Vocare Musas Numina,
Fandique munere indultum Deimunus
Petere fonte, nemore aut jugis.
Nunc alia mentem vis agit, major Deus
Aliosque mores postulat.

Turpe videlicet literas sapientiæ custodes, rem diviniſſimam alii enicunque quàm Deo ipsi subjicere. Quare alacriter in clientelam Spiritus sancti concedimus. Hunc Patronum, hunc Musageten nobis adoptamus, hunc Præsidem Scholarum constituimus, cujus Numine stant bonarum artium monopolia.

* * *

An

Digitized by Google

An Diabolo larvam sumere liceat?

Ascente primùm Ecclesia, fervor quidam pietatis animos Christianorum, imprimis Præsulum, ita occupaverat, ut severissimè suis interdicerent theatrorum usu, spectaculorum profana voluptate. Cumque parum proficerent, & Clerici quoque ægrè continerentur, crescentibus delictis ad ultimum excommunicationis supplicium deventum fuit. In honorem quippe Deorum instituebantur Ludi hujuscemodi, quorum saltem nomina usurpare nostris religio erat. Adhæc raptus, stupra, adulteria, furta, cædesque Deorum, &, si quid præterea ἀῤῥητοποιητὸν in publico pegmate ostendebatur, non sine publicæ probitatis ingenti damno. Quam turpitudinem non immeritò Ethnicis objicit Augustinus de Civitate Dei, Ter-

Digitized by Google

tullianus, Cypriano, & multi alii. Cùm verò post Constantinum M. in alta pace Ecclesiæ florerent, sensim obrepsit ex divitiis deliciarum quoque amor, cui sufflaminando illud quoque excogitatum, ut baptizandi renunciarent Diabolo, pompis, spectaculis & operibus ejus. Tandem cùm pertinaciùs inhærerent suis institutis infideles, pia forte intentione, multa ex gentilismo in Ecclesiam recepta, ac in his etiam scenarum oblectationes, mutatis tantummodò argumentis, ut pro obscœnis gentilium fabulis biblicæ agerentur historiæ. Plenus adhuc Papatus ejusmodi theatralium spectaculorum, imprimis hoc tempore, quo memoria Crucifixi solenniùs recolitur. Tunc enim homines recidivam quandam patiuntur insaniæ, & publicè cum larvis discurritur, magna etiam Turcarum cum offensione. Qui sibi plus sapere, & pietati addictiores videntur, longam crucigerorum & flagellantium pompam per plateas ducunt. Qui Salvatoris personam sustinet, sub ingenti, sed cavo stipite fictitios gemitus edit: alicubi & pretio quis se cruci affigendum addicit. Et quis processiones, ut vocant, omnes enumeraret?

Digitized by Google Ex

Ex hoc fonte ad nos quoque procul dubio fluxére illæ jam toties vexatæ larvæ natalitiæ, Trium Regum circumforanei mimi, actus Gregoriani, & denique illa, quam dictitant, Operum modulatio. Equidem is non sum, qui cum Amesio, Riveto, Becmanno ludos scenicos omnes damnet, cùm sciam Judithæ, Tobiæ & Susannæ historiam dramaticam. Valdè tamen dubito, ignoscite fasso, an mysteria nostræ religionis, qualia sunt Redemptoris nativitas, passio, resurrectio, ascensio satis piè, aut circumspectè dramatis instar producantur. Sanctiùs certè hæc mentium, quàm corporum usurpantur oculis. Propiùs admota vilescunt, quibus major è longinquo veneratio. Sed de his judicent, qui meliùs possunt. Istud saltem in medium projicio curatiùs paulò ventilandum, utrum, si omninò larvis & mascaradis uti licet, homini, & Christiano, & pio Diaboli etiam larvam sumere citra periculum conscientiæ integrum sit? Tralatitium enim jam est, personatos Diabolos sub servi Ruperti nomine quotannis comparere, qui manducorum partes impleant, & contra infirmam ætatem immen-

Digitized by Google

immensis terroribus desæviant. Nec dives epulo temerè, sine cacodæmonum formis in spectaculum prodit. Quid de D. Fausto dicam, quem nullæ forsan ætates tulerunt, nullum seculum nisi in theatro vidit. Ego quidem, si mihi censendi arbitrium committeretur, dicerem, ne micam quidem bonæ mentis habere, qui approbare Diaboliformes Christianos audeat.

Sinensium histriones legimus leonum, pantherarum, aliarumque bestiarum feritatem voce ac gestuum ferocia ad vivum exprimere. Sed istud Sinenses faciunt, gens aliàs ad sapientiam non malè facta; sed quæ superstitionum portentosissimarum facilè principatum teneat. Et minùs utique peccant, qui relicto homine in bestias migrant, quàm qui membra Christi Dœmonum exuviis vestiunt, transfugæ pietatis, & tantum non perduellionis crimine notandi. Conditus homo ad imaginem Dei, quæ ex facie, etiam, censente Balduino *in calib. consc. p.* 554. elucere debet. Et licet nihil nobis cum Anthropomorphitis commune, maxima tamen hominis dignitas, quòd Christus imago Patris coæterna pro salute nostra induit carnem hominis, cùm

posset

Digitized by Google

posset Angelorum facie apparere fulgentissima. Enormiter peccat, qui ex Christi membris meretricia facit. Sed quid illum mereri censes, qui ipsum ex umbrarum sede Satanam præ se fert? Parum nempe videtur hujusce furfuris homuncionibus Dei totiusque nostri generis juratissimo hosti cordis arcem prodere, ac intrà præsidia illum recipere, nisi & arma induant, insignia æmulentur. Hinc videas toto corpore villosos cornua sibi imponere, aprugnis dentibo minari, ungves aquilinos intentare, &, ut verbo novo dicam, incorporatis Dæmonibus similiores, quàm homini animalium mitissimo & pulcherrimo. Nimirum hoc est violare nequiter fœdus, quod sub hac formula, cùm Christo initiati sumus, conceptum fuit: *Renuncio Diabolo, & omnibus operibus ejus, & omni essentiæ ejus.* Si quis ex meliori sexu augendæ formæ fuco & cerussa utatur, meritò ab omnibus reprehenditur. Quis ergò dubitet insanum esse, qui corrumpendæ gratia faciem Tartaream sumit? Severè certè Apostolus prohibet συσχηματίζεσθαι, conformem fieri mundo, (qui hodiè imprimis ad ultima exempla scelerum, nequitiæque pervenit) quanto magis Principi

Digitized by Google

hujus mundi? Quin ipse Diabolus excusatiùs videtur peccare, cùm in Angelum lucis, quàm filii lucis, cùm in vultum transeunt Angeli tenebrarum. Quid Christo, imò quid etiam Christiano cum Belial?

Sed audio quosdam mussitantes: dicis saltem causa hæc fieri. Servari tamen puram mentem, quæ qualicunque vestitu non inquinetur. Ita pueros, ita adultos ad majorem pietatis rationem componi. Egregius verò ad virtutem hanc Præceptor Diabolus! Quid si illud ex poëtico trivio occinerem: *Oderunt peccare mali.* Et quàm non accipiat hanc excusationem severitas Numinis, tot tragica exempla ostendunt. Sæpè enim personatis hisce Satyris se immiscuit ex ipso damnatorum carcere Satanas. Sæpè larvatum tironem Magister ille scelerum abstulit. Multi post depositas partes morsibus conscientiæ lancinati, miserrime vix solatii medicinam admisére. Longum foret cumulare exempla passim obvia illis, qui historiæ forulos excutiunt. Sufficerit itaque, bonæ fidei testes allegare Joh. Danielem

Digitized by Google

lem Erneſti *in den Gemüths Ergetzligkeiten, Colloq. 35. p. 660.* Mollerum noſtrum in Theatro Freibergenſi *part. II. pag. 178. 179.* Tileſium in Poſtilla *part. 2. pag. 295.* Danielem Dyke *in dem Selb-Betrug p. 45.*

Quid verò futurum, ſi in tali veſtitu quis ſubitâ morte ad tribunal æterni judicis abriperetur, niſi pro eo Chriſtus quaſi extra ordinem miſericordiam interponeret? Certe qui ſeriò ſecum perpenderit, cum tremore & timore ſalutis noſtræ curam eſſe habendam, nec morionis quidem partes alteri imponet, aut facile recipiet, nedum Diaboli in hoc impietatis theatricæ mimo. Et tamen ver ex anno, ſi ſtultiloqvum hunc ex comœdia ſuſtuleris. Niſi enim effuſiſſime ſub hoc ineptiarum magiſtro riſum ſit, vulgus hominum pecunia ſe emunctum oleum & operam perdidiſſe, tantum non quiritabitur. Ego verò gementes & plorantes multos in cœlum ſubvolaſſe memini; per riſum & jocum neminem. Si autem quis ſubtilius argutetur, Spiritus damnatos carere forma externa, quæ corporeos incurrat oculos, me quidem

in

Digitized by Google

in hoc adversantem non habebit. Sufficit tamen in maximè terribili sæpè illos apparuisse, quam illi imitantur, qui improbam hanc histrioniam exercent. Nec sine causa sacræ literæ hostes istos sub nomine pilosorum & antiqui Draconis depingunt Verisimile, etiam Indos monstrosissimas idolorum suorum formas à spectris didicisse.

Digitized by Google

De,

De Christi formâ & staturâ.

INgeniis hominum nescio quis pruritus à natura adhæsit migrandi veterum terminos, & ex dubitatione aut contradictione gloriam non plebejæ prudentiæ aucupari. Abjectum videtur ire, qua reliqui solent: sordidum vestigia aliorum legere: Caput autem novæ sectæ constituere, id verò magnificum atque glorioſum putatur. Sed tolerandum utcunque foret istud novitatis studium, si intra Philosophiæ cancellos cohiberetur. Latiùs malum istud nocet, quàm minatur, & cuniculis quibusdam ipsa religionis capita convellere conatur. Inde tot hæresium monstra, tot sectarum inter se dissensiones, quas in infinitam ferme opinionem varietatem inepta curiositas diffudit. Interea dum de putaminibus tricamur, argutamur, altercamur, & opinatorum

Digitized by Google

Qua-

Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum,

Periit apud multos veritatis medulla, & Probabilismus, quem vocant, natus de quacunque re in utramq; partem disputans. Cujus incubatu pestifer basiliscus, ac scelerum omnium fex ac sentina Atheismus est exclusus. Qui licet omnium bonorum stylis meritò configatur, albos tamen dentes ostendit infame monstrũ, & ipsa lubricitate sui passim serpit subhoc lemmate: Nihil posse sciri. Sed quorsum me abripit temporum nostrorum infelicitas? Castigo impetum, cursum sufflamino, nec tamen plane abjungo. In Aphthoniano enim Gymnasio, quo Juventutem meam rudibus armis batuere doceo, dum decretoriis uti queat, jam frontem adversam porriguntDescriptiones. Hic hospitæ urbis amor persvasit Freibergam cum insignioribus locis sistere, cui rei dũ præluderemeditor, Salvatoris diviniſſimi prosopographia in mentem venit, quam calami periculo delineatam traderem.

Enimverò dum in eo sum, stylum cum ipso proposito excussit veterũ atq; recentiorum inutilis rixa, quibus se medium ingerere esset digitos laxatis cardinibus inferere, qui hiantes si coëant, nequicquam

Digitized by Google cum

cum quiritatu Quiritium fidem implores. Nicephori etiam descriptio, & imagines omnes Abgari, Veronicæ, Lucæ, Nicodemi, aut quas ex nummis petunt, adeò incerta omnes fide nituntur, utinter colum & fusum obstetricante vetularum collegio videantur esse natæ. Confecit hæc delirantis ingenii monstra ita Dn. Reiskius, ut alio Hercule opus jam non sit. Saltem igitur præsente scheda quærere juvat, pulcherne an deformis fuerit Salvator, & utra magis pia sit sententia. Ut autem ὑμετέρως procedamus, de secunda ante videbimus. Nititur illa autoritatibus quibusdam, & rationibus. Habet quippe suffragatores Clementem Alexandrinũ, Origenem & Tertullianum ex priscis. Clemens enim *lib. III. Pædagogi cap.* 1. *p.* 158. *ait:* τὸν κύριον αὐτὸν τὸν ἔνδον αἰσχρὸν γεγονέναι, *ipsum dominum aspectu turpem fuisse, & lib. III. Stromatum p.* 343. ἡ κεφαλὴ τῆς ἐκκλησίας ἐν σαρκὶ μὲν ἀειδὴς διελήλυθεν καὶ ἄμορφος, *ipsum caput Ecclesiæ in carne, informe & specie carens vixit, quam mentem* tamen ex Esaiæ *cap.* 53. se hausisse, disertim affirmat priore loco & *Stromat. lib.* 6. *pag.* 496. Origenes verò *lib.* 6. *contra Celsum* δυσειδὲς σῶμα, *deforme corpus illi* ad-

Digitized by Google

adscribit, sed forte etiam in passione. Tertullianus autem passim iniquiorem in vultum Christi calamum stringit, imprimis *lib. adversus Judæos* dictitans, *ne aspectu quidem fuisse honestum*. In horum castra deinde multis post seculis transiere Jacobus Sirmondus fide nummi inductus (qui faciem Christi satis horridam & deformem exprimit) Rodericus Ariaga & omnium Uragus Salmasius *in Epistola ad Bartholinum de cruce p.* 502. Ne autem precariò ita sensisse videantur, ratiunculas etiam confarcinant. Ex his Clemens *lib. IV. Stromatum* hanc ponit: *Dominus non frustra voluit uti vili & humili forma corporis, ne quis speciem laudans, & admirans pulchritudinem abstraheretur ab iis, quæ dicuntur, & attendens iis, quæ relinquuntur, abduceretur ab iis, quæ intelliguntur.* Reliqua in eam summam abeunt: Supplicio servili cruciandum venisse, ideò formam servi quoque suscepisse (quæ nempe nihil ingenuum in vultu servaverit) illusum illi ab Herode: Fœmineam, non virilem laudem in forma quæri, virtutem sufficere. Quis autem non videt plumbea hæc esse tela; imò aranearum telas quovis flatu facile disturbandas? Μορφὴν δούλου Christus quidem assum-

Digitized by Google

assumpsit *ad Phil. 2.* sed de humana natura id capiendum vel inde patet, quod disertim opponitur μορφῇ θεᾶ. Quæ pro insigni pulchritudine capienda esset, si altera illa deformitatem vultus notaret. Nummorum fides subleſta, & nonnulli prævaricantur, de quibus judicium vide Dn. Wagenseilii *in Sotap.* 579.

Sed audiatur jam & altera pars. Hujus familiam ducunt Hieronymus & Chrysostomus, qui pulchritudinem formosissimi omnium satis dilaudare nequeunt. Herbam his porrigunt Mendoza, & ex nostratibus Gerhardus, Dannhauerus, Fesselius, alii, quorũ argumenta, si non apodictica, certè graviora. Ajunt enim Spiritum S. corporis Christi architectum fuisse. Quæ autem Deus faciat, omnia absolutæ perfectionis esse. Deformitatem esse pœnam peccati, cujus Salvator expers fuerit: Scripturam S. Psalmo imprimis 45. & Cantico exquisitissimè laudare speciem sponsi. Optimo Christum fuisse temperamento, nec luxu corrupisse ejus vim. Imprimis autem huc facit typus summi sacerdotis, quem absque nævo & macula esse oportebat. His litibus commotus Franciscus Vavassor Lojolita, quem Arndius noster Rostochii 1666. recusum nobis dedit, arbitrium

ſuum interponere auſus eſt, cujus hæc ſumma: *Errare utrosque, & qui deformem faciant Salvatorem, & qui nimis formoſum: Mediocri illum fuiſſe vultu, quique paucis controverſiam moverit. Multis tamen itineribus, jejuniis, laboribus detrimentum paſſam fuiſſe, ut vix tricenarius à Judæis pro quinquagenario circiter habitus ſit. Joh.* 8. Quæ ſententia vel hoc nomine plauſum meretur, quod media via incedit, qua ſemper tutiſſimè itur, & Lutherum habet conſentientem, Tom. III. Altenburgenſi ita cenſentem: *Das iſt wohl moeglich, daſs einer am Leibe wohlſoſchoen geweſen, als Chriſtus, auch ſeynd vielleicht auch andere ſchoener geweſen, als Chriſtus.* Nimirum ex quo tempore iconolatria in Eccleſiæ pomœria magna vi irruptionem fecit, artis ſtatuariæ ac pictoriæ lenocinium acceſſit, quæ, quo venuſtiores vultus ſanctorum exprimeret, hoc majore pretio diſtrahebat opus ſuum. Videmus hoc in ſequiore imprimis ſexu, quarum imagines eâ venuſtate in templis Pontificiorum dedicantur omnes, ut Juventutis etiam ſimiles ſibi optantis libidines ac vota accendant. Imprimis B. Virginis facies maxima ambitione laudatur, pingitur, ſculpitur. Judicio enim Bernardini in Mari-

Digitized by Google

ali

ali in comparatione Matris Dei omnes pulchras videri posse turpissimas. *Quin Mariam habuisse formam, quam Poëtæ Veneri, Circe, Medeæ, Helenæ, Phryne, Thaidi, Catullus Lesbiæ, Propertius Cynthiæ, Ovidius Corinnæ tribuunt: Non habuisse salivã, non reliquacorporis excrementa*, uti refert Alphonsus Vargas *stratagematis Politicis societatis Jesu 1656. editis.* Judicet autem cordatus Lector, quam prudenter meretricius ille chorus Sanctissimæ Virgini comparetur.

De statura Christi, quæ & ipsa ad dignitatem corporis facit, non nihil quoque dicendum videtur. Hanc Nicephorus ἑπτὰ σπιθαμῶν septem spithamarum facit, quod si admittimus infra mediocritatem etiam fuit. Et tamen adhuc pumiliorem interpres Langius facit, qui septem saltem palmos illi tribuit, nisi forte majores intelligit, quorum unus habet latitudinem duodecim digitorum, & sic ad mensuram septem spithamarum fermè accedit. Lentuli autem πολυθρύλλητος Epistola longe liberalior est. Ait quippe ἀναίθρωπον fuisse staturæ procerae, sed cubitos non addit. Quo fit, ut maximè mirer Dn. D. Bakii verba *in Exposit. Evang. ad primam post Epiphaniam p.* 352.

Digitized by Google

ita differentem: *Ex literis vero Lentuli ad senatum Rom. constat, staturam Christi absolutam fuisse trium ulnarum cum dimidia, dempta duorum digitorum latitudine, Vierte halb Ellen, weniger zwey Finger breit.* Istud autem Lentulus nusquam affirmat, nec tamen virum de Ecclesia optimè meritum alicunde hausisse dubito. Suppositiciam verò Epistolam esse nemo paulo prudentiorum hodie dubitat. Itaque & hæc res in incerto relinquenda. Fallit enim conjectura Salmasii epistolâ supra allegatâ inquientis: Si servi formam accepit, valdè despicabilem eum oportet fuisse forma staturaque. Ostendat vir Maximus, servos non vultu modò; sed & statura ab ingenuis fuisse diversos. Nec moramur vulgus imperitum, quod ex sepulchri hodierni mensura singularem quandam Christo affingit. Hanc enim nulli hominum exactè convenire fabulantur. Sed inepruli hi obliviscuntur Josephi sepulchro Salvatorem illatum, & monumenta non exscindi ad staturam cadaveris, magis addi aliquid. Ego tamen in tanta rerum incertitudine malim in illam potius partem peccare, quæ Servatori nostro formam cum statura largitur justam. Altera.

Digitized by Google

tera enim opinio nescio quid contumeliæ videtur aspergere diviniſſimo corpori. Pulcher enim fuit Redemptor meus in cunis, pulchrior in cruce, pulcherrimus ad dextram patris.

De Atheiſmo.

Agnificè Pontificii criſtas erigunt, & hoc quoque nomine religionem ſuam reliquis præferunt, quod ſtudio convertendarum gentium multos labores exhauriant, ingentes ſumptus faciant, graviſſima pericula ſubeant. Miracula deinde Xaverii jactitant, & tot martyria ſuorum, quibus plurimos toto terrarum orbe proſelytos Eccleſiæ ſuæ lucrati fuerint. Reformatos contra nullam ejus rei curã ſuſcipere, nec miſeratione tangi tot animarũ pereuntium: Solum illos ſpectare lucrum, ac Indorum opes avidis ungvibus corripere. Ego verò, ut ſtudium illud Romanenſium non improbaverim, optaverim potiùs, ut quisque pro ſua virili parte id agat, quo Chriſti cognitio, quàm latiſſime propagetur: Ita

Digitized by Google

nec ignoro, quæ Salvator ipse in Phariſæis improbet Matth. 23. v. 15. Id autem, quàm maximè miror, illos tanta viarum ſpacia conficere, cùm domi plus ſatis habeant, quod agant. Cur enim Europæ noſtræ officium non impendunt? Cur foris tam oculati ſunt, qui domi cœcutiunt? An nulli forte in Europa infideles? Illud quidem omni voto expetendum eſſet; Sed ſerpit non occultè Atheorum gangræna, verùm publicis ſcriptis in lucem prodire audet, publicam nihil credendi artem profitentia, quæ ego igne carnificis abolenda nec nominare audeo. Quin imò florent impii iſti opibus, dignitate, imperiis, & in ipſis aulis Principum ſe jactant, irridentur, minantur.

Ut enim eos non dicam, qui nullibi non ita ſe inſtituunt, ut ipſa vivendi ratione negent, eſſe aliquem qui ſcelera puniat, in cœlis vindicem: Illud certè monſtri ſimile inter Chriſtianos eſſe infinitam illorum multitudinem, qui ejurata ſcientia, oppreſſa violenter nec quicquam obſtrepente conſcientia, inter fabulas referant, quicquid de animarum immortalitate, de Deo, Chriſto, de Diabolo, inferno, extremo judicio fides noſtra

Digitized by Google

noſtra inculcat. Breviter, τὸ γνωστὸν τȣ̃ θεȣ̃ expreſſiſſimis literis gentium omnium cordibus inſcriptum nequiter aut delent, aut delere ſatagunt. Prius enim illud fieri poſſe non immerito dubitatur, & triſtia agonizantium Atheorum exempla aliud ſvadent, imprimis illud, quod ex Gallorum letres ſinceres, affert liber curioſiſſima eruditione plenus *der Monatlichen Unterredungen. pag.* 992. Hos, ſi reducendos ſibi crederet ad gremium Eccleſiæ officium iſtud de propaganda fide domi occupatiſſimum, ad longinqua reſpicere non auderet. Omni commiſeratione digni ſunt Judæi & Turcæ cum gentilibus, qui hoc quoque nomine ἄθεοι ſunt, quod verum Deum non colunt. Hi verò noſtri ipſis diabolis pejores ſunt. Namq; & hi credunt DEUM eſſe, quamvis ad memoriam ejus cohorreſcant. Nec myſteria noſtra illi impuro ore polluunt, quod hi quot annis faciunt? Hoc ſcelus omnium viribus coërcendum eſſet, omnium ſtylis confodiendum.

Enim verò hic filet atque marcet Inquiſitionis Romanæ officium, quo decum ſpiſſum opus Thomas del Bene conſcripſerit, & in quos inquirendum præſcripſerit; Atheorum nec verbulo meminit, quorum tamen plena Italia, quæ monſtris

hisce in solas terras deportandis prima olim incunabula dedit. Si verò ex Nostris aliquem nacti fuerint, tum denique conclamant ad rogum ἀφίσις, intermortuas flammas omni flabro resuscitant, & sacrificio hoc, quamvis non incruento, se Deum egregiè placasse sibi persvadent. Nimirum hoc est reduviam curare, cùm capiti mederi debeant, aut colare culices, & deglutire camelos. Etenim aut sceleris frequentia, aut sceleratorum autoritas censuram feralem cohibet. Ita pestis hæc vires indias acquirit, & proximas quasque regiones corripit. Certe Mersenius in Genesin fatetur, anno 1623. Lutetiis Parisiorum Atheos 54000. numeratos esse. Deus bone tantum nefariorum in unica urbe! Quid in ampliſſimo regno futurum exiſtimas hodie? Si opera inspexeris vix totidem myriades sufficient. Numerorum hoc prodigium minus mirabitur, qui Petrum Firmianum attentiùs in Genio seculi evolverit, plura ex interiore hujus impietatis adyto aperientem. Sed combussit, inquiat quis, Gallia hujus criminis reum Lucium Vaninum anno 1619. ex decreto Parlamenti Tholosani. Fateor, & Grammondus edocet lib. 5. Histor. p. 210. Sed solum hunc.

In

Digitized by Google

In Hugonottis verò excarnificandis, quàm non ſtetit intra hunc modum ſævitia! De Hiſpania & Britannis autem, quid dicere attinet? Polonia certè nuper ſeveriſſimè nefas hoc in Lyſzynskio ſuo ulta eſt, atque utinam impietas illa ex regno illo cum cineribus hujus ſceleſti ex majore tormento Tartariam verſùs exonerata eſſet! De Germania noſtra dicere horret quidem animus, calamus cunctatur. Sed ne hanc quidem immunem ab hac labe triſtis, pro dolor! experientia ſatis confirmat, Certè indignari quoque audent, & ſpongiam minari, ſi quis conſcelerati ipſorum cœtus tædium teſtatus fuerit. Eò igitur proh Dei atque hominum fidem redacta fides Chriſtiana, ut exiguas planè reliquias inventurus ſit vel hodie cœlo redux Chriſtus.

Originem verò mali indagare, & prima luſtra Draconis hujus deprehendere, operoſioris negotii eſt. Plurimum tamen contuliſſe videntur impiæ & blaſphemæ Scholaſticorum Doctorum quæſtiones, ad quorum quoque lectionem, mens pia exhorret. Ingentem verò ſyllabum illarum oculis ſubjecit B. Schmidius in Animadverſionibus ad Nov. Teſtam. pag. 1775. & D. Scherzerus pro-

Digitized by Google

gram. 18. Cum deinde à Luthero & reliquis orthodoxæ Ecclesiæ Doctoribus Pontificii subinde vulnerarentur telis ex sacræ Scripturæ pharetra petitis, illi velut in rabiem acti unicam hanc benè credendi rectèque vivendi normam mordicus appetere & pudendis conviciis proscindere non destiterunt, comparantes illam foliis Sibyllæ, Sphyngis ænigmati, fabulis Æsopi, Magicis Zoroastri, Alcorano, naso cereo, Lesbiæ regulæ, de quibus videndus Dn. D. Dietericus in Catechesi Quæst. 3. Hoc autem fundamento subruto præcipiti via ad Atheismum nos ferri vel cœcus videt. Omnia denique pudoris castra usque adeò perrupere Jesuitici Moralistæ, laxissimis dispensationibus etiam profligatissima scelera excusantes, ut ipse Pontifex summus anno hujus seculi LXXIX. ex communionis fulmine hanc suorum impietatem ejicere coactus sit, cum ante hæc ipsis probra in os regessisset impudens in Catechismo Papistico Theologus multis victoriis ex hoc hoste reportatis nobilissimus, D. Joh. Fridr. Mayerus. Vix dici autem potest, quantum hæc fidei, bonisque moribus nocuerint, quam latam viam Atheismo straverint. Sed ne solos Pontificios insimulare, quea-

Digitized by Google

queamus multorum Criticorum nefariæ faciunt insimulationes, quibus integritatem scripturæ suspectam faciunt, & corruptam improbè non suspicantur, sed contendunt Textum Ebræum de ponte dejiciunt, Samaritano patrocinantur! Alii Epocham mundi sollicitant; diluvii fidem alii, multaque ἀγεωμίτρητα in sacris literis se reperisse gloriantur, & denique quisque pro virili symbolam confert ad Naturæ Apotheosin. Accesserunt etiam tot sectæ, tot fervidæ disputationes de religione, in quibus dum quisque Veritatem ad se omni ope pertrahere conatur, discerpta est. Hæsere inter tot opinionum diversitates deprehensi multorum animi eventum tàm periculosæ litis expectantes, donec denique supervenit novus Cartheſianorum Sceptissimus, qui primo singulares opiniones, tandem Eruditam nobis religionem dedit. Quantum verò idolo huic fabricando Aretinus, Machiavellus, Cardanus, Campanella, Bodinus, Rablæsius, Spinosa, Grotius, Salmasius &c. contulerint, jam ante me Spizelius in literato Infelice, & Reiserus de origine & progressu Atheismi dixere. Si autem quic-

Digitized by Google

quicquam est, quod animum Dei amantem in mœrorem conjicere, tædium mundi, votum mortis fere impatiens, desideriumque æternitatis accendere, potest, periculum istud est, quod toti Ecclesiæ ab hoc malo impendere videtur, quàm proximè. Verius enim verius jam exclamare possumus: O Deus!

in quæ tempora nos
reservasti?

Digitized by Google

De,

De Mari Caſpio.

UNde fontium ſit origo, perennitasque fluminum à curioſis rerum naturalium ſcrutatoribus diu circa verum fuit erratum. Sunt enim, qui ex vaporum in cavernis terræ condenſatione, ſunt qui ex pluvialibus aquis, aut colliquefacta nive alimenta ſuppeditari exiſtiment, quibus quo minus calculum meum adjiciam, multis difficultatibus impedior. Neque enim vel vapores, vel pluviæ tantam aquæ copiam ſubminiſtrare poterunt, quæ tot per ſecula continuo fluxu ſcaturigines fontium impleat. Liceat igitur pace Gaſſendi, ac aliorum in alia omnia ire, ipſiusque Spiritus Sanctus amplecti ſententiam, qui *Eccleſ.* 1. diſertis verbis teſtatur: Omnia flumina in mare ſuas undas exonerare, quod tamen tanto affluxu nihil redundet: potius ad locum, unde exeant, flumina reverti. Si verò auſi fuerint huic

Digitized by Google

pro

profunditatū ſcrutatori in os contradicere, expediant mihi, quo nam perveniant tot maximorum fluminum undæ, quas illa ingenti ore, à condito mundo egerunt, manentibus tamen intra menſuram littoribus. Sufficerent certè fluviit vel unico ſeculo immenſas illas Oceani cavernas ad ſummum complere, terram ipſam nova illuvie obruere, niſi per occultos canales tantum effluueret, quantum influit.

Utque minore compendio res ad oculum pateat, de Caſpio mari age videamus, quod Aſiatico ſeptentrione undique terris incluſum vaſtiſſima littora explicat, non rotunda figura, quod plerique credunt, ſed lunæ inſtar, nondum totum orbem implente ſidere. Namque Circaſſi Schirvana & Dageſthana littora altè protrudunt, & ingentes præterea ſinus duo Derbenthum inter & Kilanum curvantur. Et quamvis ambitus ejus nondum ſatis ſit cognitus, quod Barbariſſimæ Tartarorum gentes, quæ illud cingunt, commercia reſpuunt; ultra quingenta tamen milliaria circuitum conficere recentior experientia confirmat. Qui ſecus ſtatuunt, cum Iſaaco Voſſio *ad Melæ cap. V. lib. III.* tranſigant. Influunt autem

Digitized by Google

autem præter vastissimam Volgam, quæ multis ostiis immensam vim undarum in illud congerit octoginta quatuor alii amnes diversæ magnitudinis, ut, nisi occultos quosdam emissarios haberet, lacus ille, jamdudum incrementa sua in possessionem totius Asiæ induxisset. Id. cum intelligerent Strabo, Mela, Plutarchus, relicta Herodoti & Aristotelis autoritate, qui mare istud cum nullo commisceri verissimè tradiderant, sinum quendam maris Scythici esse credidere, aut certè per fauces cujusdam fluvii in illud evolvi, ut ex Caspio Septentrio ad Indiam usque circumnavigari possit. Erroris hujus caussam dedisse Obium, qui è regione Caspii in Scythicum latissimo exitu erumpit, Cluverius suspicatur *lib. I. Germ. Antiq. cap. I.* Sed refutat hunc Rudbekius *Atlanticæ cap. 8. p. 324.* & Volgæ ostium ob vastitatem suam à veteribus non tàm pro fluvii ore, quàm maris sinu habitum fuisse probare conatur.

Equidem, quamvis inter tot contendentes elidi nolim, tamen censeo hîc veteres de ponte non fuisse dejiciendos, quorum fidē hodierna experientia comprobat. Hac admissa redit quæstio, tanta mo-

les

Digitized by Google

les aquarum quò perveniat. Hanc ut expediat Aristoteles, in Pontum Euxinum occulto meatu illam effundi statuit, cui pollicem premit Gassendus *in vita Peireſcii pag.* 179. ubi hæc verba leguntur: *Nempe eadem ratione volunt Hircanum mare undique concluſum, nec tamen exundans tot exceptis fluminibus communicare cum Euxino per meatum ſubterraneum, quo aquæ ſcaturiunt ea parte, quæ medius Euxinus dulceſcit, cuique ex Ariſtotele nomen eſt Βαθία ſeu profunda Ponti.* Credo Philosophum movit utriusque maris vicinia. Majus autem argumentum, quod disquisitis variis maris Mediterranei motibus, circuitibusque constet aquam perpetuo ex Ponto Euxino, per Bosphorum Thracium, Propontidem ac Helleſpontum in Ægeum ita influere, ut non modò Smyrnæ, sed etiam in Creta, imò pene ad ipsam Africam illius motus possit cognosci. Accedit quod Paradia Geographus Persicus in Euxino sæpe algam, Caspio soli familiarem, nec non angves & arborum fragmenta illis littoribus usitatarum reperiri affirmat apud Happelium *part. I. Mundi mirabilis p.* 225. Nec satis. Longinquiore equidem itinere, quamvis nec hoc impossibili in Persicum finum

Digitized by Google

sinum regurgitare Caspii undas tradunt nonnulli magni nominis, nec minoris fidei autores. Namque & hujus fundus non modo dulcem aquam habet observante Taverniero *p.* 100. *quod ille nullibi alias accidere credit*, sed & superficies non raro in se reforbetur, quod Cæsius *de mineralibus lib. 1. cap. 6.* & Saurius *de opere sex dierum cap. 6. ostendunt*, in quorum castra etiam Athanasius Kircherus transit. Mihi verò, qui tamen de re ipsa litem non moveo de dulcedine Caspii maris, unde pro Euxino & sinu Persico fidem facere volunt, nondum peroratum esse videtur. Nam licet Curtius *lib. 6. c. 4.* nescio quos veterum secutus tradat: *Maeotim paludem in Caspium cadere, ejusque aquam, quo dulcior sit, quàm cætera maria, infuso paludis humore mitescere*: Dissentit tamen adeò Vossius ad Melam *lib. 3. c. 5.* ut & rationi consentaneum esse statuat, & experientia comitare, omnes lacus, si valdè admodum explicentur, salsos paulatim fieri, ac marium naturam induere. Curtius etiam tam multa eo loco habet ἀγεωγράφα, ut fidem apud posteros merito suo decoquat, aut, quod alibi idem candidè fatetur, plura transscribit, quàm credit. Nunquam certè vete-

Digitized by Google

rum præjudiciis veritas ita opprimitur, ut non magnis sui vestigiis emineat. Prolixè autem de sapore Pontici maris disputat Stuckius in periplum Arriani. Istud concedimus, dulcem esse aquam propè littora ob multitudinem fluviorum illabentium. In medio verò salsedinem maris æmulatur, quam vel ex antediluviana communicatione cum Oceano Boreali retinet, si Kirchero credimus, vel ex Vossii ratione, in quam curatius jam inquirere non vacat. Altioris nempe indaginis, prolixioris operæ est inquirere, unde salsedo maris? an concreata? an sol extrahat in usum pluviæ leviores & dulciores partes? an in fundo dulcior aqua? qui ex mari salso scaturigines dulces? Nec recipiunt hæc chartæ hujus angustiæ, quæ Happelius *lib. 3. c. 5.* & alii prolixè tradunt. Fluxum & refluxum mare istud non agnoscit attestante Olearioo *p. 407.* Id cum mari Mediterraneo & Balthico commune habet, imò cum Oceano pacifico. Quæ res eorum sententiam valdè dubiam reddit, qui Lunam æstus marini caussam esse contendunt. Eadem res Happelii opinionem tantum non evertit, qui certas quasdam voragines esse tradit mare statis vicibus absorbentes

Digitized by Google

bentes ac revomentes. Id enim si esset Caspium, in quo ipse Syrtes ejusmodi agnoscit, expers hujus motus non esset. Sed hæc opinaturis libera relinquimus. Effluere tamen illud ratio persvadet, experientia contra Vossium ad Melam confirmat. Olearius quippe, qui partem hujus maris occidentalem ipse navigando emensus est, ex relatione Persarum testatur in littore meridionali rabistram inter & Meladaram, non procul à portu Ferebath ejus cemodi reperiri charybdim, in quam magna vis aquæ præceps feratur sub radices montium *p.* 408 *Itinerar.* Imprimis verò Johann Jansen *Struys* à Tartaris captus, & Persæ cuidam negociatori Anno 1670. venundatus mare istud perscrutatus est accuratissime, cujus verba ἀπολελειμμένα *ex cap.* 19. *p.* 120. quo minus adducamus nihil impedit. *In dem Schosse von Gilan sind zwene grosse Wirbel, wofür sich die Perser mit ihren Büsen, oder andern Fahrzeugen nach Gilan segelnde, sehr fürchten und entsetzen. Bey stillem Wetter kan man diese Wirbel über fünff oder sechs Meil Weges brausen und rauschen hören. Es scheinet, als ob unter der Erden die Erweiterung der Caspischen See etc. Das Wasser wird mit einem*

Digitized by Google

so schröcklichen Brausen eingeschlukt, daß einem die Haar zu Berge stehen, dasselbe anzuhören. Habes hic, benevole Lector, quædam Caspii maris quasi naufragia, tantum aquæ per emissarios suos subducentia, quantum admisere. Credibile autem est, & reliquos mundi quasi mediterraneos lacus simili ratione incrementa sua occulta effundere. Ad horum verò censum imprimis spectat mortuum mare, sive lacus Asphaltites, quo de cum, qui primus perorabit memoranda multa referet, tum imprimis illud ad nostram caveam spectat, quod hirudinis instar Jordanem exsorbeat, lateat tamen exitus. Quo fit, ut facile inducar, illis credulitatem meam addicere, qui occulto 30. milliar. Germ. canali subtus Arabiam in mare rubrum evomere cum ipsis undis bitumen tradunt. Observatum quippe ab iis, qui Mecham versus superstitione impulsi peregrinantur, prope portum Eltor magnam vim asphalti emergere. Quam opinionem quidem adhuc cupidius amplecterer, si, quæ suboriuntur dubia, solvere possem. An videlicet ad instar multorum amnium Jordanes, jam ante Sodomiticum incendium circa Pentapolin illam præceps subierit terram, quod

Digitized by Google

quod valde mihi fit verisimile; an verò deleto veteri canali, post conflagrationem feralem, novum alveum intenderit. Deinde & hîc hæreo. Si egerit mare mortuum bitumen in sinum Arabicum, quî fiat, ut in ipso lacu ne tantillum quidem detrimenti sentiatur. An damna, sua occultis accessionibus resarcit? Sed non raro solet Deus miracula sua in has angustias redigere, ut solus sciat, qui fecit.

gladium fuit licitum. Imo post cinctum absque eo versari nefas erat: Sicut arma ponere ignavum, amittere foedum, tradere planè flagitiosum & in poenis militaribus erat. discingi. In militum autem numero etiam Praesides censendi, quorum facile princeps erat Praefectus Praetorio, quibus Augustus apud Dionem, *lib. 52. p. m. 505. edit. Rob. Steph.* injunxit. Horum exemplum deinde secuti etiam alii Magistratus, quibus jus gladii in facinorosos stringendi collatum. Accessêre tandem Nobiles, ipsorumque manumissi per alapam, de quibus consule Anton. Perezium *ad lib. XI. cod. Tit. 46. pag.* 874. & praeter hunc de dignitate & ritu manumissionis Henelium in *Otio Ureticolavienſi Cap. 23. & 52.* Nobiles admissi, quia vel fides eorum perspectior, vel quia ad militiam feudi jure obstricti, vel quia & illi magistratum in suos exercent. His accensi denique, qui gradu Academico superiore ornati, ut nobilibus pares.

Et haec quidem deiis, qui Civili aliqua dignitate, aut munere funguntur, satis bene se habent. De clericis autem planè diversa ratio, quippe qui arma portantes etiam excommunicantur *C. 2. Extr. de vita & honestate clericor.* Vide Schmuth. *ad Pan-*

Digitized by Google

Puncirol. de reb. pred. Cap. de Armamentariis p. m. 618. Et huc spectat quæstio illa satis vexata, & hodie ferè periculosa, an studiosis, qui multis truuntur clericorum privilegiis, jus gladii gerendi conveniat. Ego quidem ejus decidendæ mihi auctoritatem non sumo, nec ipsa capitis & fortunarum pericula eruimpas libertas. Quin ita potius sentio. Quamvis in Jenensi Academia Anno 1624. in Argentoratensi 1629. in Wittenbergensi ipsa lege nona (quæ plurimis perjuriis occasionem dedit, ita censente Meisnero de legibus p. 815.) & sacramento Academico severè gestatio gladii interdicta sit: tamen jam remedio non esse locum, postquam quæ fuerunt vitia, mores & seculum vocantur. Breviter. Dejungo me ab hoc labore, & quàm mollissimè pedem refero cupidos lectores remittens ad Wackerum *in Rege Platonico pag.* 28. Conzen. *in Politic. lib. 4. Cap. 8.* Dorscheum de pallio exulante, *p.* 20. Lotichium *de fatalibus Academiarum in Germania periculis*, Taborem *in Arcanothesar. jur. tit. de arm. gest. cap. 3. num.* 15. &, qui instar omnium est, Knichenium *Disput. 2. pag.* 1042.

Ego potius in originem ejus rei paulò

Digitized by Google

altius

Terræ incognitæ.

TAm felix omnibus seculis fabularum fuit proventus, ut veritatem ferè omninò, oppresserint atque strangulaverint. Ut enim non dicam Mythicum illud Varronis seculum, aut gentilium ex eodem metallomatæologiam, certè plerarumque gentium origines, (præter quas Moses divinitùs concitatus recenset, & ex eo Bochartus interpretatur) ita conspurcaverunt, ut ex stercore hoc, sit venia verbo Virgiliano, vix quippiam colligendum, quod saltem ad veritatis similitudinem propius accedat. Nec Christianorum quidem sacra, turpe dictu, impolluta ab his sordibus mansére. Legat quis Legendas, quas vocant Sanctorum aureas, & non multum habebit, quod Thalmudi Judæorum, aut Alcorano Mahumedanorum exprobrare possit. Illa verò mendacia, quæ in Geographiam incubére, hodiernarum navigationum expe-

Digitized by Google

experientia satis quidem dispunxit, neq; tamen illud Augiæ stabulum ita fuit purgatum, ut non variis locis adhuc hospiti fidem inveniant hæc credularum mentium ludibria. Nemo nunc tam prodigæ simplicitatis est, ut pygmæos sub polo Boreali amplectatur, aut magneticos montes, quamvis chalybdim incrustare nonnulli apud Happelium laborent. Eliminata jamdudum est regio Arsareth cum Insula Frislandia & explosa terræ Australis nusquam interrupta vastitas. Jactantius tamen quam verius dictum est, omnes angulos mundi ita jam perreptatos esse, ut nihil liquidius, nihil perfectius sit Geographia hodierna. Ego verò quovis pignore contendere ausim, nullam partem orbis adeò penitus jam exploratam esse, ut nihil cognitionem nostram effugiat.

Si enim Europam spectes, est illa quidem tabulis Batavorum aliorumque ita illustrata, ut nulla reliquarum partium. Et tamen interiora Lappiæ vicinis Svecis nondum satis innotuere. Discussit quidem aliquo modo Cimmerias hasce tenebras Schefferus; sed & statim capite secundo Lapponiæ suæ p. 15. profitetur, se non nisi Svecis subjectam descripturum

Digitized by Google

rum, quæ verò ad Russorum Principem spectet, cujus non minor certè amplitudo, aliis relicturum. Deinde Gronlandiæ partem Europæ appendicem multi faciunt, cujus fama adhuc circumingentes sinus, & incerta littora oberrat, licet Heinricus Sivers quicquid de ea uspiam legitur, corraserit sollicitè. Et quod mireris, Alba illa, & S. Thomæ cœnobium ad gradum decimum longitudinis, 75. latitudinis olim celebre, ita ex memoria hominum evanuit, ut via etiam ad illam ferens dicatur veneficiis incolarum, qui Christianos omnes peremerint, intercepta. Nisi forte, quæ aliorum mens est, glacies aditum occlusit, quæ frigore nimio in lapidem denique indurescere solet. Hæc res Spizbergiam multum hodie auxit, quo fit, ut mali navium naufragarum longè à mari inveniantur erecti. Siberiæ autem, quæ ultima Europæ versus Asiam est provincia, vix superiore anno à Schleussingio plenior paulo ad nos pervenit notitia. Nova Zembla & Samojedi adhuc lucem exspectant.

Asia verò, quo major, hoc ignotior, cùm totus ille tractus à Siberia ad murum Sinicum, à Caspio mari & fontibus Gangi

Digitized by Google

gis ad ultima Septentrionis littora parum habeatur cognitus. Quid enim sunt regiones, Bargu, Ung, Mongul, Tanguth, Camul. Belgian, Tenduc, Argon, Annibi, quàm vana sine rebus nomina? Cathaja etiam tot fabulis inclyta, loco movenda, & intra Sinas includenda. M. Paulus Venetus cum Haythone Armeno centum dierum id est 600. Milliarium diversi nominis deserta obtendunt. Augere etiam videtur hoc spatium biennii illud iter, quod Anno 1654. Legatus Moscoviæ Principis in aulam Pekinganam confecit, si modo de festinatione adhibita constaret. Schleusingius autem à Tobolsco Siberiæ metropoli in Chinam usque non nisi 250. milliaria numerat, iterque illud frequentius institui commemorat. Cadunt ergo tot dierum deserta, cadit inhospitalis barbarorum gentium ferocia, quam alii hic captantur, & multo propius admovenda nobis Sina est, quàm tabulæ huc usque ostenderunt. Certè Georgius *Andersen*, superioribus annis ex tanyu Tartarorum regia (forte hæc est Tanguth) quæ ad latus muri Sinici, vix totis 40. diebus in Persiam profugit.

Nec

Digitized by Google

Nec minus incertum quousque Terra de Jesso littora exporrigat, quam nonnulli cum ipsa fere America connectunt. Et quid si hæc etiam pars sit Gronlandiæ? Sane quæ Mallerus p. 197. de incolis illius refert, haud multum abeunt à moribus Gronlandorum. Belgæ anno 1643. vastissimas hasce terras detexisse gloriantur. Sed quia jam Ortelianæ mappæ Satyrorum insulam eodem loco ponunt, & incolas quoque terræ de Jesso toto corpore fuisse hirsutos, videtur jam diu Lusitanis, qui primi Japoniam detexere casu vel consilio aliquis de hac regione innotuisse. Magis vero mirandum mediterranea insulæ Borneo, quæ Asiaticarum maxima, cujus tamen extima quotannis à navibus nostratium raduntur, nec dum plane explorata esse, quod fatum etiam insulam Celebes cum reliquis in eodem climate littoribus urget, quæ novæ Guineæ nomine se venditant.

Hinc si in Africam solvimus, illa quidem in circulum undique patet: ista vero quæ supra Caput bonæ spei, quæ ad Abyssinorum latus occidentale porriguntur, pleraque occultantur. Octo quidem libris Johannes Leo Africam suam satis fusè describit, ac abdita quæque eruere cona-

Digitized by Google

conatur. Sed ille nititur plerumque aliena fide, & quæ Happelius part. 2. lib. 3. affert, ad littoralia maximam partem pertinent. Quin de ipsis Abyssinis quàm fabulosa crediderimus, ex Dn. Ludolphi commentariis hodie discimus.

Quid dicam de utraque America? Ne hîc quidem veritas in liquido. In meridionali à Brasilia ad Peruviam usque, à lacu Parime ad fretum Magellanicum quicquid interjacet latissimè, Amazonum fabulæ occupant, & nescio quæ nugarum monstra, quibus credere velle hominis esset oppidò bardi atque blenni. Penitiùs quidem intrasse quosdam non negaverim, sed ephemeridas desidero. Quæ verò in Septentrionali maximè ad Boream vergunt, ut nivibus, ita ignorantia à sinu Hudsoniano fere ad Floridam & Californiam sunt sepulta. Quæ enim Hispani sub Quiviræ, id est Magnæ nomine extendunt ad fretum usque Anian, cujus etiam dubia est fides, in ipsorum cerebro nata sunt, ad deterrendas, ut aliqui putant, reliquas Europæ nationes, ne per Septentrionem Americanum compendiosiorem viam in Indiam quærerent, quod tamen jam aliquoties, licet sine successu tentatum. Galli hic Lovisianam

anam magnam supra sinum Mexicanum quasi intercalaverunt, cujus descriptio Anno 1689. Noribergæ Germanico idiomate prodiit. Sed & illa ultra 60. gradum non exit, & jam olim Canadæ sivæ novæ Franciæ nomine tractus ille fuit nobilitatus, quo de nonnulla du Vall in Geogr. pag. 53. & sequentibus. Quæ autem novæ Daniæ, novæque Sveciæ nomine altius exsurgunt, putamina sunt sine nucleo.

Restat denique ingens planè tractus terræ Australis incognitæ, quam Magellanicam veteres appellarunt, qui crediderant, cohærere illam cum terra del Fuogo, & continuis littoribus circulum implere, quod secus habere Geographorum quoque pueri norunt. Quis autem indignè non ferat, à gradu latitudinis Australinæ 45. (hucusque enim Antonius van Diemen navarchus anno 1642. pervenit) ad polum usque Antarcticum nec vestigium quidem terræ in tabulis certioribus comparere? Aut quis credat tanto spatio Zonæ temperatæ non beatissimas insulas reperiri, & quales Ferdinandus de Quir prolixè olim descripsit? Novam quidem Hollandiam, novam Zelandiam Batavi satis vastè explicant. Si plura

nosse

Digitized by Google

nosse desideres, tacent, hiscunt, mutiunt. Quin in ipsa Zona torrida terra de Papous, Insulæ Salomonis, & reliquæ pacifici maris in censum nihil fere præter nomen ferunt, nisi forte fabulas de Insula Pines & Severambe Atheistica ad modum nuper exclusas in veritatis familiam adoptare velis. Ego quidem sic mecum rationem subduco: Aut taciti pascuntur corvi nautici, ut habeant plus dapis, invidiæ minus: aut exigua spes lucri ex his terris apparet. Alias enim non staret intra terminos orbis cogniti nostrorum hominum avaritia. Feritas certè incolarum, & maris contrarius fluxus illos ab aliis littoribus non prohibet. Et quàm facilis via esset ex Java majore ultra progredi? Sed satis jam longus per incerta hæc error, quorum explicatiorem rationem nemo forte unquam daturus est.

***

Chria Alexandri de Præceptorum honore.

CUm multa præclarè dicta ab Alexandro illo, quem per Liberi Herculisque vestigia felix temeritas egit, circumferantur, tum nullum illustrius, aut ad obrussam magni animi exactius, quàm quod interrogatus, utrum plus amaret Philippum parentem, an Aristotelem Præceptorem, hunc inquit. Illius enim munus esse, quod viveret. Credo quidem quosdam parentes vultum hic adducturos, quasi illud parum piè ab Alexandro dictum, forte ab alieno in Philippum animo esset profectum. Fuisse enim tempus, cùm Olympiadem matrem relicta Macedonia sequeretur, fœminam impotentissimæ iræ, & quæ denique in odium & parricidium mariti occalluerit. Eundem etiam matri exprobrasse, quod pro decem mensium habitatione, quam in utero sibi præbuisset, gra-

Digitized by Google

gravem nimis mercedem exigeret. Arrian. *lib.* 7. *cap.* 2. Marcellinus *lib.* 14. *c.* 38.

Enimvero qui recta animi lance rem penſitaverit, non adeò improbè iſtud dictum eſſe fatebitur. Et quid ſi Philippus ipſe autor filio fuit ejus apophthegmatis? Ipſe enim quantum inſtitutioni Ariſtotelis tribuerit, in epiſtola ad hunc virum non diſſimulat, quam nobis Gellius *lib.* 9. *cap.* 3. de penu ſuo depromit. In hac fatetur: ſe non perinde Diis gratiam habere, quod filius illi natus ſit, quàm quod florente hoc Philoſopho naſci eum contigerit. Unde & ſæpius idem Rex hortatus eſt filium, ut auſcultaret Ariſtoteli, daretque operam Philoſophiæ, ne multa forte committeret, quæ ſe feciſſe pœniteret. Quin ipſe Alexander, quo loco jam Aſiæ victor ſapientiam habuerit, ex iisdem literis colligitur, quibus Præceptorem hunc ſuum reprehendit, quod, quæ ſe privatim docuiſſet, edito libro vulgaſſet. Et harum copiam ex Andronico quodam nobis idem Gellius fecit *lib.* 20. *cap.* 5.

Sed agedum propius aſpiciamus ſenſum hujus dicti. Non enim in parentum contumeliam hoc interpretandum; ſed gemina quaſi beneficia in geminas lan-

Digitized by Google

ces imponit, unum generationis, institutionis alterum, & re probè pensitata secundùm istud sententiam pronunciat. Quis autem à sensu communi tàm alienus aut ad veritatem ita obsurduit, ut alterum illud prævalere neget? Gignunt enim bestiæ, gestant in utero, & quod Olympias non fecit filium suum Hellanicæ nutrici tradens, alunt, educant, & magna sollicitudine curant. Quin ipso ore catulos in periculis transferunt, novasque illis indulgentia sua manus commenta est: Noxios alioqui morsus huic uni officio mitigant. Principes verò fœminæ peperisse contentæ, nisi quid impediat, draconibus sunt crudeliores, qui teste Propheta ubera sua præbent catulis suis, *Thren.* 3, 4. in quam ἀστοργίαν satis fortiter declamat Favorinus apud eundem Gellium *lib.* 12. *c.* 1. Et, si ex mente Philosophi corporum parentibus non potest ἰσόρροπον persolvi pretium, quanto minus animorum, quorum in educatione major molestia, insignior fides? Quid enim, si parentes usuram lucis liberis imputantes voluptatis suæ potiorem habuerunt rationem, aut si honestior finis, familiæ constituendæ? Sed inquiat quis, beneficium quoque est, aliis tradere liberos

Digitized by Google

ros alendos, erudiendosve & pro navata hac opera nutritia persolvere atque didactrum. Fateor, sed non tantum, quantum si ipse affectuum hunc impendas. Id si non possis aut nolis, illis, qui hanc provinciam in se recipiunt, gratiæ quoque principatum relinquas oportet. Atque eò abeunt, quæ jam olim Stagirites tradidit: Parentes, qui liberos suos instituissent, multo honorabiliores esse iis, qui tantum genuissent, addita simul ratione; Quod ab his contigisset vivere, ab illis autem bene vivere.

Seneca quidem de beneficiis *lib. 6. c. 16.* negat se debere Præceptori venerationem, nisi peculiari illum cura complexus sit. Quod quidem nollem à sapiente Viro tam crudè dictum. Quid enim si omnes discipulos æquali cura sit complexus, an ideò nullus venerationem debeat? Sed videtur apud Senecam vilitas personæ beneficii magnitudinem extenuare, quòd Romani olim, ut omnia negotia, sic & institutionem liberorum servis committebant, & mancipiis, id est hominibus sine nomine, sine censu, sine tribu, quibus tamen, nisi necessario Reipublicæ tempore, ne cingulum quidem dedissent. Sed idem Stoicus parentum quoq; merita à liberis

Digitized by Google

non modò æquari, sed & superari posse *lib. III.* de beneficiis subtiliter disputat, quo facto Præceptores quoque quasi inter ærarios ac capite censos referri necesse est, imprimis eos, ut *cap.* 34. ejus libri se explicat, qui prima elementa tradiderunt. Quid verò de superiorum veluti classium Magistris sentiat, his verbis *lib.* 6. *c.* 16. aperit: *Præceptor in docendo & laborem & tædium tulit, præter illa quæ præcipientibus in commune dicuntur, aliqua instillavit ac tradidit, hortando bonam indolem erexit, & modò laudibus fecit animum, modò admonitionibus discussit desidiam. Tum ingenium lateus & pigrum injecta, ut ita dicam, manu extraxit, nec quæ sciebat malignè dispensavit, quo diutius esset necessarius, sed cupiit, si posset, universa transfundere. Ingratus sum, nisi illum inter gratissimas necessitudines diligo.* Quæ verba integra transcribere placuit, quia talem me fuisse mea mihi conscientia, & quicquid uspiam est, discipulorum luculentissimum perhibet testimonium. Ego verò inferioribus quoque istis merita sua asserо. Hi certè sunt, qui majore molestia penè infantium os formant, qui pædore implentur & pulvere, qui doctrinæ cibum præmandunt, &, quod maximum, prima

Digitized by Google

prima pietatis rudimenta teneris mentibus inſtillant, & quantum in ipſis eſt, diſcipulos ſuos hic felices efficiunt, ibi beatos. Altiùs quippe deſcendunt virtutum præcepta, quæ cereæ imprimuntur ætati. In cujus laudis partem merito veniunt, qui hiſce ſtudiis imbutos accipiunt, & ſemina ſemel tradita fovent, ac ad juſtam maturitatem perducunt. Hôc autem quod majus beneficium homini ab homine tradi poſſit non video, & abſurdiſſimi ſunt, qui contra vel hiſcere auſint. Sed audent tamen. Mercenariam hodie docentium operam, ſtipendio ſatis fieri, minerval accipi. O acumen omni piſtillo obtuſius! ô rus & ſtivam olens argumentum! Solvere quidem iſta, quid aliud eſſet, quàm manum exercere, & in ventum jactare brachia? Quis enim unquam tam ſordidus fuit, tamque extra veritatem projectus, ut adverſus Præceptores mercede ſe defungi poſſe crediderit? Malignus animus eſt, quique nondum rubiginem effricuit, tam parvo maxima conſtare ſibi perſvadens. Certè qui valetudinem à Medico recepit, non artem in ſoſtro, non venam tentatam, non formulas reſpicit, ſed, ſi paulo mens liberalior, vitam, & quæcunque ejus uſus circum-

Digitized by Google

scribit commoda. Mentis vero sanitatem quo pretio æstimabimus? Quo autoramento virtutem, eruditionem, gloriam, & quod palmarium est, pietatem? Egregiè ad rem nostram faciunt, quæ ex Maimonide excerpit πολυμαθὴς Wagenseilius in Sota *Cap. III. p. 537. Quemadmodum homo tenetur colere & revereri Patrem suum: ita tenetur quoque colere & revereri Præceptorem. Imo & ampliorem huic, quàm illi debetur reverentia. Nam Pater ipsi ut hac vita præsenti, Præceptor verò, qui eum sapientia erudivit, ut futuræ æternæ fruatur caussa sunt. Quamobrem, si simul & Patrem & Præceptorem quid amisisse deprehendat, Præceptoris rem amissam prius pervestigare oportet. Si Pater & Præceptor simul onere graventur, Præceptorem prius relevare convenit, deinde Parentem. Si Pater & Præceptor simul juxta captivi detineantur, primum redimendus Præceptor est, Pater postea. At, si Pater sit eruditus, tum quidem ipsum principio redimere convenit, quod idem in rei amissæ inquisitione tenendum, idque etiamsi Pater doctrinâ suâ Præceptorem non æquiparet. Verbo: nemini major honor, quàm Præceptori, nemini major, quàm eidem debetur reverentia.* Tædio sim, si reli-

Digitized by Google

reliqua quæ longo ordine sequuntur, adducerem in medium. Ex quibus tamen facile patet, quanti hæc gens eruditionem faciat. Neve quis contra deliros verpas excipiat, Cicero quoque Romanæ eloquentiæ titulus, & cui se debet salus publica, de meritis Præceptorum graviter *lib. 2. de divinatione: Quod munus*, inquit, *Reipublicæ majus, meliusve possit reddi, quàm si docemus atque erudimus juventutem, his præsertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda, atque coercenda sit.* Cui Rhetorum clarissimus Quintilianus pollicem premit, cùm ita fatur: *Discipulos id unum moneo, ut Præceptores suos non minus, quàm sua studia ament, & parentes esse; non quidem corporum, sed animorum putent.*

Neque verò hæc eò dicta velim, quasi mihi nescio quid rogem, aut arrogem, homo cui res suæ sufficiunt, sed Præceptor Præceptorum causam ago publicam, quos vulgus literatorum nimis verniliter despicit, quasi ad sentinam damnatos, cùm ipsi in puppi lusitent, ac otientur, & sæpe toto fortunæ suæ strepitu adventitio nos circumstent. Mores quidem isti annonam jam flagellant literariam, quod

Digitized by Google

quod brevi compendio in exitium ducet liberales artes, quod, qui ad piſtrinum Scholaſticum detrudi ſeriò velint, aut finem miſeriæ ſuæ ætate metiri, comparent oppidò pauci. Quid enim hoc aliud, quàm ab omnibus gaudiis in contubernium doloris abduci, renunciare quieti, ac componere ſe in omne patientiæ genus. Et neſcio, an non hæc eadem cauſſa alio jam trajiciat fortunas meas, ac rude donandum in novam arenam transferat. Quicquid vero iſtud eſt fati, quod me à dulciſſima mea Freiberga avellit, ſequar, nec ad quotidianum cenſum laboris aſſidui detrectabo militiam. Dum vero extremùm armis ventilo & concrepo, adeſte, quæſo, frequentes, veſtrumque animum toties jam ſpectatum afferte diſcedenti, ſed ita diſcedenti, ut nulla locorum interſtitia, nulla longinquitas temporis memoriam meritorum veſtrorum ſit deletura.

* * *

AD

Digitized by Google

AD
ILLUSTREM AC GENEROSISSIMUM
DOMINUM
DN. ABRAHAMUM
à
SCHÖNBERG,
POTENTISS. ELECTORIS SAXON. COMITEM ET CONSILIARIUM, MINERARUM QVOQVE, NEC NON QVÆSTURARUM FREIBERGENSIS ET GRILLENBURGENSIS CAPITANEUM LONGE EMINENTISSIMUM
CUM
UNICO HÆREDI FILIO
EXEQVIAS FACERET
EPISTOLA CONSOLATORIA.

Digitized by Google

Illustris ac Generosissime Domine

Patrone maximè venerande!

Si jam publica fama loqueretur animi Tui magnitudinem, quâ longè casus quoslibet fortunæ supergressus inania hominum despicis, gravius quàm pro virum mearum modo onus in humeros recepissem. Si enim magnis vulneribus majora sunt adhibenda remedia, quis non videt, quantires laboris sit ab orbitatis odiosâ solitudine animum ad æquitatem revocare? Potuit quidem Henricus Brunovicensium Princeps superiore seculo, dolorem intra viscera non tàm premere, quàm strangulare. Cum enim in nobili illo ad Sivershusam prælio duos egregia indole filios atra dies simul abstuliisset, & unius casus nunciaretur, plusquam Stoico supercilio, ita castiganda, inquit juvenum ferocia. Postquam vero ejusdem fati consortio alterum etiam abreptum audiret, pauliſper secum colluctatus; Istud vero, inquit, nimium est. Et ambigo sanè, annon nimis rigidum hoc. Potuit tamen parentem solari Julius superâtes,

Digitized by Google

ſtes, in quem tantæ fortunæ ſpes recumbebat. Mihi autem provida natura dulciſſimum amandi affectum contra quaslibet calamitates elargita eſſe videtur. Mitiùs etiam publicas ferunt, qui conceptum ex illis dolorem domi deponere, & in liberorum dulciſſimo complexu requieſcere poſſunt. Exercetur aliquis acerbis inimicorum odiis? Liberis vindictam committit. Alius morbo valetudinem amiſit, ingratoque otio decumbens torpet: ſed ex parvulorum ſuorum etiam blæſulis vocibus quandam gaudii viciſſitudinem experitur. Pervenit alius ad ſupremam rerum humanarum lineam, vitæque ſatur fati legem exſpectat; Erigitur tamen, ſi ſuperſtites relinquat, ad quos laborum ſuorum redundat fructus. Liberis denique ſudamus, ædificamus, opes colligimus & non ſine voluptatum noſtrarum diſpendio ſervamus, quaſi tum denique majus operæ pretium facturi, cum ampliores ad hæredem reliquiæ perveniunt. Si ille nos in mortalitatis lege præverterit, ſupervacaneum videtur laborare, avarum parcere, & ſvavis ille plebejis mentibus lucri odor, neſcio quo fœtore interpolatur. Moleſta etiam ancillantis familiæ folli-

Digitized by Google

ſollicitudo, & quantumlibet ingentis fortunæ apparatus.

Hem tot mea (*inquit ærumnoſus ille apud Comicum Senex*)
Solius ſoliciti ſunt cauſa, ut me unum expleant?
Ancillæ tot me veſtiant? ſumptus domi
Tantos ego ſolus faciam? ſed gnatum unicum,

Verùm quid ago imprudens? Conſolationem meditatus dolorem augeo, & quod jam cicatricem duxerat, vulnus crudeli manu tracto. Id verò verendum eſſet mihi, ſi Tibi, VIR Illuſtris ac Generoſiſſime, non virtus Tua medicinam attuliſſet; ſed longinquitas temporis, & ex illo dolendi ſatietas. Meliore fide, vulnera coëunt, quæ regio animi ſublimioris imperio ſolidantur, quàm quæ diuturni luctus tædio occalluerunt. Itaq; ego fretus gentili illo Tuo robore, nec filiolum quidem Tuum laudare Tibi vereor: non ut jacturæ tuæ ſenſum augeam, ſed doloris mei ſocietatem aperiam. Et vidi ſanè non perfunctoria pietate madentes ſpectantium vultus, cum puſionis ſvaviſſimi reliquiæ componerentur. Huic annorum lacteſcens tene-

Digitized by Google ritudo

ritudo, alteri amabilis illa etiam in funere suo venustas lachrymas excutiebant. Rosarum dixisses & pulcherrimè vernantis lilii commercium. Nondum quippe omnem florem Libitinæ invida manus decerpserat, & servabant decorem in æmulationem pulcherrimi oris purpurantes genæ. Solus oculorum vigor interceptus connivebat, qui reliquam faciem accendere solet. Quique viventem propiùs cognovisse volebant dulcissimos etiam risus & interstinctum venusta quadam gravitate leporem commemorabant. Nec paternarum quidem virtutum certa præsagia silebantur, quamvis velut in publica comploratione multorum ora intercluderentur: Et, ne quid auribus Tuis dari suspicarer, aut insidias blandientium, faciebat utriusque Parentis absentia, qui infra magnitudinem suam esse rati in publico dolorem profiteri, domi casum suum velut sub Timantis velo premebant. Et mallem quidem tot hominum vota, quæ virtutibus Vestris debebantur pro illo valuisse! Nunc postquam aliter supremo illi rerum nostrarum arbitrio visum fuit, valeant saltem ista: Vive, Vir Illustris, ac Generosissime Patrone cum no-

Digitized by Google

bilissima conjuge, & exemplo Vestro quàm diutissimè, quàm feliciſſimè publicos mores componite, regite, emendatè! Adderem plura, si vota vestra in consilio haberem, quorum summam intempestiva pietate exprimere ineptum forsan fuerit, imprimis illum, qui non nisi de obsequii nota se commendare laborat.

Dabb. Freibergæ è Museo 1680. d. 9. Decembris.

M. Justum Gotofredum Rabenerum, Gymn. Freib. Rectorem.

Per-

Digitized by Google

Perillustri atque Excellentissimo

DOMINO,

DN. ABRAHAMO

à

SCHÖNBERG,

Potentiss. Electoris Saxon.

Consiliario, Minerarum quoque nec non Præfecturarum sub ditione montanâ Capitaneo longè eminentissimo,

S.

Digitized by Google

PER-ILLUSTRIS, AC GENEROSISSIME DOMINE,

Um funestus ille de obitu Conjugis Tuæ nuncius aures primum feriret, ad sensum tanti mali plane obmutui, acciditque mihi, quod subitò fulmine afflatis, ut attonitis mens obstupescat, lingva hæreat. Quid? dicebam. Illane? proh dolor! Vicem Vidui! & quæ hujus generis fuêre dimidiata verba. & ad affectum suum offensantis sermonis fragmina. Nihil de turbata valetudine, nihil de febrili ardore inaudiveram, & statim uno ictu Mors. O Scythicam verè orationem! O horridum sermonem! Mitior fama est, quæ per gradus quosdam nos infelices facit, & pejusculè primùm habere nostros affirmat, dein decumbere, post, non sine periculo esse, tandem vixisse ait. Sic enim inter spem & metum primò fluctuat mens, mox trepidat, ac denique succumbit. Afferunt aliquid solatii mala divisa, si non ingruant, ac semel veniant. Sed quid meptus ego in meo dolore tumultuor,

Digitized by Google

uor, qui ad TUUM comparatus, non ſubſidit, ſed planè langveſcit. Conjugem enim amiſiſti maximâ fide, ſummâ prudentiâ, virtute denique eâ, quanta vix in ſexum hunc cadere poteſt, &, quod maximè urit, alieniſſimo. Tuo tempore amiſiſti. Quando enim magis in fide ſociæ recumbit noſtra ſollicitudo, quàm cum caſus, ſenectus, morbi ad alienam opem reſpicere nos cogunt maximè? Vah quàm tunc juvat etiam in mediis doloribus per humentes oculos legere, vigilem pro ſalute noſtrâ ſollicitudinem, audire ſolatia, ſentire fomenta! Hæc omnia verò intercepit una febris, non integra ſuſtulit hebdomas. Abiit dulciſſima illa amandi viciſſitudo, corruit, qui infirmitatis non alienæ onus ſuſcepit, lubens, fortiter ſuſtinuit, paries, & credo tàm celebrata nuper domus ad ſolitudinis TIBI rediit ſilentium velut ædium ſuarum exuli. Sed crudele fortè in alieno vulnere quaſi per otium verſare improbum ungvem, ac ſuppuratum dolorem fricando ſecare. Suæ quisque jacturæ optimus æſtimator, nemoque melius, quâ parte doleat, quàm qui dolet, arbitratur. Neque verò eſt, Vir Illuſtriſſime, ut exiſtimes, TIBI ſoli periiſſe, quod omnes

Digitized by Google

cum fletu & mœrore jam desiderant. Non continet se intra privatum calamitas; sed casus iste cognatos, amicos, clientes, vicinos omnes affligit, qui nunc misericordiam & vota pro TE interponunt. Periit publico exemplum virtutis, periit virtutum matronalium illustre speculum, periit bonæ frugis Cynosura, nisi quod posthuma in memoriis manet immortalitas. Cum verò felicissimi exempli quodam velut connubio tot bona se in hâc mente copulaverint, nullam ego, nullam alii magis sunt admirati virtutem, quam humillimæ istius modestiæ imaginem, quâ sanctissimas innocentis seculi matronas ad vivum expressit. Hinc nempe illa candidissimæ animæ affabilitas, illa ad opem inferioribus ferendam facilitas, ac promptitudo. Hoc nimirum est ad sidera instar accedere, quæ cum DEUS lucidissima fecerit, altissimo loco collocaverit, benignum tamen jubar in inferiora demittunt, & beneficum calorem intra nubes non continent vicinas; sed etiam ad vilissimarum herbarum salutem dispensant. Sunt & aliæ illustri genere natæ, sed fastidio vultus inferiores tantùm non abominan-

Digitized by Google

minantur, & quasi ipso ore sordes emitterent, colloquia dedignantur. Venustâ facie áliæ omnibusque simulachris emendatiores sunt; sed hâc ipsâ nemini magis, quàm sibi placent, & tam fragili bono ad animi superbiam abutuntur. Multas felix opulentia circumfluit; sed aut insolenti vestitu efferuntur, turritumque caput in gradus frangunt, villarum sæpè pretia in ornamentis gestant, aut per gulam & voluptates pecunias transmittunt, denique formæ curâ morosiore mentem obruunt, colorem fuco mentiuntur. Ex hoc intelligas, quàm proprium illud humilitatis bonum, AGNETI nostræ fuerit, quam nec genus efferre, nec forma decipere, nec divitiæ corrumpere potuerunt. Mansit, mansit illa virtutum reliquarum crepido, ac inconcussa firmitate compagem ita sustinuit, ut nullis adulationibus moveri, nullis blanditiis deduci, imò nec veris quidem laudibus puxari potuerit. Tam penitus enim immissis radicibus nitebatur ista virtus, ut nec evelli quidem potuerit sermunculis illorum, qui sordescere sic nobilitatem susurrabant, & in præjudicium dignitatis cedere. Nimirum ad similitudinem animi

sui vultus, sermo, gestus, vestitus, ita compositæ erant omnia, ut mirarer in tantâ fortunâ tantam modestiam. Quin apertè profitentem non semel audivi, malle se, ut quæreretur, quare citra potius fortunæ suæ modulum subsisteret, quàm ultra tenderet. Inde adeò factum, ut cum pietate, beneficentiâ sæpè sumptuosâ, & molliſſimæ ad negandum frontis, prudentiâ, aliisque multis virtutibus stipata esset undique, tamen humilitas maximè eluceret, cum maximè se demitteret. Si enim, quos fati sui malignitas depressit altiùs, se non erigunt, nihil faciunt insoliti. Sed fortunæ suæ beneficia repudiare, vitæ lenocinia contemnere, premere radios, ac velut vexilla ingenii submittere, ut arrogantiæ ne umbrâ labores, rariſſimi res est exempli. Quemadmodum autem hæc me semper in admirationem, ita & nunc in uberiores laudes abripuerunt, quæ tamen adhuc citra meritum Illustris Matronæ longè subsistunt. Sed, inquiat quis, diducere istud est vulnus, non obligare, cum singula momenta tanti damni ad scrupulum usque excutimus. Consolandus autem Illuſtriſſimus

Digitized by Google

mus Viduus, & tanto malo fomenta, admovenda sunt non proletaria. Ac sanè ipse quidem mallem lætiore argumento in laudes Beatissimæ diffundi, ac in plano & facili vires ingenii experiri. Aditus autem solatiorum firmissimis velut obicibus videtur obseptus. Occludit aures surdus dolor, & manum quoq; parcentem reformidat pridianum vulnus. Itaque hîc opus, hîc labor est. Si tamen satis perspexi magnitudinem, quæ non concussa est, cum olim filioli mors totam orbitatem perageret, cum expugnaret spem generis, & tantas fortunas sine suo hærede destitueret, non dubito fore, quin & nunc facilem se præbeat, ac quietum. Non vero placet ex eloquentiæ civilis lecytho corradere consolationum argumenta. Nihil in mundo firmum: omnia velut in oscillo pendere: eâ lege nos natos esse: nunquam felicitatis certam esse fidem, caducum inprimis animal esse hominem: eadem mala sensisse alios itidem bonos, itidem magnos. Leviora hæc sunt, quàm pro magnitudine luctus hujus, qui illustrissimam jam diem quasi incæstat. Aliis igitur in hanc rem

Digitized by Google

remediis opus est, alio, qui plenius alat, apparatu. Commodum autem mihi accidit, quod jam omnia templa, omnes cathedræ personant tristissimâ passionis CHRISTI tragœdiâ. Hunc mihi, *Patrone Illustr.* intuere autorem salutis nostræ. Genus cogita cœleste, ac humanis etiam sceptris insigne. Contemplare captivitatem, probra, sputa, scuticas, coronam, & imprimis ferale in humeris lignum. Perpende causas crudelissimæ tractationis, & procul dubio subsidet dolor domesticus, qui quantumvis ingens, citra istum tamen reflectetur. Hâc autem lege non tam nati, quàm renati sumus, hoc sacramento in clientelam tunc recepti, ut omnia, quæcunque Deus imposuerit, minora esse judicemus, quàm pro amore, quàm pro obsequio, quo obstricti sumus vitæ, fortunarumque ac salutis nostræ arbitro. Is ut ferundo sis dabit, manuque suppositâ levius reddet quodcunque onus. Denique nobilior animus etiam victus contumacior resurgit, & illustriora in adversis, quàm secundis sui præbet argumenta. His ego Vir Illustr. inter scribendi temerita-

Digitized by Google

ritatem, tacendique pudorem medius admissionem mihi postulare sum ausus. Vicit autem meritorum Tuorum conscientia, quæ etiamnum alligat ad pulcherrimam servitutem

Perillustri atque Excellentissimo
Nomini Tuo

Misenæ 19. Martii 1693.

obsequii sacramento obstrictum

M. Justum Gotofredum
Rabenerum.

CON-

Digitized by Google

CONSOLATIO AD *VIRUM NOBILISSIMUM* DN. JEREMIAM GRAUPITIUM, CONSULEM, DE FREIBERGA SUA PRÆCLARE MERENTEM, M. JUSTI GOTOFREDI RABENERI.

Digitized by Google

Simul ac, Patrone Nobilissime, vulneris Tui feralis fama ad me perlata est, statim officii ratio ante oculos, & quamvis in tristi materia gratæ mentis simulachrum oberrabat. Imminebam quidem, fateor, lætioribus argumentis, & in gratulandi occasiones mentis impetum refrenabam. Quid enim aliud agerem homo, cui per beneficia Tua ne arbitrii quidem sui jam libera potestas relicta erat? Sperabam ex more gentis literariæ, me gratuito verborum officio defungi posse, & si rectè animum Tuum æstimo, non absre sperabam.

Nunc, postquam arbitrium cœli in alia omnia consilium meum transtulit, quid agam ambiguus hæreo. Doloremne meum Tuo jungam? Sic oleum meum Tuo igni adderem. Restat, ut consoler. Ita verò noctuas Athenas portem. Dum igitur in hoc bivio dubius consisto, & æstum mentis meæ tardè explico, tandem potior sententia visa est,

Digitized by Google

est, calamum arripere, & affectum meum, si non implere, saltem ostendere. Ignosce autem, si trepidè accedo ad curam tanti vulneris, & parcente manu adhuc stillantem hiatum exploro. Conjux mortua est, &, quod dicere animus refugit, altera. Penetrat altiùs repetita plaga, & acriore sensu affligit recidivus dolor, cui medendo non sufficerint vulgaria remedia. Fluxam esse rerum humanarum possessionem, & incertam felicitatis vel in crastinum fidem: Ea lege nos natos esse, ut non gravatim corporis hospitio excedamus, quamprimũ Supremus ille vitæ Arbiter jusserit: Iniqvum esse contra communem necessitatem privilegium quærere, & quæ alia Sapientum dicta dolori nostro medicinam svadent potiùs, quàm afferunt. Alia longè, & ex sanctiore Christianorum disciplina depromenda sunt anodina, quorum usu animi indomitum robur contra quoslibet casus sumant, ut calcatis terrenis cœlestia spirent. Et sanè, si cogitamus, quibus mortalium omnis vita cingitur malis, gratulandum potiùs Nostris, qui una morte defunguntur miseriis, quarum nec numerum quidem inire possumus. Bella dico, incendia, eluviones,

Digitized by Google

viones, exilia, naufragia, aliosque humanarum mentium atq; corporum carnifices. Et tac hæc omnia abesse: Fac aliquem incorrupta felicitate frui. Obnubilat tamen hanc serenitatem invidia, atque obtrectatio. Lividis quippe semper oculis scævæ mentes aliena bona intuentur, &, quia mordere non possunt, viperinis saltem lingvis assibilant. Dicta, facta, joci, seria, gestus, tussis, risus, lachrymæ, omnia sub censuram acerbissimè vocantur, nullumque ad Maledicentiæ tribunal justitium; nullus nefastus dies. Nec finis mali, donec ab invidiæ conspectu nos terra mater subduxit, (quamvis monstrum hoc aliquando ne cadaveribus quidem abstinet). Ex his sentibus, Vir Nobilissimè, jam eluctata est Beata Conjux, inque portu navigans eò pervenit, quo malevolorum ne susurri quidem pertingunt. Quis autem à naufragio enatanti non gratuletur? Aut quæ tam invidia commiseratio est, quæ salutem etiam conjunctissimorum humentibus oculis spectet? Sed meam vidui, inquis, non illius beatam vicem doleo. At hoc ipsum est commodum suum, idque temporarium, illius æternæ felicitati præponere.

Qui

Digitized by Google

Qui possum autem, regeris, jacturam hanc parvi æstimare? Conjugem amisi, cujus amabili facundia, solertissimo ingenio, prudentia œconomica mihi carendum. Fateor me quoque has dotes in illa magni fecisse. Damnum tamen Tuum cum illius lucro, ut æquali ratione computes, velim. Id si feceris, mitius dolebis, & mœrorem gaudio illius pie temperabis. Quia tamen recens luctus jam obstrepit, & in doloris partem lancem inclinat, Deum invoco, ut sacro robore pectus Tuum impleat, simulque precor, ut hac altera viduitate mensura calamitatum Tuarum impleta sit. Eat post hæc nubila serenior dies, clemensque sudum tempestatem cœli componat. Et spes est ita futurum, quia non natura modò rerum; sed & illius Dominus ita vices suas alternare solet. Sic hiemem asperam sequitur veris amœna temperies; Sic luctus vicissitudine gaudiorum interpolatur. Verbum non adderem, nisi tarditas officii excusanda mihi esset, à quo velut ex insidiis adorientia negotia plus simplici vice me abstraxerunt. Dab. Freibergæ, d. 25. Aug. 1681.

AD

Digitized by Google

AD
VIRUM EXCELLENTISSIMUM
DN. CHRISTIANUM
STEMPELIUM,
MEDICINÆ DOCTOREM
&c. &c. &c.
SERMO CONSOLATORIUS
M. JUSTI GOTOFREDI
RABENERI.
Gymn. Freib. Rectoris.

Digitized by Google

Me infelicem, & ſub ſcævo ſidere natum, cujus vota ne pro illis quidem valent, quos ſua virtus propiùs DEO commendat! Meminiſti enim, *Vir Excellentiſſime*, & cum dolore meminiſti, in quas preces exundarit animus, cùm conjugio veſtro, lætus tantique gaudii parum capax alveum ſuum deſereret, bonis ſcilicet omnibus concordiæ, longævitatis, fœcunditatis, utrumq; prolequebar. Interceſſit in altero illo fati adverſantis tribunitia quædam vis, & tàm prolixam ſpem non ſufflaminavit; ſed planè dejecit. Mutata eſt ſubitò gratulationum ſcena, & ſtylum in alia omnia transferre quamlibet invitus cogor. Triſtem ah & difficilem viciſſitudinem! Qui enim ſermo in lætis rebus effloreſcit ac luxuriatur, in adverſis quaſi quadam doloris communione aret & ſtrangulatur. Itaque fluctuo jam, dum inter triſtes lituras calamum ſuſpicacem exerceo, & prima quæque præjudicio poſterioris

Digitized by Google

rioris limæ damnantur. Momi etiam ſcabros dentes metuo, qui procul dubio ex epiſtolari hoc, ut ita dicam, muſtaceo inanem gloriolam me venari, aut ſordidius etiam quid aucupari ſuſpicabitur. Ferè enim fieri ſolet, ut maledicentiſſimus quisque mentis ſuæ morbum ſanis affricet. Quia tamen, *Vir Nobiliſſime*, quod amicitiæ jure mandare poteras, humaniſſimo quodam ambitu rogas, tàm imperioſis precibus impar aſſentiri malo, quàm fronti & lateri ſollicitiùs cavere. Itaque viderint illi de me. Tuam verò vicem non poſſum non dolere, acerbis lachrymis proſequi. Vix uxorem lectiſſimam duxeras, vix felicis matrimonii dulciſſimam conſvetudinem primoribus, quod dicitur, labris delibaveras, cum illa caſu tuo perculſa dura rudimenta novi amoris dare cogeretur. Irritata enim Febris, quaſi in ultionem tot cladium à Te acceptarum ipſum Medicum adorta ita dejecerat, ut inter confinia utriusque vitæ ægrum ſpiritum ægrè traheres. Deplorabat illa infelicitatem matrimonii ſui, breviore dicam, an maligniore fati ſui compendio intra paucos menſes virgo, amaſium, ſponſa, marita, & tantùm non vidua. Parum enim abe-

Digitized by Google

rat, quin à nuptiali face rogum tibi accenderet. Usque adeò inter gaudium & mœrorem nihil interstitii calamitates festinatæ vobis reliquerant! Cum Alexander III. Scotorum rex in nuptiis secundis choreas cum sponsa duceret, amplissimo nobilium ordine in orbem sequente, chorũ sceleton mortui hominis visum est claudere, *referente Hectore Boëtio lib. 15. Histor. Scoticæ.* Triste utique novis conjugibus omen! Paulò enim post continuatis ferè funeribus (*verba sunt Buchanani l. 7. rerum Scoticarum*) decesserunt Rex, Regina, filius. Ita scilicet etiam regii gaudii extremum occupat luctus! Atq; utinam vestrum conjugium non iisdem ferè cladibus nobilitatum fuisset! Vix enim deprecanti cum tot lachrymis conjugi Tu donatus eras, cum ædium vestrarum dolor in publicam perniciem denegaverit. Hinc undiq; terror, luctus, periculum & lurida mortis imago. Remiserat & hæc, velut satiata tot funeribus, cum ex hoc pelago decumanus iterum fluctus in vos incubuit, dulci quidem; sed caduco felicis puerperii gaudio interpolatus. Deus bone, quàm non sincerè! quam nulla fide! Abripitur puer, submergitur uxor, tu orbus & naufragus, & heu iterum viduus!

Digitized by Google

duus! necquicquam brachia jactas, salfuginem exspuis. Desultoriè per jacturas Tuas, fugere potiùs placet, quàm incedere. Et Tu quoque nisi fallor, non clamores, non complorationem exspectas; sed tabulam. Hanc, si ex ipso Dei sacrario revellere potero, tanto scilicet salutarior erit. Natat quidem & vile illud Philosophiæ suber; sed incumbenti cedit, & ad scopulos facile frangitur. Dum verò commissuras rimor, audire mihi videor, supremi illius navarchi celeusma; CUM TRANSIERIS PER AQUAS, TECUM ERO, ET FLUMINA NON OPERIENT TE. Sanctus autem ille tecum, si ille manum porrigit, jam salva res est. In sinu verò illius Te sedere vel ex ipso tot calamitatum argumento perdiscere potes. Ita scilicet Parens ille, suos exercere solet, quos carissimos habet, quicquid delicatus molliculorum grex ogganniat. Indulgentiam illi, & blanditias, & voluptates ingenuitatis suæ sponsores habent: vibices autem, severitatem & disciplinam sequius interpretantur, immemores illius oraculi: *Si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, spurii, non filii estis.* Tibi verò, Virorum optimo vel

Digitized by Google

ipsa illa hebdomas, quæ de tormentis ipsius Dei nomen invenit, aliud longè persvadebit. Te scilicet Simonem Cyrenæum sibi elegit ille, qui in partem oneris venires. Illud saltem interest, ut, quod ille gemens subiit, tu volens recipias. Vivit interea Tua Conjux in meliore seculo, vivit in desideriis Tuis, vivit in memoria omnium, etiam in tàm mustea ætate exemplum felicis conjugii, matronalis sanctitatis atque fidei; nec ulla tùm ingrata secula erunt, quæ illius laudem, famam, gloriam ignorent, sileant, obliviscantur. Vive etiam Tu, Vir Nobilissime, & melioribus fatis Te serva, quæ ingenium vicissitudinis sperare jubet! Vale!

EXSE-

Digitized by Google

EXSEQVIAS
PIETATI ET VIRTUTI
QVIBUS ILLÆ CORDI SUNT
ITE
HEM TEMPUS EST
EFFERUNTUR
FUNESTO SANE FUNERE
IN EXUVIIS
VIRI OLIM
NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI,
CONSULTISSIMI
DN. JOHANNIS
LINDNERI,
J. U. DOCTORIS CELEBERRIMI, ET POTENTISS. ELECT SAXON. A CONSILIIS COMMISSIONUM ETC.
INDICIT
Ad diem XVII. Maji M. DC. LXXXV.
M. JUSTUS GOTOFREDUS
RABENERUS, RECTOR.

Digitized by Google

Cùm ſcenæ expreſſiſſimum inſtar habeat, quam mortales degimus, vita, mihi quidem nihil ad laudem pertinere videtur, quam, quisque ſibi perſonam vel ſumpſerit, vel à ſupremo chorago acceperit! Iſtud verò præprimis intereſt, quam decorè partes ſuſceptas peregerit. Namque & Reges partim vix ſtant, partim exiguntur: Dromo verò & Soſia clamores theatri cient, & publica non popularium modo, ſed & orcheſtræ voce revocantur. Ultimo autem actu, cum conſilia perturbantur, ad liquidum fabulæ ratio deducenda eſt, & θεὸς ἀπὸ μηχανῆς jam in procinctu uat, mimum rectè & decore impleviſſe plauſum meretur & favorem. Intellexit iſtud, ſi quisquam alius, Auguſtus Imperator, qui ſupremo die ſuo admiſſos amicos percontatus: Ecquid iis videretur mimum vitæ commodè tran-

Digitized by Google

transegisse, adjecit referente Tranquillo & clausulam: δότε κρότον, καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε; date strepitum, vosque omnes cum gaudio applaudite. Enimverò gentiles quid de se post mortem futurum sit ignari, aut securi facilè ex hâc vitâ tanquam ex convivio discedere potuerunt, quibus si σοφῶς caderent, honestè exuvias deponerent, nihil ad summam beatæ mortis deesse videbatur. Quo factum, ut magnificè de Socrate suo Plato, de Demonacte Lucianus ampulletur, de aliis alii. Operosior longè Christianorum θανασία, quibus nisi Spiritus Sanctus auram secundam aspiret, nisi ad clavum ipse assideat, facilè inter tot scopulos in ipso portu naufragium facere possunt. Nulla contra τοῖς ἔξω cura æternitatis, nulla formido judicii, nullus inferorum metus. Ipse ille, cui per totam vitam servitio addicti fuere & nexu, minus peculium suum oppugnat. Quid mirum igitur, si anima verarum Virtutum vacua coram latrone suo cantat? Christianorum verò mens ingentem fidei thesaurum custodit in fragili vase, quam eripere ut semper

Digitized by Google

ita tunc imprimis, cùm ad ipsum patriæ portum appulere, omni arte, conatu, dolo, fraude, vi nititur versipellis alastor. Hinc ille durissimus agon, sudor ille frigidus, & trepidantis animulæ suspiria inter tot dolores corpusculi elisa, fermè, atque strangulata. Novit enim callidissimus hostis ab hoc puncto æternitatem pendere, in hoc cardine salutem nostram verti. Inde ephemerides delictorum nostrorum satis bonâ fide, etiam à perfido, & quidem tricubitalibus literis consignatas vasto volumine, explicat, si vel sic à fiduciâ bonæ causæ ad desperationem avertere queat. Id si benè cesserit salvam suam in re nostra, perditâ: Sin secus, satis intelligit, abire, nocendi occasiones, & se in triumpho traductum iri.

Non ter & quater, sed centies ille, felix, millies beatus, qui divino robore adjutus ultimum hunc assultum repulit, hostemque à vallo rejecit. Pax deinde, quies, triumphus, corona, gloria. In dubium hunc Martem dum mentem atque cogitationem præmitto, lacrymæ, Deum testor, excidunt præ gaudio contemplanti illustrissimam victo-

Digitized by Google

victoriam Viri Excellentissimi D. Johannis Lindneri, & coronati imò triumphantis imago oculis obversatur. Stat JESUS ante fores, & venienti laurum porrigit, triumphat cœli civitas, & læto concentu epinicia applaudit. Ille verò inter cœli Quirites transcriptus magnificè incedit, & agnum sequitur mille gaudiis perfusus, mille lætitiis exultans. Vah quàm dilecta habitacula tua! Vah quàm ægrè mentem retraho à dulcissimâ hâc contemplatione! Paret illa quidem, sed invita ad institutum relabitur, sed ita relabitur, ut malit per ὕστερον πρότερον in cognato argumento versari, quàm desultoriè ad natales senis piissimi transire. Venerat ipsi ultima & decretoria dies, & ille velut oraculo monitus summo mane templum adit, Sacerdotem accedit, confitetur peccata, Deus bone quâ mente, religione, ardore! absolvitur jamque ad ultimi itineris viaticum accipiendum se præparârat, & ecce!

Panditur interea domus omnipotentis Olympi,

& qui sibi aliquid viæ adhuc conficiendum

Digitized by Google

dum putabat, subitò ante portas patriæ consistit æternæ. Quis autem usus viatici in patria? Subita nempe apoplexia, ante ipsum animæ Medicum corruptus audire, loqui, sentire, vivere paulopost desiit 6. Idus Maji. O felicem catastrophen! ô beatum finem! ἀποθάνοι ἡ ψυχή μου τὸν ψυχὴ δικαίου, moriatur anima mea morte hujus justi, & fiant novissima mea hujus similia!

Verum enim verò jam ingenti saltu à metâ ad carceres me transfero. Vir iste in exemplum posteritatis genitus Freibergæ nostræ natales suos debet, quorum initia vidit Annus seculi nostri undecimus. Parentem habuit meritis & dignitate gravissimum Virum Johannem Lindnerum, inclutæ hujus urbis Consulem, Matrem Annam Tannebergiam, matronam omni laude majorem. Horum auspiciis ad omnem Pietatis & Virtutis legem exercitus maturè indolis nobilitatem prodere cœpit, publicæque Gymnasii nostri, post etiam privatæ aliorum informationi commissus non gradu, sed saltu profeciisse visus est. Quo factum, ut anno ætatis octavo decimo Lipsiam missus ea statim in omnibus

Digitized by Google

bus literis confecerit spetia, ut coævos omnes multis post se relinqueret parasangis. Certe ultra vigesies ex promta memoria oratorem egit, & privatim publiceque disputando ita se tractavit, ut magnæ dignitatis non spem faceret, sed fiduciam. Inde Argentinam digressus, & hospitiis Magni Dannhaueri, & Berneggeri usus à latere summorum JCtorum, Locameri, Bitschii, Taboris nusquam ferè recessit, & tanto fervore ad omnem laudem incubuit, ut svalu Taboris (incitandum enim etiam ad præmia sua erat ingenium viri modestissimum) anno ævi hujus 1630. d. 7. Februarii summum in utroque Jure gradum applaudente omni Procerum Academicorum ordine adipisceretur. Ita cùm in solido constituisset res suas, cum juvene Grotio in Galliam abiit Basileam, Solodurum, Losannam, Genevam, Allobrogum obiter visens, cujus itineris summam ipse manu suâ eleganter designatam reliquit. Hinc trajecto freto in Britanniam abiit, ubi viso aliquoties infelici Rege Carolo, & perlustratâ ejus supellectile interiore ad Batavos reflexit iter, & quicquid ubique dignum visu, dignum noti-

Digitized by Google

notatu, curiosè obſervavit, inque magni Heinſii notitiam commendatione Berneggeri pervenit, tandemque per Friſiam, Ducatum Bremenſem, Hamburgum, in patriam redux anno 1639. forum ſectari cœpit magno applauſu ſuorum civium, & ſequente felicisſimo conjugio Virginis lectisſimæ Eliſabethæ Seyfertianæ conjunctus magnis patrociniis ſtatim ita inclaruit, ut fama Virtutis in ipſam aulam diſpergeretur, quæ delectata Viri ſummâ fide, induſtria, prudentia ad Commisſionum conſilia ſibi illum aſcivit honorifico admodum decreto.

Longum eſſet tot arbitria rerum gravisſimarum ipſi à Principe delata commemorare, quâque integritate, candore, prudentia in his uſus fuerit ſacerdos ille Juſtitiæ. Silentio etiam involvimus, quibus ille fatis, quibus morbis fuerit exercitus. Liberos autem quatuor omninò ſuſtulit Annam Eliſabetham, Johannem Theodorum, Annam Dorotheam, & Annam Mariam præpoſtero fati ordine ab ipſis Parentibus elatos omnes. Si autem de Viri

Digitized by Google

Viri Excellentissimi Pietate, mansvetudine, candore, prudentia, & reliquo Virtutum nobilissimarum choro dicere ordiremur, Deus bone quantus se campus laudum aperiret, in quo vel Ciceronis eloquentia defatigari queat! Transcendunt illæ mensuram ævi sui, & marcidulas livoris voculas comprimunt. Et, si exitus acta probat, quid attinet singula consectari? Fieri non potest, ut piè moriatur, qui impiè vixit, qui vitam vitiorum labe contaminavit. Ingens utique mors Viri beatissima præjudicium opponit omnibus, qui secus de illo vel suspicari saltem ausint. Ego verò parcior sum in commemorandis ejus laudibus non diffidentia modò virium mearum; sed & quod imperiosis illorum precibus expugnatus hoc quicquid est muneris, in me recepi, quibus vel tantillum negare irreligiosum esse puto. Audire enim jam mihi videor nescio quorum voculas mercenarium calamum, & aucupia sordida musitantium, quibus, ut meo more disertus sim, respondeo NIHIL.

Vos

Digitized by Google

Vos autem ô Proceres nostræ urbis, quicunque à Virtute & literis nomen habetis, eâ qua par observantiâ, veneratione, cultu interpres lugentium invito, ut non hominis, sed virtutis funeri interesse frequentes velitis. Ita meretur τὸ μακαρίτης dignitas, fama, Virtus, cognatio.

ALLO

Digitized by Google

ALLOCUTIO
AD
VIRUM EXCELLENTISSIMUM
D N. JOHANNEM CHRISTOPHORUM STRAUSSIUM,
MEDICINÆ DOCTOREM,
AMICUM AC COMPATREM HONORATISSIMUM
M. JUSTI GOTOFREDI RABENERI.

Digitized by Google

COgitanti mihi per quosnam aditus carnifex humanarum mentium mœror illabatur, patentissimam semper tenestram huic malo aperire visum fuit, quod nostra putamus ea, quæ aliena sunt. Hinc enim fit, ut quasi per injuriam erepta, doleamus, quæ nostris laboribus, meritis, virtutibus quæsiviſse videmur. Quotus quisque enim est, qui opes suas non suis sudoribus, rem nervis, honores vigiliis partos existimet? Ex hoc tamen fonte manat, quicquid uspiam miseriarum spes humanas intercipit, patientiam fatigat. Stilponem memorant, cum captâ ipsius patriâ, esset à victore Demetrio monitus, ut ea, quæ amisisset, scripto sibi traderet; se enim curaturum, ut omnia restituerentur, respondisse: nihil se suum perdidisse. O magnum animum, atque etiam contra adversa contumacem! Domum ille, & supellectilem, & agros, & opes, & quæcunque reciprocantis fortunæ alternante

Digitized by Google

nante æstu nunc afferuntur, nunc auferuntur, sua esse non arbitratus est; sed doctrinam, sed eloquentiam & disciplinam, in quæ fortunæ minus licet. Quis neget autem hæc citra opprobrium Christiani nominis legi vix posse? Sed illarum, inquiat quis, rerum facilis oblivio, nec irreparabilis jactura; Liberi verò sui cuique magis proprii nec inter fortunæ beneficia numerandi. Mihi verò excusatius peccare videntur, qui amissas opes, incensas domus, abacta pecora deplorant. Invident enim earum rerum possessionem hostibus, dolent se alienis laborâsse & pessimè de se merentibus. Quid verò tale in liberorum amissione? Ad Deum reversi sunt, unde venerant, & miseram cum cœlesti illa vitam non malè permutârunt. Malus debitor est, qui cum gemitu reddit, quod cum gaudio mutuum accepit, qui tergiversatur, qui bonam copiam, si posset, ejuraret. At tenerrimo affectu meum illum complexus sum, & lepidissimam illius infantiam, blæsulum os, dulces risus amavi, quæ omnia mihi erepta tam immatura morte non absre doleo. Enim-

Digitized by Google

verò tu non definis tuum dicere, quod utendum accepisti. Et si amasti, quare amoribus tuis felicitatem invides? Superbus amor est, qui ne Deum quidem corrivalem ferre potest. Si belli impetum, aut hostium invasiones metuimus, præcipiti studio reculas convasamus, & in tutiora transferimus. Si grandinem & cœli minas aut præsagiis quibusdam præsentiscimus, aut ex nubium gravidarum formidoloso aspectu jam certiore fide discimus, omni festinatione vernantis horti fragrantes delicias sub tecta abripimus. Si inhorrescens aër hyemis recidivam minatur, teneriores plantas cratibus tegimus, & omni ratione nostrarum voluptatum damna amolimur. Si verò optimus ille rerum nostrarum arbiter & suos, & dilectos ad securiora transferat, tùm verò vix ab indignatione ægrum animum continemus. Planctu certè & fletu, & indigno quiritatu dissensum aperimus, & in arbitria Dei maligna curiositate inquirimus. Quasi verò deterior nostrorum conditio in cœlo esset, quàm in hac semina, ubi in morbido hoc corpu-

Digitized by Google

corpuſculo precariam animam non ducunt, ſed trahunt. Mihi quidem, qui tam gravatim aut ipſi exeunt, aut ſuos dimittunt, ignorare videntur ubi vivant. Parietes jam nutant, tecta deſuper tremunt; domus ipſa jam fatigata, jam laſſa trabibus carioſa ſenectute, labentibus proximam ruinam minatur. Cur ergo non gratulamur illis, qui hanc evaſére, & cum gaudio vocantem Dominum exſpectamus? Quod cum ſemper faciendum piis, nunc fieri multò magis debet, corruente jam mundo, & malorum infeſtantium turbinibus undique obſeſſo. At muſculorum ſagacitatem laudamus, quod ex ruinoſis ædibus abitum maturant, & ciconiarum ſolertiam ex arſuris domibus nidos ſuos transferentium. Nos verò ægrè exuvias corpuſculi deponimus, & lamentabundi ex ſordido hoc diverſoriolo diſcedimus. Hæc, & ejusmodi alia, Vir Excellentiſſime, Compater honoratiſſime, tecum agerem, ſi non noviſſem animum tuum ſuâ magnitudine tutum. Tuæ enim ſunt illæ voces: *Amo puerum hunc; ſed ut homo hominem; ſed ut Deo debitum. Is ſi ſuum repoſcet, ſine*

Digitized by Google

querela reddam. Seculum noſtrum nil boni parturit. In ſpem felicitatis futuræ ſuos educare hodiè fermè ſupervacaneum. Honores autem illius exſpectare, & dulcia illa ad virtutem incrementa, ferum nimis atque incertum. Quem enim ſponſorem longævitatis habeo, qui ipſe ſententiam meam in alia omnia transfero? Cumque dulciſſimus puſio fractis jam & rigentibus oculis, alternante anhelitu cum langvidulis vagitibus non obſcura mortis indicia daret, adhuc memini, quæ verba audierim. *Feci, quod potui: cætera Deo cura erunt, quamvis eventus mihi jam non ſit dubius.* Tu verò, ô Amicorum Optime Maxime, macte eſto tàm pio obſequio, hac animi tranquillitate! Servet tibi Deus conjugem in exemplum felicis matrimonii natam! Servet puellam ſuperſtitem, delicium patris, matris voluptatem! Servet teipſum, ô deſiderium & dulce decus meum! Tu autem ſvaviſſime puer hanc habe à ſuſceptore memoriam.

D.O.

Digitized by Google

D. O. M. S.

JOHANNES AUGUSTUS
STRAUSSIUS,
DELICIÆ PARENTUM
FLOS ÆTATIS
HEIC SITUS SUM.
QVI
POST BREVEM PEREGRINATIONEM
EX MUNDI INSIDIIS
SECULI TEMPESTATE
PERTÆSUS ITINERIS
IN COELESTEM PATRIAM
SALVUS EVASI
XII. CALENDAR. APRILIS.
VALETE
ET
CAVETE Ô SUPERSTITES.

Digitized by Google

FERALE OFFICIUM FUNERI STRAUSSIANO PRÆSTITUM à M. J. G. R.

Digitized by Google

Si sermo character animi est, quod sapientes censent, illudque exemplar suum mirâ quadam similitudine exscribit, dubium nullum est, quin ex argumenti lætitia stilus efflorescat, ex mœrore situm trahat atque rubiginem. Dolor enim ille intestinus non per vultum modò erumpit atque oculos; sed ipsa verba non raro in ipso vestibulo labiorum intercipit, crebrisque singultibus strangulat. Quid mirum si & mihi in tam ferali officio verba titubant, inque ipso limine impingunt? Nata inter lachrymas oratio tantum non naufrauga, & quodam æstu in se resorbetur. Enimvero exspuenda ex animo hæc miseria, & dicendum quod res est: STRAUSSIA. O verè Scythicam orationem, & nullo ἀφημισμῷ satis emolliendam? STRAUSSIA, inquam, VIXIT, FUIT, DESIIT. Illud matronalium virtutum exemplar, illud pietatis comitium, castitatis expressissi-

Digitized by Google

sissimum instar. O si liceret stadium tam compositæ vitæ remetiri, perque tam clara vestigia ad ipsam infantiam retrocedere! Sed ipsa vetat, inque postremis mandatis dedit, ne quid posthumæ laudis in ipsam conferretur, neve quid quod communem mensuram transgrederetur. Ego vero tanto quoque præjudicio oppressus, tamen ægrè me contineo. Novi enim, novi lepidissimæ ætatis blæsulam innocentiam tot futuræ frugis præsagia dedisse certissima. Nec fefellit augurium, cùm per puellares annos ad virginis maturitatem ferè perveniisset. Tum vero relucebat ex ipsa fronte, vultu, oculis arcanus quispiam vigor, & totus adeo Parens relucebat. Erat is Henricus Coselius, Vir, quo ego ad totam virtutis amussim exactiorem cognovi neminem, quemque nec Socer Buchnerus, illud eloquentiæ nostratis palladium, satis laudare posset. DEUS bone, quam nihil ille ex fecibus nostri seculi hauserat! Quàm omnia ad obrussam antiquæ integritatis efficta! Sed parum erat in Nostra corporis imaginem exactissimam retulisse; animi major erat similitudo. Itaque cùm aliæ ex indole temporis nostri inter pectinem & speculum occuparentur,

Digitized by Google

rentur, comam in gradus frangerent, fingerent mobilem oculorum petulantiam, formarent inceſſum tutè compoſitum, ut nec veſtigia quidem pedum extra menſuram oberrarent, aut formula excideret, Noſtra à latere viduæ matris, quoad ejus fieri poterat, nec latum ungvem diſcedebat. Hæc muſteos filiæ annos, cereos mores in eam frugem formabat, qua per totam poſtea vitam enituit ſupra ſexum ſuum prudens, modeſta, atque ut compendio dicam, Dei amantiſſima. Et facilem cultum admittebat vultu ſuo non deterior animus. Ego quidem luſciniæ Plinianæ imaginem mihi videbar contemplari, quam talem ille omnis eruditionis promuscondus Lib. X. cap. 29. nobis pingit: Meditantur juniores, verſuſque, quos imitentur, accipiunt. Audit diſcipula intentione magna, & reddit, vicibusque reticet. Intelligitur emendatæ correctio, & in docente quædam reprehenſio. Vah quàm juvat meminiſſe ejus diſciplinæ! Ego quidem nunquam beatiorem, addo & probiorem, me fuiſſe exiſtimo, quàm cùm concordi animo vota, ſuſpiria, preces, lachrymas jungeremus, & hymnis uno

Digitized by Google ore

ore Patrem cœleſtem veneraremur, quod ſingulis diebus Dominicis fieri ſolebat. Inflammabat fœmina rariſſimi exempli teporem meæ devotionis, ut ſolemus homines miſeri ſæpè in hoc ſtudio langvere, ſtadio fatigari: & tamen neſcio quos ignes à me recipere fatebatur. Ex hac verò pietatis officina nihil mirum prodiiſſe emendatiſſimæ mentis ſimulacrum, cujus jacturam tanto ægrius fero, quantò ſinceriore affectu ſemper complexa eſt Præceptorem. Miſerum me atque infelicem! Ideone ſuperiore anno, cùm jam metam ex propinquo lætus contemplarer, ad ipſos carceres ſum revocatus, ut hanc quoque præmitterem? Ita ſenſim eripiuntur ſolatia, quæ hujus mundi oborum faſtidium moliri queant, nec ſpes jam habet, in qua reclinet bona fide, præterquam in Te, cujus Vidui mœror me quoque conficit, & ne latiùs noceat, quàm terret, hoc fulmen metuo. Sed quorſum ſermonem in nos declino? Ad inſtitutum revertor ex diverticulo. Et videbatur quidem Illa votis frui ad invidiam felicibus unius Doctoris filia, duorum conjux. Sed

ut

Digitized by Google

ut semper bonæ mentis soror est calamitas: ita & hanc variæ exercuerunt. Non enim infans propemodum Parentem modò sine pari optimum amisit; sed & sepulchro tantum fœcunda fuit in priore matrimonio, quod anniversario luctu traduxit, donec à marito quoque relinqueretur, quæ paulò ante matrem extulerat. Ita habet nempè disciplina cœli, ut, quos impensius diligit, per aspera exerceat. Arbor etiam penitus immissis radicibus non nititur, nisi violento ventorum flatu sæpe concussa, robur ex ipso periculo traxerit. STRAUSIA certè nostra inter continuos suorum aut morbos, aut mortes, cùm & ipsa semper velut in fati abrupto staret, bona fide adolevit in eam firmitatem, quam nec mors imminens labefactare potuit. Ita autem vixit, ut capitis Sacramento vel ipsam invidiam, ipsam maledicentiam provocare ausim ad sententiam de illa ferendam. Solent, fateor, hæ pestes ipsam sæpe innocentiam, si res desit, umbrâ saltem criminum inquinare, & virus suum ubique interponere. Nunquam tamen veritas ita opprimitur, ut non magnis

Digitized by Google

magnis sui vestigiis emineat. Et cur non ipsam mortem in argumentum innocentis vitæ ducimus? Fidem hominum! quàm sereno vultu, quàm placido advenientem exspectabat! quàm interrito ore ultimum Vale suis dividebat amicius compressa manu, & ultima mandata funeris sui sollicitè inculcabat, deprecata omnem fastum, atque deductionis pompam. Denique inter hilares blanditias Redemtori suo dictas quàm molliſſimè vitæ hujus usuram deponebat. Emensa est feliciter illud ad quietem iter, ad securitatem viam. Ita Parens quondam me præsente, ita Mater ex scena mortali decedebant, ut videamur huic familiæ quasi cœli beneficio hæreditaria esse MORS BEATA. Malè enim mori non potest, qui bene vixit. Et Tu quidem, beata animula, fruere deliciis, fruere divitiis nuptiarum cœlestium, quarum svavitatem etiam somnia tibi repræsentaverunt. Vidui autem & orphanorum, & meam sortem ita miseror, ut vel meminisse satis sit ad miseriam. Mentem non lancinat, sed aufert dolor clausus, atque intra præcordia receptus. Ungvem impro-

Digitized by Google

improbum, ô Amicorum merito tuo Optume Maxume, in ulcere tuo habui, sensum damni tui etiam modestâ laudatione Conjugis desideratissimæ auxi. Nunc, cùm solatia & fomenta ægro animo adhibere deberem, longè mihi illa sermonis facultas, aut loquentia verius, & malis vestris tantùm adgemo. Quid autem hîc oratio casuris, si leviter excutiantur, flosculis, aurium tenus vernans valeret? Decretoriis armis opus est ex ipso Spiritus S. armamentario petitis. Fide, inquam, patientia, spe nondum inclinata imposterum, obsequio ad imperia Dei pleniore. Largiatur illa supremum illud Numen, à cujus & in cujus manu omnia nobis veniunt sitaque sunt læta, tristia, prospera, alia. Largiatur & mœstum pectus divino robore impleat, ut illius arbitrio Te Tuosque permittens, quod facis, in ejus voluntate acquiescas. Mihi autem, quod fateor, facilius est magnum animum exigere, quam præstare, pudetque illam animorum nostrorum fraternitatem, quæ me ad omnem servitutem ferè alligat, intra verba atque vota subsistere. Quin,

nisi

Digitized by Google

nisi virium mearum excusationem accipis, quarum ego utique arbiter non existo, non deprecor, quin nocens etiam sim & ingratus, quod crimen, ut omni modo amoliri volo, ita vix excutio. Adeò conatus etiam nondum maturos obteris, ultroque indignaris, si tale quid vel levi suspicione deprenderis, nec fronti quicquam meæ, nec pudori parcens. Nec sequi licet, quà exemplo Tuo viam aperis. Itaque ad beatos manes me converto, qui utique ultimum officium non refutabunt ejus hominis, qui, si fata hanc vorsuram admitterent, paucos illos annos, quos Deus & mariti Tui beneficium mihi prorogavit, dividere vellem. Verum enim verò. Sed salvete mihi ultimùm, dulces exuviæ, æternumque valete. Sed quid æternùm? Imo absit omen, absit! Veniet dies, & utinam propediem veniret! qua in beato beatorum animorum concilio iterum concordi animo hymnum Agni decantabimus. O si liceret aliquando pari tecum morte defungi!

TU

Digitized by Google

TU VERO HOSPES
QVISQVIS ES
STA ET LACRUMA,
SI QVICQVAM HUMANITATIS IN TE EST,
MARIA ELISABETHA
STRAUSSIA
VIRTUTUM MATRONALIUM REGULA
ET EXEMPLUM SINE EXCEPTIONE
EMENDATISSIMUM
HEIC
MORTALITATIS EXUVIAS
DEPOSUIT
IMMORTALI LAUDE
DIGNISSIMA
PLURA VELLEM. SED DOLOR
ABSORBET. VALE.

Digitized by Google

AD
CONSUMMATAE ERUDITIONIS
THEOLOGUM
DN. JOHANNEM NICOLAUM JACOBI,
SUPERINTENDENTEM
MISENENSEM
IN FUNERE
FILII CLARISSIMI
SERMO CONSOLATORIUS.

Dolo-

Digitized by Google

DOlorem Tuum, Amice honoratiſſime, me quoque in ſocietatem mœrendi abripere, nemo mirabitur, qui noverit, meum quoque fuiſſe, quem jam, leges CAROLUM WILHELMUM. Fuit enim tempus, cum ceream ejus mentem fingerem, ac ad legem piæ eruditionis efformarem ſequax ingenium. Admittebat egregius adoleſcens facilimè cultum animi, cujus præclara indoles ſæpe etiam imperia mea prævertebat. Quo factum eſt, ut ego pleniore voto abeuntem dimitterem, animusque meus jam in varias voluptates diſponeretur, quas ex illius honoribus olim percepturus eram. Jam laurum ego multam, jam ſuggeſtum & infulas feſtinatis præripiebam gaudiis, & tam dulci ſpe lenectus mea ſub ipſis veluti canis refloreſcebat. Et ne ſpes hæc incerti boni nomen eſſet, faciebant tot ſalutationes, quas ille velut alteri parenti identidem peregrè mittebat.

Digitized by Google

In dies etiam propius admovebatur illud tempus, quo primitias impensæ fideliter operæ colligeretis. Enimverò ô spes hominum fallaces, & incerta mortalium vota! Intercepit in ipso itinere, ac limine maturitatis messem hanc inopinata calamitas, ac præcox illud gaudium mihi in longe diversam partim abiit. Heic ego si acutè exclamarem, si ultra imbecillioris sexus impatientiam tumultuaretur crudus affectus, parum ex dignitate Tua mihi facere viderer. Quare sufflaminandus est concitatus ille animi impetus, & siccis, quamlibet rigentibus oculis tam tristi spectaculo est defungendum.

Filium amisisti, Vir Excellentissime, quem nec voto meliorem fingere potuisses, eumque ætate vix magis, quam ingenii felici ubertate florentem: & quidem subitò, in medio virtutis stadio. Quid, quod nec assidere quidem ægroti lectulo, aut suprema oscula libare licuit? Adeò mœroris mortisque nuncii paulo distabant intervallo, ut prior tanto vulneri additum quæsiviſſe videri queat. Ignosce verò, si ungvem molestum diutius in ulcere tuo verso, & exulceratum

Digitized by Google

tum illud hians per singulas partes excutio. Diducenda sæpè vulnera, ne suppuratum malum recidivam patiatur, & recrudescat, quod cicatricem malâ fide obduxit. Age igitur per summa capita querelarum incedamus, sollicitius quicquid male habet, discussuri.

Amisisse Te filium ne ipse quidem dicere audebis. In summa enim felicitate, quia illum inter beatos proceres quiescens vidisti, jacturæ ne nomen quidem locum habet. Quem verò labores nostri sibi finem statuunt? quem spes proposuit scopum? quem portum vota & suspiria piorum omnium sibi quærunt, nisi eum, quem CAROLUS WILHELMUS, dulce etiamnum paternæ memoriæ nomen, jam tenet beatus, & extra sensum mali omnis positus? Quæ igitur malignitas foret, dolere non aliena, sed nostrorum felicitate? Cum Josephi sui dudum conclamati magnificentiam audiret Jacobus, gaudium, ad quod ferme lugendi diuturna consvetudine occalluerat senis animus, ex ipsis cineribus clarissimè refulsit. Utinam Tu quoque, JACOBI svavissime, diviniùs intendere oculos posses, &

Digitized by Google

filii beatitatem eminus contemplari, detersis lachrymis SUFFICIT, SUFFICIT exclamares, & vix à gratulationibus Tibi temperares. Omitto illud: IBO ET REVISAM, ne sæcvo omine impleam animos Tui amantissimos. Tu verò cogita clarissimam illam lucem, in qua clausis quoque oculis filium vidisse Tibi visus es, & per ego Te amicitiam nostram, quæ quasi quædam animorum fraternitas est, rogo atque obtestor, vigilans etiam somnia.

Sed carendum tamen hic dulcissimo aspectu, suavissimis sermonibus, amabili præsentia. Nimirum hoc loco hisce carendum est, cui ipse ille CAROLUS Tuus etiam moriens pessimè ominatus est. Ego quidem tam triste præsagium abominor, &, si alæ essent, EVOLAREM. Id cum fieri jam nequeat, moriatur saltem Justus tuus, cum Tibi DEO visum fuerit, morte hujus jussi. Securitatem voto facit pietas τῷ μακαρίτῃ haud proletaria, & nunquam fere interpolata obedientia. Sed nos perversi sumus, qui degeneres quidem liberos DEO facile reddimus: si probos repetat, toto vultu abnuimus, & undecunque querelæ occasionem sectamur. Ad quem censum per-

Digitized by Google

pertinent, quæ de ætatis flore, deque ſpe gaudiorum proxima cauſſari ſolemus. Quaſi verò æquiore animo dimiſſuri fuiſſemus jam virum, jam maritum, jam in dignitatibus verſantem. Usque adeò ſumus μικρόψυχοι. Mihi quoque, ut Tuis verbis utar, periit artificium meum cum tot laboribus. Intercidit ſpes fructuum ex tàm pulchra arbore percipiendorum. Poteram enim & ego huic elaboratiſſimæ ſtatuæ quamvis ſaltem in ultima baſi citra invidiam inſcribere: RABENERUS fecit. Quamvis enim plures, in hæc beneficia adoptaverim filios, pauciſſimi tamen ita vobis reſpondent, ut in largimentum gloriæ veniat inſcripſiſſe. Nec auſim tamen jacturam meam cum Tua componere, ſed pone & gemens ſequor Tuarum lachrymarum non otioſus ſpectator, ſed æmulus, quas DEUS abſtergat aliquando in die ἀποκαταστάσεως πάντων! Vale ô carum mihi caput, ac, ſi hiſpidior fermo fuerit viſus, traxit aliquem ex argumento ſqualorem. Nec conveniens adeò fuit funeri veſtis florida.

* * *

Digitized by Google

VIRO
Nobilissimo, Amplissimo ac Consultissimo
DNO. MARTINO STEMPELIO,
J.U. Licentiato ac caussarum Patrono longè celeberrimo, Domino, Fautori ac Amico veteri
S.

Crudus

Digitized by Google

CRudus dolor est, quem tango, Vir Consultissime, & qui forte manum adhuc reformidat. Itaque facilè patior hominem Te esse, & maritum, & parentem. Non enim tollit consolatio affectus, sed moderatur. Me certè fulmen istud, quod domum Tuam afflavit, ac res omnes cum ipsa ferme spe in minutissimas partes disjecit, saltem eminus auditum ita commovit, ut in societatem luctus non perfunctorii abripuerit. Quid enim? Conjugem Te amisisse ad exemplar antiquæ virtutis factam, vulnus est in ipsa vitalia tam altè descendens, ut spem quoque medicinæ occidere videatur. Minus tamen lancinare videtur, quàm quod parvuli Tui dulcissimæ matris fidem implorant, & vano gemitu efflagitant; tanto miseriores, quod mensuram cladis suæ nondum capiant. Videor mihi videre pullatos hoce pullos amissam vago discursu quærere, & quasi pipiendo officium solitum

Digitized by Google

necquicquam implorare. Sive enim numerum spectem, sive ætatulam, utrinque commiserationum amplissima seges. Tuum verò infelicis hominis pectus non dubito, quin excarnificent, hæc atque exanimient planè.

Etenim verò non illud jam ago, ut suppuratus dolor recrudescat, & feralis recidiva ad mortis periculum adigat. Maneat potius sub pondere illo sensuum, & parum se explicans consternatio. Abit sæpe sensus maximi doloris ultra sensum, & quæstus etiam muto silentio strangulat. Sed patere, quæso, alloquium, nec torva monstra medentis manum cum fastidio excutiat. Magnam vim exempla magna habent in utramque partem. Solantur, terrent, incitant, abjiciunt.

Nolim te exsuspicari proleviora ista. Turbavit etiam Regum thoros ista infelicitas. Amisêre uxores itidem probas, concordes, sanctas, ac spem diuturnioris conjugii rogus intervertit & urna. Manum potius amplexanti permitte, ad altiora te ducam. Amisit etiam Deus filium suum. Sed qualem? sed quâ morte? sed pro quibus? Hæc, si non leviter manu excutieris singula, atque ad justam lancem appenderis, non audebis, credo,

Digitized by Google

edo, dolorem Tuum exprobrare fato,
in cœlo amplius invidiam facere. Ha-
es enim Deum non auctorem modo
nti vulneris, sed etiam (ignosce Pio-
is improbiori vocabulo) exemplum.
u vero illud etiam generis sequere,
ec Te decipiat mœrendi quispiam am-
itus. Nulla jactura est, quæ non cito
nti exempli subsidat. Turpe est no-
ini Christiano, deligari viam tam
lustribus vestigiis impretiam. Tu
e, recusare sortem, quam Deus quo-
ue pertulit. Imo vero collige omnes
neris Tui molestias, & cum pulvi-
culo collige; non tamen scrupulum
Tuum talento huic æquaveris. Dein-
e aspice auctorem salutis Tuæ JESUM,
ui sanguinis sui stillicidio iter fideli-
us suis, ne qua exorbitent, signavit,
um sub infami arbore ad supplicium
ium reperet cruentus, idque nostri
austa, ne, si qua nos calamitas premé-
et, insolens illa videretur, & sine exem-
lo. Vah quantus hic se aperit dicendi
ampus, si singulis insistendum foret!
ui fontes consolationum ibi recludunt,
uos sufficerit sitienti digitulo solo mon-
rasse. Felix, o felix miseria, quæ tanti

auc-

Digitized by Google

auctoris exemplo consecrata, quos exercet, coronat. Itaque per ego Te, Vir Nobilissime, desiderum conjugis suavissimæ oro atque obtestor, ut oculos avertas à domestico luctu, aures ab orphanorum Tuorum questibus, & divinius mentem intendas, ad sanctissimos hos, quos dixi, commilitones, malorumque socios. Ita subsidet quamvis impotens mœrendi dulcedo, & comparationis invidiam ipse deprecaberis. Certè mollis miles est, qui reduviam suam fastidiosè curat, cùm Imperator in medium se belli discrimen impigrè immittit. Denique cogita duram illam renascendi legem, quæ una necessitate candidatos cœli implicat. Non quidem Te latet divini Juris Consultissimum ista piorum conditio. Sed quia luctus totum animum habet, utramque Tibi paginam facit insolens domesticæ solitudinis imago. Hæc importuno vultu sola occurrit, ac tristi augurio futura repræsentat. Huic verò intemperantiùs indulgere quid aliud est, quàm spem suam obterere, quæ tamen ultima virtutum tempestatibus hisce succumbere solet. Quia autem facilius est fortem

Digitized by Google

em virum exigere, quàm præstare, cœleste Numen veneror, ut animum Tuum divino robore firmet, vires suffi-ciat, vulneri medeatur! Vale! In Arano meo commentabar, ad mandatum veteris amicitiæ, ipsis Calendis Aprilibus M DC. XCII.

M. Justus Gotofredus Rabenerus, Rector.

Digitized by Google

IN NUPTIAS
VIRI
NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, EXPERIENTISSIMI
DN. CHRISTIANI
STEMPELII,
Medicinæ Doctoris celeberrimi & Gymnasii Illustris ad Albim, urbisque hospitæ Physici Ordinarii meritissimi
Cum
NOBILISSIMA, LECTISSIMAQVE
VIRGINE SPONSA
ANNA SOPHIA
SCHÖNLEBIA,
Auspicatissimas
Epistola gratulatoria,

VIR

Digitized by Google

VIR
NOBILISSIME, EXPERIENTISSIME.

AD nuptias Tuas uti venirem, quod peramanter me invitasti, Tibine plus, an mihi gratuler, ambigo. Quantum enim Tuam lætitiam gaudeo, tantum mihi placeo, quod supra me evectus, nihil de moribus mutasti, nec veteris amici memoriam superventu fortunæ deleri passus es. Argumentum utique magni animi, quique supra blanditias sortis emergens in eodem semper gradu consistat. Macte esto hac modestia Tua, & quæ alii admirantur, calca! Quamvis vero hanc amicitiæ redintegrationem in parte magnæ felicitatis ponam, comparere tamen, per rationes illas, quas Tibi me probaturum confido, non possum. Quocirca calamo gratulationem expedio, quam coram non licebit exprimere. Ea, ut verbo dicam: Amas. In quo, quanta voluptas sit, non ex hominum modo conjunctionibus, sed bestiarum quoq; & quod magis mirere, plantarum quo-

Digitized by Google

quodam affectu cognoscimus. Brutorum autem mentionem non facio, quibus simulacra quædam amicitiarum natura indidit. Nec ulmum, aut vitem commemoro mirabili velut conjugio inter amplexus suos lætius efflorescentes. Te appello, Vir Nobilissime, cujus animum cùm tot virtutum amor, tantarum rerum cognitio, jamdudum occupaverint, tantum abest, ut corrivalem (pace Literionum mihi sic loqui liceat,) virginem excluserint, ut se etiam constipent quodammodo arctius locum novæ hospiti daturæ. Beatam illam & felicem tàm pulchro conjugio, tàm pulchro conjuge! Sed vultum, ut video, contrahis ad tàm frigidas laudes, quarum acroamata quamvis conscientia Tua recipiat; modestia tamen, & verecundus ille in ingenuo vultu rubor deprecatur atque fastidit. Itaque formam quidem ad tribunal novæ conjugis remitto, cujus castitati hoc quasi præmium debetur; de animo mihi sermo fuit, cujus pulchritudo tot amatores hactenus allicuit, quorum gratia, favore, laudibus citra invidiam flores. Hoc scilicet fuit illud, quod jam olim Witteberga de Te auguratus sum, cum viderem vividos

Digitized by Google

idos gestus, mobile corpus, vultum in colloquendo, innoxios risus, lubriles jocos, otium liberale. Sed omitto obsoleta hæc signa. Literis autem fervidè incumbere, intervalla funere liberalius, ut majore impetu assis, bonorum consortiis lætari, doctos sectari, ad pulchri libelli conspectum & memoriam concitari animos: hæc, etsi nulla avis addixerit, jam tunc mihi dem fecere. Te talem fore, qualem ognitum jam judicant, quotquot fuere judicare possunt & volunt. Præclara enim sunt virtutum præsagia, quem vetus illa Hetruscorum disciplina, ab ipsis auguribus suis, tot impossibilium sibi invicem conscius, quondam lerisa. Leonem conspectum, notante leucero, diri quondam fuit ominis, ob es magni terroris. Credo inde, inde orsis si inermi & timido improvisus obviam se tulerit. Tibi autem Polhemina Laurea, (liceat mihi hac elicias facere in Sponsæ nomine) non visa modo, sed prope locata, sed nihil boreæ referens) in ipsum thalamum admissa, bonum omen, faustum auspicium, pulcherrimum, quam Flore loquar, monstrum. In Ely-

Digitized by Google

mæa regione mansvetos leones dari Ælianis habet, naturæ non futilis auctor, qui hominis templum ingredientes, tanquam salutatos adulando excipiunt; si ad cibum voces, tanquam invitati continuo adsunt, & quicquid porrexeris, postquam acceperint, modeste & decenter edunt. Et, nisi magnopere fallor, hæc Tua ex illo genere est, nisi quod ea ursa ibi quidem, postquam accepit, quod porrexeris. Mansvetam oppido, & pene dixissem manu svetam, postquam semel in manum convenit, & parisenam tibi pulcherrimos catulos, de quorum ad pietatem indole, idem Ælianus refert parentes senio confectos venatum ducere & ad prædam invitare rogito. Tu verò, ô nobile par, fœcundis auspicijs copulatum esto! & factum esse toto affectu gratulor. Bonis etiam omnibus concordiæ, longævitati, fœcunditati (ni forte illum ultimum abominatur sponsa puellam simplicem) utrumque prosequor, & finio. Epistolam verbis Nazianzeni ad Eusebium: Ἄλλοι μὲν γὰρ καλέσαντα ἔφασαν ἑστιᾶσαι γάμοις ἢ παιδοποιΐαις, ἢ τροφὴν κλαπῆναι, ἢ γυναῖκα ἁρπασθῆναι, καὶ τὰ Φοίνικος χάσματα ἀπεγγράψασθαι, καὶ βαλλέσθαι λόγοις μετὰ

Digitized by Google

ἀν αἰθέων τὰς παρθένους. Ἐγὼ δ' ὑμῖν ἀσσάσω
ὸν ἐμὸν ὑπαγλαΐαμον. Εὐλογήσαι ὑμᾶς κύριος
ὁ Σιὼν, καὶ δώσει ὑμῖν τὴν αὐξησιν καὶ ἴδοις
ὰς τῶν υἱῶν σου ἐπὶ πολὺ ἐπ' ἔτη, ὅσα κ' κρείσσονας.

lest: Alii vocent amores, quia lusus in nuptiis convenit, & virginis venustatem escribant, & sponsi contra formam exollant, ac thalamum oratione & floribus onspergant. Ego vero accinam vobis pithalamium meum: Benedicat vobis ominus ex Sion, atque ipse conjugium opulet, videasque filios filiorum tuorum, & vix contineo, quin dicam, etiam ipso praestantiores. Vale, & si non tam Te jam avida Sponsa possidet, reliuias amoris tenues serva

Cal. Julii 1680.

JUSTO GOTOFREDO
RABENERO, Gymn.
A Freib. Rectoris.

Hh 2 NUPTIIS

NUPTIIS
VIRI
NOBILISSIMI, CONSULTISSIMI, AMPLISSIMIQVE
DN. DN. JOHANNIS
ERNESTI SCHONLEBII,
Illustriss. Principp. Anhaltino Servestanis a Consiliis Aulicis,
Cum
VIRGINE GENERIS VIRTUTUMQVE SPLENDORE LONGE FLORENTISSIMA
ANNA AUGUSTA,
VIRI
VERE AUGUSTI
DN. AUGUSTINI
STRAUCHII,
Consiliarii quondam Elector. Saxonici intimi & supra fidem ferme meritissimi
FILIA
ANNO M DC LXXX. DIE XXIIX. DECEMBR.
GERÆ CELEBRATIS
FELICITER SUUM ACCLAMAT
M. JUSTUS Gottfried Rabener/
Gymnasii Freib. Rector.

VIR

Digitized by Google

VIR NOBILISSIME, CONSULTISSIME QVE.

I vel perversos dicacis hujus seculi mores in consilium adhibere, vel nasum malevolorum reformidare voluissem, cunctantiùs utique ad gratulandi officium animum applicuissem, ne dicam calamum. Familiaribus gratulari amicitiæ, Patronis clientelæ lex svadet. Ignotus ignoto quicquid præstiteris officii non supervacaneum modò; sed & suspectum habebitur. Itaque jam mihi audire videor voculas quorundam, qui viscum hîc & blandulas quasdam insidias susurrabunt. Solemne scilicet ejusmodi homuncionibus foris pulpamentum quærere, quo domi abundant. Proinde contemptim calcare malo has spinas, quàm exscindere laboriosè, & rectâ, qua jubet impetus, contendere. Uxorẽ ducis, *Patrone Nobilissime*, elegans elegantem, nobilis nobilem, Schönlebius Strauchiam? Vah magna utrinque nomina, & jamdudum in clarissimarum virtutum familiam cooptata! *Schönlebios* certè annales patrii jam loqvuntur, quorum

Digitized by Google

Nunc vero pulcherrimo hoc conjugio communem uterque alveum intendunt, & numeros omnes humanæ felicitatis explent. Et adhuc generis modo nobilitatem utcunque expressit rudior stylus, id est aliena. Quamvis enim magnum sit tantæ gloriæ cernere hæreditatem, tamen nescio, quomodo obsoleta facies avitarum ex atrio imaginum. Quæ tuo labore, ingenio, industria pepereris ut gratiam, ita splendorem novitatis habent. Vah quantus hic laudum campus mihi panditur, si per omnem ætatem ire, & propriis nativisque coloribus, Te *Patrone Maxime*, depingere vellem! Verum & mihi blanditiarum suspicio vitanda, & ille frontis Tuæ ingenuus rubor deprecari hanc invidiam videtur.

Tantum enim abes ab admiratione Tui, ut domesticæ etiam virtutis conscientiam premere videare. Itaque pro me loquatur Roma, gentium quondam, nunc Italiæ domina. Vidit illa & admirata est Tetranſalpinum hominem Purpuratis suis ab interiore familiaritatis nota commendatum & quotidiano usu connexum esse. Magnum utique magni animi præjudicium, si quis supercilium

ejus

Digitized by Google

ejus gentis spectet, quo reliquas nationes fastidiunt: virtutem apud se natam prædicant. Sed commune peculium hujus Divæ discrimina populorum ignorat. Quid Galliam dicam? quæ cum & ipsa pingves nos esse, & obtusioris ingenii arroganti præjudicio jam olim putavit, in *Schönlebio* nostro sententiam mutavit, in quo & ingenii capacitatem, & discendi ardorem, & vividi animi celeritatem publicis dedicationibus testati artium & lingvarum inter eos Magistri. Exprimit scilicet, non raro etiam invidis & invitis confessionem illa mentium domitrix veritas, inque aliam partem calculum transfert. Quantum autem est ex vitiis tot diversarum gentium integram mentem, illibatum candorem referre? Aurum æruginem non patitur, & incorruptas undas per lacum transducit Rhodanus. Enimverò, ut Comici verba mea faciam,

Spectatum satis & magnum exemplum continetur

Nam qui eam ingenii contagiam [illegible] remedio

Digitized by Google

AD FRATREM JOACH. GOTHARDUM M. JUSTI GOTOFREDI RABENERI EPISTOLA CONNUBIALIS.

Digitized by Google

IN consortium me nuptialis gaudii, Frater svaviſſime, vocas, nec avara manu dispensas genialis thori lætitiam. Leonis atque lupi vita, est, sine socio visceratio. Et habet quidem ista res non tenuem & perfusoriam voluptatem, ut solent invectitia gaudia, quæ solam frontem remittunt, non pectus implent. Solida est, & plus introrsus patet. Itaque quasi sub senili ruga efflorescit nescio quid juvenile, & cui jam propiùs cursus sui linea admovetur, ad carceres respicio, atque illos, qui ex intervallo longiore sequuntur. Vah quam juvat plena manu gratulationes spargere; indulgere tàm bono affectui, & pulcherrima omina mente plus quàm præfaga præcipere. Utar autem calamo internuncio, dum liceat amplexus miscere, totamque frontem explicare. Nosti ipse cujus rei autor Tibi fuerim; quam serio svaserim, ut familiam Rabenero-

rum

carceres; aliarum mortes, quibus de salute maritorum transgerunt. Fuerunt fortasse, quæ obsoletam protinus nubem, & tempori accommodata lugubria festinato flammeo mutarunt. Sed non est calamitatis loco numeranda parum plena felicitas. Hanc in rebus humanis quærere, est ignorare sortem, in quam nati sumus. Nec ideò malorum ingeniorum argumentis castus amor ex humana republica proscribendus, cui se debet naturæ nostræ æternitas. Cœlibatum quo que, si infectari liberet, vah quantus campus se aperiret, quemque curriculo uno emetiri non liceret. Quid dicam illa culeo serpentibusque expianda flagitia? Satius est ista præjudicio causæ tacere, quam pudoris eloqui.

Te verò, ô optime Frater, laudo, quod auctorem potius Deum sequeris, quam verminantis cerebri deliria. Quorsum enim illa cunctatio vitæ parum se explicantis, & ille inter destituta vota torpentis animi situs? Ego verò non sperare modo Te benè; sed & confidere jubeo. Novi pietatem Tuam, & pene familiaria cum Deo colloquia. Novi integritatem illam candidissimæ mentis,

Digitized by Google

tis, & ſeculi Tui aſpernantis cum indignatione rubiginem. Novi ſollicitam circa omnium rerum momenta cautionem. Nihil jam olim juvenile in moribus fuit. Senilis etiam adoleſcentulo, cum illa ætas ſub manu mea formaretur, gravitas, & pene dixiſſem autoritas. Usque adeò nihil datum luſui, nihil voluptatibus etiam innoxiis. Immenſus ferme literarum amor animum ita occupaverat; ita Te ſibi totum Muſæ aſſeruerant, ut ineptiis nec rima quidem ad illabendum pateret. Noſti, ſi retentare vis memoriam, quoties increpaverim illam in labore pertinaciam, quoties domi meæ remiſſionibus aperuerim, non feneſtras, ſed januam. Tu verò furtivis lucubrationibus ita corpuſculum affligebas, ut ſæpè malè ominatus fuerim huic pervicaciæ. Malus enim ſponſor diuturnitatis præcox ad ſapientiam impetus.

Sed video ex alto ſuffundi ruborem. Itaque, quoniam nihil mollius ore tuo Nitzſckium teſtor tuum, aut, ſi rivalem pateris, meum. Quid enim impedit, binos diſcipulos uno affectu complecti? Deſponſa autem Tua, quæ dicam, cu-

Digitized by Google

jus imaginem primoribus saltem lineis fama transmisit. Juvencula est. Tantò tractabilior erit. Formosa est. Id debetur castitati Tuæ. Moribus elegans. O pulcherrimam dotem! Nihil ex infelici superbiæ genio hausit, quod malum hodie in publica damna privatim insanit. Rarum decus sexui, insolens sexus! Ad Oeconomiæ prudentiam instituta. O bonæ mentis obrussam! Liceat jam præmittere cogitationes in longinqua, & de connubii felicitate augurium capere. O Nunquam melius litatum esse credo, nunquam certiore fide fausta omnia interpres fatorum corvus. Imaginem certe meæ domus jam plenus gaudio intueor. Novendecim jam anni sunt, & nec fribusculum quidem ullum intercessit, sed tam beata similitudine fluxit in conjuges nuspiam interpolato alveo concordia, ut, nisi fidem facerent liberi grandiusculi, & subrepentes circum tempora cani vix totidem mensibus una fuisse crederem. Tanta fuit amandi voluptas, ut non intelligentibus nobis anni præcipitarent. O mi Frater, nullum jam votum satisfacit effuso in vestras gratu-

Digitized by Google

gratulationes! Quicquid boni apprecatus fuero, minus, quàm pro affectu, dixero. Imo conferat in VOS beneficum Numen omnem feliciſſimi conjugii ſummam, & concordes, fœcundos, longævos, beatos eſſe jubeat, tandemque felicitatem integram molliter deponite! Verum, agite, dicedens monſtrabo vobis amatorium ſine philtro, ſine herba, ſine carmine:

SI VULTIS AMARI, AMATE.

Dab. Freiberg. d. 19. Mart. Anno 1686.

Digitized by Google

NUPTIIS
SCHACHERO-FALK-
NERIANIS,
EX HOC NEXU
NOVUS AFFINIS
EMINUS APPLAUDIT
M. JUSTUS GOTOFREDUS
RABENERUS.

Virtu-

Digitized by Google

VIrtutem, si oculis corporeis conspici posset, maximos sui amatores excitaturam sæpè legeram, sæpè audiveram; Sed, ut fieri amat, supina aure tralatitio oculo. Assentiebar quidem, quia honestus error magnos duces sequentibus, nec tamen me divini Platonis autoritas ita movebat, ut vis dicti nobilissimi satis profundè in mentem descenderet. Factum verò nuper, ut hujus pulchritudinis tota facies ad animum perveniret, & sanctus ille Cupido altius penetraret, quam ut excutere eum jam possim aut velim. Altenburgi eram tum fraternis honoribus interfuturus, tum novas necessitudines, novas affinitates recogniturus. Ex hoc argumento voluptates nonnullas spes bona subjiciebat, quas tamen plerasque fama præjudicium, licet totum fratrem opponerem, instar calamitatis in ipsa herba prosternebat. Ita enim calculum ponebam: Quid tu nuptiarum istarum assecla

Digitized by Google

verius, quam convivia perare audes? Lipsienses erunt, qui utramque paginam facient. Istine supercilio ingerere te audebis homo ex scholastico pulvere vix supra verticem eminens? qui solitaria & umbratili vita palleres, cujusque fama velut in opaco situm ducit? Itaque decreveram cuticulam quidem curare, sed extra illius angustias, nec latum unguem procedere. Ex occulto potius speculari hominum ingenia, mores, gestus, verba; unde tutior receptus, minus periculi, plus sinceræ voluptatis inter æquales, qui verba omnia ad pondus & libram non exigunt. Facilem esse lapsum linguæ in præsenti sagina jacentis, & confustius sub custodia tenere fugitivos illos sermones. Sed DEus bone! quam inutilis, & pene puerilis ille timor fuit. Ego ille, cujus animus jam in popularibus erat, in ipsam orchestram invitabar, & fronti illi, quam jam ad fastidia perferenda obfirmaveram, cum pudore suo, & invidiæ meta gravior ex imperato luceta. Et nescio an ipsa etiam cognatio me satis defendat ab arrogantiæ suspicione. Sed esto istud delignatorum arbitrium. Ego quidem jam abjudico mihi

Digitized by Google

mihi cauſſam ipſe meam, & damnata priore ſententia in alia omnia pedibus eo. Recipiebar in medium, compellabar, & ferme colebar ab iis, quos quam idoneo cultu, quam quæſitis verbis mihi propitiarem jam meditabar. Quam nullum in frontibus tædium, nulla in ſermone gravitas, nullus formæ labor, nulla in veſtitu luxuria! Temperata omnia, & ad legem modeſtiſſimæ virtutis exacta. Denique nihil Lipſienſe, præter nomen. Pace liceat clariſſimæ urbis ſecundum plures litem dare, famam ſequi, quæ licet nunquam ad liquidum perducitur, tamen ex nihilo quoque non oritur. Nimirum, ut integras per lacum ſuum Rhodanus evolvit: ita magni animi vitiorum contagio nunquam inficiantur. Juvat ſane per recentia memoriæ veſtigia regredi, & illam de virtute familiam iterum iterumque recenſere. Idem mihi accidit, quod ſolem intuentibus evenire ſolet, qui imaginem tanti ſideris etiam conniventes ſervant, in acerſitis quoque tenebris receptum ſplendorem cuſtodiunt.

Ignoſcas autem, magnifice Dn. FALKNERE, ſi te compello vigilans, cujus vultum,

Digitized by Google

tum, affabilitatem, & in tanto fastigio humanitatem etiam dormienti somnus reducit. Istud verò est se ex natura Dei gerere, mereri humilitate civicam, in æqvum descendere, temperare vires suas, atque ultrò fortunam suam publicare, ejusque vexilla ad mensuram clientium submittere. Quam feliciter humeris hisce publicum onus committitur! Perstet diu contra quaslibet tempestates, atque ab ipsa ætate robur ducat hæc Pyramis pluribus hederis in altiora erependi copiam factura, ad quarum amplexum tam ambitiosè submittitur. Ego quidem (ut solet ingentium virorum imperiosa esse humanitas, laqueum impingere, & nos in omnem fere servitutem alligare) ex eo statim tempore, quo primum de rebus meis tam amicè meum collocutus es, optavi, ut luculentior quæpiam occasio testandæ voluntati meæ, pleniore obsequio Te demerendi se offerat, & jam propitiis Musis videor fecisse vota.

Filiam enim elocas Doctoris Doctori, virginem Juveni egregiam egregio. Vah quàm non quærenda sunt bona omnia, quàm non de cœlo fervandum, quàm

quàm non consulendus aruspex! Ultro se ingerit oculis spes futuræ felicitatis, & vel in clausos illabitur oculos. Fiduciam dicerem, nisi arrogans istud in rebus mortalibus nomen esset. Conveniunt nempe ordo, ætas, fortuna, mores, quæ singula suapte sponte nexum faciunt. Si autem amor accedat firmissimum istud, etiam in disparibus coagulum, tunc verò indissolubile vinculum & plane adamantinum cuditur. Memini, cum contra assiderem, observasse amicius intuentes, familiarius arridentes. Id ineptus ego (nescio an quoque improbus.) ad genium Seculi, mores urbis delicatissimæ, consvetudinem sexus inter pectinem speculumque occupati interpretabar. Postquam verò scisitando comperi fœdus castissimarum mentium, temperare mihi non potui, quin injecta manu novo Affini gratularer venustissimam hanc spem, pulchram hæreditatem.

Si autem in clarissimum Solem lumen mortale inferendum digrederer hic, Sponse Clarissime, in laudes Tuas, quarum argumenta satis multa mihi brevi hoc non totius tridui contubernio

Digitized by Google

collegisse videor, nisi frons tua ante multo ambitu exoranda foret; cujus infirmitatem ex ipso ore perspectam habeo, & illo animi interprete fermone. Parce etiam transcurrere laudes circumscribere est. Nec meum palpum obtrudere, aut blanditiis adrepere ad amicitias magnorum hominum, ut solent illi, qui linguam in quæstu habent, & libertatem pro ventre male instituto dependunt. Candorem meum testor, & illam ex prisco integritatem, quam qui norunt amant, qui invident dissimulant, qui odere calumniantur. Sed quid ago? Dum tuas laudes circumeo, in meas imprudens incido. Tam facilis à Scylla in Charybdim flexus. Itaque pedem revoco, & vota, quamvis sine verbena & infula concipio.

AUDI NUMEN,
CUJUS ARBITRIUM
REBUS HUMANIS INTERVENIT,
ET
CONNUBIUM HOC
FELIX FAUSTUMQVE
SPON-

Digitized by Google

SPONSO, SPONSÆ,
SOCERO, SOCRUI,
COGNATIS, AFFINIBUS,
AMICIS
ESSE JUBETO
AMET, AUGEAT, BEET
QVIRINUS JULIANAM
HARTMANNUS MARIAM
SCHACHERUS
FALKNERIAM.

AD
POSTHUMUM OFFICIUM
THEOLOGI, DUM VIXIT
INCOMPARABILIS
D. MARTINI GEIERI,
ENSIFERO ELECTORI
a
CONCIONIBUS AULICIS
PRIMARIIS,
CONFESSIONIBUS,
CONSILIIS ECCLESIASTICIS
Concurrite
QVIBUSCUNQVE ILLE OLIM
RE
PATROCINIO
CONSILIO
USU
PROFUIT, PRÆFUIT, ADFUIT,
INTERFUIT
Comparete,
QVICUNQVE VIRI
SECULI SUI MENSURAM
SUPERGRESSI

PIETA-

Digitized by Google

***

PIETATEM,
LITERAS,
CANDOREM,
MANSVETUDINEM
VENERAMINI, ADMIRAMINI,
CLAMATIS, AMATIS
Convenite, &
QVIBUS
BEATISSIMUS ANTISTES
VELUT ADHUC SUPERSTES
NONDUM PLANE CONCIDIT,
NONDUM TOTUS EXCIDIT,
NONDUM OMNIS OCCIDIT.
Adeste
POSTRIDIE HUJUS DIEI,
QVEM
FASTI ROMANI NUMERANT
XII. CALEND. MAII.
HORA IX. MATUTINA
IN
AUDITORIO GYMNASII MAJORE
CIVES,
HOSPITES,

M

QVEIS

Digitized by Google

QVEIS
LITERATA NOBILITAS
ADMIRATIONEM,
THEOLOGIA DIGNITATEM,
JURISPRUDENTIA,
SPLENDOREM,
MEDICINA UTRUMQVE;
DENIQUE
PHILOSOPHIA NOMEN
PEPERIT.
POSTULAT
DEFUNCTI
INGENS MERITUM,
ROGAT,
PRO CUJUSQVE
DIGNITATE
ORDINE
STATU
SUBMISSE,
REVERENTER,
MODESTE,
AMANTER,
HUMANITER,
QVI PARENTABIT
ORATIONE BREVI

M. JU-

Digitized by Google

M. JUSTUS GOTOFREDUS
RABENERUS,
RECTOR.
NEC GRAVE FUERIT
PER OTIA IMPENDERE
BREVEM HORAM
PATRONO
FAUTORI,
AMICO,
PRÆSULI
SINE PARI MAGNO,
SINE INVIDIA MAXIMO.
DATE ILLUD VIVI
MORTUO,
QVI PRODEST
MORTUUS VIVIS,
DATE HOC
CANDIDATI MORTIS
CANDIDATO ÆTERNITATIS.
NOS VERO
SAPIAMUS
ET VIVAMUS
HOMINES, DUM SUMUS:
POST EXTREMA
NAM SUPREMA
NOS HABEBIT HUMUS.

IN

Digitized by Google

IN LAUDEM
INCOMPARABILIS
THEOLOGI,
DOMINI
D. MARTINI GEIERI,
POTENTISSIMO ELECTORI
SAXONIÆ a CONC. AUL. PRIM.
CONFESSIONIBUS, CONSILIIS ECCLESIASTICIS
ORATIO PARENTALIS
M. JUSTI GOTOFREDI
RABENERI,
GYMNASII RECTORIS.
IN MAGNA CELEBRITATE FREIBERGÆ
HABITA
AD DIEM XII. CALEND. MAJI
M. DC. LXXXI.

Qvam

Digitized by Google

QVamvis rerum irreparabilium optima sit ex oblivione medicina, tam pertinax tamen non raro jacturæ dolor, ut nec temporis longinquitate deleri, nec animi magnitudine superari, nec ullo solatio levari queat. Quo factum est, ut multi mœrori suo superstites esse non potuerint, imo nec voluerint. Crescit enim, nescio quo pacto, pretium rerum amissarum, & ex ipsa recuperandi desperatione tristia augmenta capit infelix desiderium. Tum denique digna sanctis, digna Parentum subit animum æstimatio, cum sequior valetudo, sapique necessitas eripuêre, quod quotidiano usu evilueverat. Sed quousque dolorem meum circumloquor? Lector ipse mecum, & pertrepidans ambages, quod recta accedendum, eminus ambio. Ita solemnis videlicet parcente manu vulnera nostra explorare, cum animi imperium invita exequuntur. Ah quam trite

Digitized by Google

verbum, & nullo ἀφυιστῷ satis emolliendum: Vixit MARTINUS GEIERUS, & fati sui legem implevit Vir seculi sui mensuram longè supergressus divinâ illâ indole, quâ ipsam quoque invidiam multis parasangis post se reliquit. Equidem verba ægrè molior, & intra dentium septa ab ipsis labiis resiliunt. Cùm Nero adhuc intra brevem prioris sexennii simulationem truculentiam animi sui coërceret, memorabili dicto usus fertur apud Svetonium. Capitis enim supplicio subscripturus, quàm mallem, inquit, nescire literas! Ego verò in tam tristi argumento, quantulamcunque dicendi facultatem ostentatus quid potentissimum operare debeam, non satis expedio. Literas ne abdicem, & illarum bonam ex veteri formulâ copiam ejurem? sed his omnia debeo: sed his solis grati animi qualemcunque umbram delineare possum. Quam impium autem foret, far & molam salsam abjicere, si thura aut hecatomben non habeas? Silere utique, & ex oblivione remedium quærere æternum ingrati animi figma tacentibus immeret. Aliud longè sanctissimi manes Viri incomparabilis, aliud ingentia illa in commune bonum meri-

Digitized by Google

merita, aliud tanta rerum in uno homine
Virtutum conjuratio postulant. Et
interest nostra magis, posterorumque
omnium, quam [illegible] memoriam
illarum sacrosanctam quotidie
inter adera jam Ennarrationum digna
invenit, nos in medio magnæ disciplinæ
exemplis illustribus aliam contra vitio-
rum pertinaciam excitandi curamus. Ha-
bebit itaque grata posteritas, quem com-
memoret. Certum nobis ab hinc ul-
timum. MARTINUS Orthodoxæ fi-
dei propugnatorem, de cujus ingenio
Excellentissimus Theologus, ita omnes
partes præstitit Episcopi, imprimis quæ
difficiles, ad successores sequendi glori-
am reliquerit. Lector Vir Maxime Ho-
nestam pietatem, exquisitam Eruditio-
nem, & cum summa modestia temperatam
animi severitatem, brevi quidem, quod
intra animo breves malignitatis hujus
angustias amplissimam virtutum fa-
mam cogi queant; sed quod ex uberrimis
fontibus emanavit hoc spicilegio vobis Parentalis
hasce notandas. Hinc dum facem ingre-
dimur, & libri ornatissimi fulgentes Ver-
laudes de hoc magis, quam de reperto, si qui
Vestra, Auditores, Humanitas & Be-
nevolentia perfugium mihi esto. Da ve-

Digitized by Google

stro litore portus. Cujus consortio si me prohibent arcanæ Musæ, vel etiam idoneo Eloquentiæ vento destituor, dari istud memoriæ Viri Excellentissimi, & dum in alium provehor res clarior ingruis, animique favete! Et Fabius quidem, si ex secessu nostri perverso ingenio æstimanda, res vilis & tralatitia est, ex ossa multis, in his plurimis, & cautum pro quique ante dies reducendo accommodatis ad altiora præsumat exhiare: potius generosæ animorum indoles, & tersi ingenii vanis ac sordidis delectationibus occasiones eruendarum datæ pariter. Uno verbo plebeis mentibus aperiri. Ignoranti siliter, nequidem sententias Auctores quantum sit, cautis tamen rerum rerum quisquilias DEUM quæ pleni, atque ad ejus sanctissimum exemplar se componere. Socratis autem Catonisque prudentem semper imaginem animo circumferre, fradent etiam Ethnicorum præceptores, quorum vere exorti luxuriantes etiam in solitudine animi pervigilant. At quanto sanctius DEUM ipsum adimitandum nobis proponimus! Id curæ in omni vita utile, tum Theologia necessarium, ut vel disputationes

dandos

Digitized by Google

dandos homines? Pietas tuitionis, Apollo-
nios mihi quis intueatur, hominem nullis
literis tinctos, nullâ Eloquentiæ instru-
ctos, nullam Philosophiæ partem edoc-
tos! Et tamen servido spiritu sacerdo-
tii fungebantur. Græcos penitus abar-
baros in partes pertraxerunt. Id
cum profecit? Nostra intelligere, nihilo
enim vita magis emendabatur, quem de-
vinum religiose colere. Ad
hoc omnia nobis mancipia reddidit,
huic accepta nunc magis referre for-
nam. Munus aliquod fuisse putem? at
DEUS bone, quibus precibus ille consi-
lium tuum prius explorabat! Conjugi
unum nobis? Quam arcani fidi quibus
gemitibus partes tu vocabat! Illo-
cideratus ut solerent arcus sanctimo-
nibus dignus videretur nobis DEUM, quo
optimum dari homini debuit mentem
transfunderet, obnixissime rogabat. Et
damnis quidem animorum tam publicum
argumentum, nisi modestiæ nomen
deprecari velut invidiam hanc videre-
tur. Quid enim animi alimenta, quæ
ille bonum esse malit, &c. filium fecit
religiosissimo proclivi? Sufficeret ille
decorum fuorum arbiter DEUS, pi-
us esse, quam videri malebat. Itaque

abiiciéo, nec me importunus interventor ingero. Interim non sine sanctissima voluptate sæpenumero commemorabam numquam me repulsam tulisse. Et quo posset referri, qui se rerum DEO permittebat, illudque melius fuisse sibi persuadebat, quod a cœlesti manu profectum? Nec continuare me intima privatosque recessus horum colloquiorum fuit; Sed in unum etiam mentis devotionis latissime se diffudit. Quis enim meditationes Ejus de omni præsentia, deque amore DEI ac Proximi, meo horrore quedam sacro legere, sine lacrymis evolvere potest? Incalescit animus, quoties mihi ipsum Cœlum aperiunt, quoties mentem atque oculos divinæ hujus Viri eloquentiæ accommodamus. In suggesta autem quis verborum vigor? quanta verba? conscientiæ Auditorum quis omnia ad Christianam pietatem referebat? Nemo videnti repugnare, nemo obstrepere, nemo morem gerentem fastidire, nemo horrere mentis audire potuit. Neque id cum provocante in arenam, quam placidissima quadam verborum illecebra allequebatur. Sed quid immodice ingero, cujus jam usque recentissima est memoria? adhuc fundus in magnalibus apud

Digitized by Google

mnes

mnes admiratio, non minor veneratio vigeret. Quia enim religiosissimus Episcopus sentiebat omnium oculos in se dirigi; domum & quotidianam vitæ regulam, quasi in speculo constitutam magistram esse publicæ disciplinæ, anxiè cavebat, ne committeret quid, quod aut qui reprehendere volunt, jure lacerare queant, aut, qui imitari, cogantur relinquere. Sed cum ne exemplo quidem proficere se multum videret, vix dici potest, quam acerbè fœdissimi seculi moribus indoluerit, quæ suspiria contumax impietas venerabili Seni excusserit. Norunt, quos familiarior usus junxerat, & typi publici ejus loquuntur præfagia, quorum metu non raro sanctas vitæ, interdum & sedem illam cepit. Grave quippe pio homini inter fœdes temporum, suorum vivere; grave civi bono, felicitati publicæ superstitem esse. Et quo certius quisque cœlestium bonorum, tanto majore desiderio æstuat, cognatam mentem Cœlo reddere, & post tot bella, tandem pacem reperire. Nec invidiam metuo, aut adulationis suspicionem, dum beatissimi Præsulis laudes persequor. Quin illa cura magis animum mordet, ne jejunus laudator ego,

Digitized by Google

detraham potius aliquid debito illius præconio. Invidiam autem audaci ore provocare non dubito, quæ nec vivum perstringere potuit, & pari cum illo defuncta est fato. Ad hæc opprimuntur tot Potentissimorum Principum præclaris judiciis livido rum elumbes voculæ, ut causæ publicæ prævaricari videar, si vel verbulo dignas esse opinarer. Fundamentum autem reliquarum Virtutum pietas, quæ, nisi firmas in homine radices egerit, corruet quidquid superstruxeris, & scena coactæ simulationis in ludibrium desinit. Quis verò sine DEI præsentissimo auxilio putet, Nostrum in id fastigii ascendisse, unde alios cum vertigine fermè despicere posset? Quem locum scilicet literarum studia, supremum occupare possunt, ille obtinuit, & reluctantem quantumlibet modestè Principum decreta evexêre. Fas quippe erat in illustri Pharo tantam lucem constitui, unde radios longè lateque in subjectam vicinian dispergeret, inque utilitatem publicam dispensare posset. Quid dicam vota secunda ad arbitrium animi, Generum, pari voto obtigisse? Ne tamen mercenariam quis hanc Pietatem diceret, & continuo re-

Digitized by Google rum

rum successu sustentaram, asperioribus etiam factis solidata fuit. Langvet sine adversario Virtus. Tempestas Nauclerum, prælia militem ostendunt. Marcet etiam Pietas nullis exercita calamitatibus, & ad quemlibet ventum circumacta fatiscit, nisi ex malis robur, ex tristibus dulciam sumpserit. Inde nec Magnifico quidem huic Theologo fiendi dolendique argumenta subtraxit suprema Parentis provida voluntas. Amisit enim pene Puer dulcissimam Matrem. Amisit optimum simul & fidelissimum Parentem tertii lustri terminum paulum supergressus, id est eo tempore amisit, quo maxime ejus consilio opus habebat, auxilio indigebat, quo & sensum tanto calamitatis altius in animum admittere poterat. Ut benignius actum cum illo videatur, quibus Parentes obeunt, nondum capientibus suæ infelicitatis magnitudinem. Amisit Filium non gradibus jam non curru, sed velut præcipitio ad paterna fastigia properantem, cum decimo quinto ætatis anno (ac quantis hæc summa cum laude primam in Philosophia Lauream obtinuisset. Vivacior sit fratris properata virtus jam in ipsa æthra S. Linguæ scopenitentis) Amisit ex puerili

dare. Gradibus enim humana surgunt, proficiunt, adolescunt, ilsque plerumque, quo tardioribus, hoc firmioribus. Si autem suam generosior indoles reliquerit, malus sponsor diuturnitatis festinatio. Sic videmus flores velocius intermori, quorum præceps celeritas veris, ut ita dicam, meridiem non expectaverit. Usque adeò difficile est, celeritatis simul gratiam occupare & durationis fidem! In Nostro tamen piorum Parentum vota ad publicam felicitatem contra Naturæ invidas leges prævaluêre. Hinc tam fertili arvo certatim incubuerunt, laborem inter se partiti M. Martinus Cramerus, M. Johannes Friderici, quorum ille privatim, hic publicè Virtutum semina plenâ manu sparsêre, in eam magnitudinem, adolevere, quam Posteritas omnis, mirabitur. Nec verò quod tradidere, ne solerti his laboribus seria asperitatem. Præceptorum cum imperet, faciebat amor, quo illi Puerum, hic illos complectebatur. Cujus rei Discipulus dum Præceptore Cramero tam multa confabulatur, ut relictis Parentibus, Cognatis, Patriâ hunc Eoum exoratus Patre sequeretur. Et consilium sane optimo Mutuo affectus fuit impensa. Quartum enim annum decimum nondum imple-

Digitized by Google

impleverat annum, cum à Præceptoribus idoneus existimaretur Academicarum lectionum Auditor. Quorum judicium secutus, in patriam que regressus omnem Philosophiam vasto animo complexus est avidumq; ac sitiente animo Sapientiæ liquoribus ingurgitavit ætate, quâ nostri Grammaticis præceptionibus ad Latini sermonis balbutiem assuescunt. Volitare coepit quadam reperta, si fortè cui Narrata, subsidium esset. Itaque nihil mirum sequenti statim anno primum Latinæ Sapientiæ cum laude illum adeptum esse. Verum nec hic quidem fuit flagratis ille impetus generosæ mentis, quæ cognitionem animum adjecit, non curiosas quidem illas & inutiles, quibus herum incohatæ juventus cum aparatu ejicitur, sed eruditas sedens, qualem sibi quisque Philosophi sapientiæ amore adsciscunt. Tempe enim existimabat, nec cibos quidem, nulli operæ, nullis impetibus parcere, nullis pericula, nullas refugere, & fuisse sæpe incertæ sedes, doctos maria & terras obeuntes exquirere. Virgilium amore inflammatus scribendi vitam unicam deum agere quæ operum artium igitur, velut ad mentalis boni aurum animi profectus [illegible] tem-

Digitized by Google

tempore omnium animos ita sibi devinxit, ut ejus consuetudine nihil suavius, candore nihil sincerius esse putarent. Dannhauero imprimis (at quanto Viri quam acri ingeniorum judici) modestiæ industriæque nomine probatus. Hic verò, dum se præclarè ad cursum accingit, dum hoc tantum plausu excitatur, dum intra carceres inquieto motu pedes attollit, dum signum exspectat, tristis nuntius de benignissimi Parentis obitu omnia intervertit. Quid ageret orfor? Occiderat unicum in rebus humanis perfugium, spes in cognatis nulla, quibus hæc relinqui curam committeret. Obsessi militibus itinera: Ipsa patria bello ardebat undique, & tristis ubique rerum facies. Deliberanti tamen potior visa est sententia, redire domum, & rerum suarum curam in se suscipere. Discessit ita, salvus quia invisi & gratissimi, & turbidis oculis tolendo respectans tandemque patriæ difficultates eluctatus Lipsiam rediit. Rediit simulac amor literarum, & ad altiora impetus. Decimo septimo ætatis anno Magistri renunciatus Witebergam è vestigio petit magnis eo tempore nominibus inclutam. Quæ enim literæ tam ingratæ, tamq; rudes, quæ Röberi, Lyseri, Hülsemanni,

Digitized by Google

manifestam ignorent? Hic non finem
mine Weileri, jam tum ad eruditam illi
lam, qua postmodum eminuit, eruditi
tis contubernio usus, quæ tota fama ex
pertus est. Integro quippe quadriennio a
latere hujus Viri non discessit. Longum
esset commemorare, quo fervore Theo
logos summos audierit, quam perenni
studio in sanctæ linguæ cognitione pene
rarit, quoties ex Cathedra publica non
spem modo, sed & fiduciam futuræ ma
gnitudinis fecerit. Quis enim neget pul
cherrime florentem arborem, quam tot di
bus & fecunditate sua laborasse con
pexerit? Hos fructus ut Patria omnium
orima colligeret, æquum erat. Proinde
amicorum invasu hanc revisens, D. Henri
co Höpfnero adhæsit, qui ultimam per
fectæ naturæ limam adhiberet, postremas
exquisitissimæ tabulæ lineas duceret.

Tum vero late se diffudit jubar ipsum
ideris, & Lipsiam primum, paulo post
& Misniam totam fulgore suo implevit,
donec radii etiam ad exteros se penetra
rent, & orbis, qua patet, literaris oculos
in se converterentur. Anno quippe seculi
hujus trigesimo nono, Ebraicæ Linguæ
professioni admotus, vix dici potest, quan
tum utilitatis in publicum contulerit.

Parum

Parum quoq; abfuit, quin vicina Saxonia intercipéret spes nostras, eriperet hanc gloriam Lipsiæ admonitu D. Welleri de tanti viri doctibus edocta; nisi Patria, velut injectâ manu illum retinuisset, cui nutricia scilicet sua adhuc debebantur. Functioni Ecclesiasticæ ad D. Nicolai adhibitum, novo velut vinculo alligavit, æmulorum nubium quodam metu adducta.

Nec quievit deinde, novis subinde nodis civem suum implicare, donec per gradus illum ad supremæ insulæ dignitatem duceret. Prudentem urbem, quæ bona sua agnoscit, felicem quæ retinet! Beata erat hoc animarum Pastore Lipsia; si quicquam in rebus humanis beatum. Ipse etiam Beatus D. GEIERUS, velut apicem supremum adeptus spes novas dabat, & divinis laboribus intentus ex cathedra Academica, & suggestu Ecclesiastico suos docebat, pascebat, erudiebat summâ diligentiâ, majore curâ, maximo labore. Sed quam difficile est, tantæ virtutis pulchritudinem sine rivali possidere! Accidit enim, ut totius Ecclesiæ magno detrimento, omnium bonorum luctu Dominus D. Jacobus Wellerus, Electori Ensifero à Concionibus Aulicis primariis mortalitatis legem impleret,

&

Digitized by Google

& dignus tanti Sacerdotii succeſſor ab ipſo Principe quæreretur. Expavit Lipſia, & in eventum rei intenta ſollicita pietate trepidabat. Nota jam GEIERI Virtus, ingens fama literarum: non minor cordatæ pietatis atque prudentiæ, cum ſumma modeſtia & manſvetudine temperatæ, quam ultimam partem orationis meæ mihi propoſitam eſſe memini. Actum enim egero, ſi de perfectæ ſapientiæ laude prolixior ſim, quam etiam me tacente tot editi libri, tot Commentarii non teſtantur, ſed clamant. Nihil tam impeditum, quod ille prudenti conſilio non expedire, nihil tam intricatum, quod facile ille ſolvere non poſſet. Tanta Viro Prudentia, tantus rerum uſus, tanta ſagacitas erat! Dum autem Philurea ſpe retinendi, metu mittendi torquetur ipſa fama, præjudicium interponebat. GEIERUM oculis, GEIERUM ſermone omnium, GEIERUM tantum non porrectâ manu demonſtrabat. Et facilis erat conjectura. Quis enim alius meliore fide deferrũ onus ſubiret, quam cui pares humeros DEUS, induſtria, Virtus finxerant? Quid autem Noſter? Hic ego Protogenis penicillum optarim, qui mihi Viri curam, metum, ſollicitudines, angores, dubitationes, in-

Digitized by Google

una tabula pingeret. Satius tamen forte fuerit sub Timantis velo abscondere, quod nulla eloquentia satis exprimere potest. Interpellatus enim super hac re ab Illustri Barone Domino Carolo de Frisen (cui Heroi, Obadiæ nostrarum Ecclesiarum; addo & Scholarum Clementissimum Numen æternum bene faxit) in magno æstu constitutus erat. Quin diserte potius negabat, se parem oneri huic ferundo. Rogabat, deprecabatur, obtestabatur, ut in aliam quamcunque partem vota transferrentur. O raram seculo nostro virtutem! O corvo albo magis infrequentem animum! Ego quidem quid magis in GEIERO admirer ambigo. Ut enim pietas venerationem, sapientia gloriam; ita modestia amorem, plausus, clamores excitat. Sola mansvetudo, sola modestia est, quæ reliquas Virtutes publici juris facit, & in usum etiam vulgi temperat. Quæ virtutes ingenti huic Viro adeo propriæ fuerunt, ut nec adolescens quidem, in Academicâ illorum temporum licentiâ constitutus ullum unquam Hominem læserit, aut vel levissimæ offensæ ansam præbuerit. Jam cogitet mihi aliquis calorem Juventutis, spiritus plerorumque (ne dicam omnium) Studio-

Digitized by Google

tudioſorum: tam diverſa, cum quibus onverſandum, ingenia: denique totius :culi in iras & rixas propenſi perverſita- :em. Vah quoties etiam optima ingenia hanc Charybdim abripiuntur! Forti- ido eſt, ſi Diis placet, ex quacunque re; x verbo etiam, ſi mentem dicentis ſpe- :es, innoxio occaſionem iraſcendi, ma- dicendi, rixandi, digladiandi arripere. Tanto ſcilicet generoſius, quanto promtiùs & inconſultiùs. Quid autem Noer? Quis credat? nunquam cum quoquam in gratiam rediit. Hic non audire modo, ſed & videre mihi videor Cylopas quosdam triſti faſtidio, maligno ſu, labia diducere, & metum interpreri, quod manſvetudinis laudem habet.)ui ſi didicerint, quid Homini, quid hriſtiano conveniat, ſua potiùs vitia bdicarent, quam aliorum virtutem rehenderent. Sed quid facias illis Thranibus, qui ignoſcere, placari, iram prenere, injurias diſſimulare, abjectum & rvile judicant; indignari verò, manum nſerere, furere, vulnerare, occidere, eneroſum. his gradibus ad famam ac auoritatem eſſe graſſandum. GEIERUS utem Theologorum mitiſſimus, longè lia ratione uſus multa pertulit, plura

Digitized by Google

ignovit, plurima dissimulavit. Ita tamen, ut & summo officio sua constaret autoritas, nec nimia lenitate, licentia peccandi augeretur. Indignantem vero & exardescentem Zelo Pietatis ferre quis potuerat? Utraque enim noxia, & immoderata lenitas, & nimia asperitas. Qui inter utramque modum tenuerit, sapiens prædicandus est. Beatè defunctus autem quoties ex suggestu vitiis irascendum erat, quam cautè medium tenebat. Nihil asperi in ore, nihil in vultu irarum. Altissime tamen penetrabat ille nostri seculi Chrysostomus, & aculeos infigebat adeò profunde, ut, cum tela promiscuè spargeret, nemo tamen sine vulnere discederet. Ah mi Christiane, dicebat, placido & composito vultu; cogita, perpende, examina. Et sic vulneribus patebant conscientiæ, nec ad convicia, aut asperiora sermonum indurabantur. Demittere autem se ex fastigio Virtutum suarum, & obliviscì magnitudinis suæ, nobilissimis tantum animis concessum est. Quâ virtute adeò excellebat Excellentissimus Vir, ut mirifica quadam arte amorem cum autoritate temperaret. Inde quotidianum illi excusare moram admissionis, querelas admittere, solari, polliceri, ad scalas usque comi-

Digitized by Google

omitari ferme ultimi commatis homines, veniam petere fruſtrati eventus. Adeò ipſe menſuram ſuam ignorabat! adeò faſces ingenii ſubmittebat! Viri autem tanti Candorem, Juſtitiam, Abſtinentiam, Temperantiam, reliquasque ingenti numero Virtutes ſi commemorarem, quid aliud facerem, quam crudeli manu cicatrices nondum bona fide obductas reſcinderem? Ad mortem verò Viri immortalitate digniſſimi cum me vocat orationis ſeries, toto corpore cohorreſco. O feralem illum Annum, & damnis noſtris clarum, qui, ut plebeja funera in cenſum Libitinæ non veniant, tot Principes Viros abſtulit, Electorem Clementiſſimum abripuit, GEIERUM ſepelivit, totam provinciam turbavit! Vix ides habita tam triſti famæ, quæ tertio duum Septembrium valentem, & integra valetudine cum vidiſſet, pridie, ix orto mane non ægrotare, ſed obiiſſe nunciabat. Atq; utinam hic potius ingenium ſervâſſet, alioqui mendaciſſima! Verum & hoc nomine perverſa ille, quod læta falsò, triſtia, ut habent, nunciat. Beatus quidem ille, quod, cum temperantiſſimè ſemper viveret nullâ valetudine tentatus celeri morte, citra ullum

Digitized by Google

doloris sensum tenues vitæ reliquias, ut ipse non sine omine appellare solebat, deposuit. Nos verò tanto miseriores, quod nec opinantibus ista clades accidit. Mitior enim dolor, qui gradibus quibusdam adversæ valetudinis ad desperationem, denique & complorationem nos deducit. Uno autem ictu succidi tantam felicitatem, id verò triste, id incredibile videtur. Equidem fateor, si unquam aliàs, hoc loco egregiam occasionem dari versandi animos, miscendi affectus, dolorem, metum, misericordiam movendi. Sed & mœror meus vocem strangulat crebro singultu interruptam, & iniqvus lacrymarum interpres metuendus est, quas imperiosus dolor jam elicit. Consultius itaque premere eum. Quocirca desino, & nihil subjungo, præterquam:

VIXIT HEU VIXIT
D. MARTINUS
GEIERUS!
PERIIT REGULA,
PERIIT EXEMPLUM
PIETATIS,
SAPIENTIÆ,

Digitized by Google MODE-

MODESTIÆ,
MANSVETUDINIS.
USQVE ADEO GENERALIS REGULA MORTIS
NULLAM PATITUR EXCEPTIONEM.
LAMENTATUR VIDUA,
FLENT LIBERI,
MOERENT COGNATI,
LUGET FREIBERGA,
OPTANT AMICI,
DESIDERANT CLIENTES,
ADMIRANTUR HOSTES,
LAUDAT INVIDIA.
SOLA MORS OCULIS ORBA
AURIBUS CARET,
LITERAS NESCIT,
DISCRIMINA IGNORAT,
INHUMANA, RUDIS, BARBARA.
VOS MORTALES
DISCITE, SAPITE, CAVETE,
VALETE.

Digitized by Google

M. JUSTI GOTOFREDI RABENERI,

IN LAUDEM NOBILISSIMÆ FREIBERGÆ

ORATIO OBSIDIONALIS.

EX-

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO
THEOLOGO
JOH. FRIDERICO
MEIERO,
PASTORI AC SUPERIN-
TENDENTI GRIM-
MENSI
IN
AMICITIÆ TESSERAM.

Digitized by Google

DIu parturivi, Vir Excellentissime, specimen aliquod, ex quo & posteri intelligant mutuum inter nos amorem viguisse; sed cum ex septis nostris non nisi frigosæ & deformes victimæ exirent, nolui virtutes tuas (quas seculum miratur; ego vero audaciore affectu quoq; amo) vilibus næniis contaminare. Videbam autem, si expectandum foret, dum pulchrior fœtus & digna Te Susceptore proles ex me nascerentur, citiùs elephantes parituros. Interea dum in omnem deliberationis meæ partem lippientes quasi circumfero oculos, festinato quodam abortu ejecta est hæc, quam vides Oratio. Quid agerem? Malui vilibus teruncis creditori satisfacere, qui in aspero non habeo, quam omninò malum nomen videri. Ignosce verò ambitiosulæ spei Rabeneri Tui, qui credo schedulas has tam fragiles, tam incomptas benè ætatem ferre posse, & me morosis illis censoribus excusa, qui diductis maligno risu labiis carduos

Digitized by Google

duos noſtros pro lactucis depaſcuntur. Illos dico veſpertiliones, qui cum nihil unquam ſui publicæ luci credere auſi fuerint, dictaturam tamen ſine ſuffragio populi gerunt perpetuam, omnibus præter ſibi iniquiſſimi. Coloribus vivis deſcriberem Tibi homines, niſi Te nos ſe crederem ridiculam majeſtatem & Grammaticum illud ſcholaſticæ frontis ſupercilium.

Eheu quid volui miſero mihi? floribus Auſtrum
Perditus, & liquidis immiſi fontibus apros.

Dum enim declinare maledicos dentes laboro, irrito. Conſultum erit occupare morſus, & ultrò fateri indigna hæc eſſe, quæ Tuo Nomini, Amice maxime, inſcribantur. Secutus ſum non dignitatem opuſculi, ſed affectum meum, ſed amorem, quem Tibi probare quovis modo velim. Et, ſi quod præjudicium pro me interponere licet, digna viſa Patronis meis Oratio, quæ ipſorum ſumptibus prelo ſubjiceretur, atq; ex ſcriniis meis in Solem prodiret. Quorum ego ſententiam, nihil mihi blanditus pluris æſtimo, quàm Momi indeclinabile virus. Vale, Vir Excellentiſſime, & ab hac pe-

Digitized by Google

ſte

ſte amorem Tuum integrum mihi ſerva!
Ita conſtabit mihi opellæ hujus pretium:
ita meo etiam judicio voti compos ero
ſvaviſſimi.

FReiberga clara maximis virtutibus,
Quas poſteri miren;ur omni ſeculo,
Non æmulentur, hacce fronte ſuſcipe,
Qua porrigantur civium præconia
Confeſſione veritatis debita.
Si verò magnitudinem non aſſequor,
Non culpa noſtra, ſed tuæ virtutis eſt.

JESU

Digitized by Google

JESU JUVA!

Si quis penitiore oculo totam festorum rationem intueatur, gaudii & doloris quædam semina custodire illa deprehendet, qui duo affectus hominum actionibus ex æquo ferme intercurrunt. Ut enim beneficiorum divinorum memoria lætitiæ quodam sensu mentes nostras titillat: ita calamitatum recordatio contra lancinat, totiusque gaudii cursum molesto interventu turbat. Insignis tamen diversitas vel incuriosorum oculis sese sistit in eo, quòd divinitùs instituta, festa lætioris plerumque argumenti sint, sive amantissimum generis nostri Numen ita calamitates interpolare, sive animos à terrenis miseriis ad cœlestem lætitiam erigere voluit. Quo factum est, ut Judæorum Sabbata, Neomeniæ, Paschata, Jobelæi, & pleraque alia illorum festa lautioribus epulis, lætioribus hymnis, omni denique animi remissione celebranda ab ipso Deo

Digitized by Google

Deo præciperentur. Unum expiationis magnæ diem excipio in memoriam lapsus Adamici, qui hoc die contigisse creditur, institutum. Idem habent Christianorum quoque feriæ, nisi quod anniversaria passionis recordatio, multis tamen Theologorum improbantibus, mœrendi religionem imponere videatur. Quæ verò festa hominibus originem debent, triste quippiam & luctuosum præ se ferunt. Hinc dies occupatæ Hierosolymæ, exusti templi, occisi Gedoliæ & alii luctuosissimè & hodiè peraguntur, ut est illa gens ad flendi facilitatem, dolorisque simulationem maximè prompta. Non alia ratione Romani quoque fasti atros quosdam dies actui rerum eximunt, infaustæque Idus calamitatem Alliensis prælii luunt. Quid Cannas jam loquar, & proximum quemque post Calendas, Nonas atque Idus diem pari superstitione damnatum? Ut autem rebus publicis nullum majus infelici prælio accidere potest damnum, ita nec victoriâ beneficium. Inde apud eandem gentem Februarius Tarquinios superatos, Aprilis ludos ob victoriam Cæsaris, Augustus ejusdem de Hispa-

Digitized by Google

Hispania citeriore triumphos, September Actiacam felicitatem diu custodiere. Atque indefluxit etiam tota supplicationum religio. Quoties enim Senatui literæ laureatæ ab Imperatore quodam afferrentur nunciantes justam ab hostibus victoriam, mandato ejus templis apertis ad omnia Deorum pulvinaria per aliquot dies supplicationes instituebantur. Hostiæ mactabantur, epulum dabatur, populus pro beneficio accepto gratias agebat, & vota pro felicitate urbis ac imperii concipiebantur. Neque id apud Romanos primitus cœptum. Ipsæ etiam sacrarum literarum Pandectæ expressissima hujus rei retinent vestigia. Ita enim Josaphatus post memorabilem illam contra varios hostes victoriam cum suis in vallem laudationum convenit gratias acturus. Sic Mardochæus dies Purim instituit, quibus Soteria DEO pro liberatione populi Judaici redderentur. Ita Judas Maccabæus victoriarum suarum memoriam anniversaria gratulatione consecravit. Idque pia ratione semper imitati sunt Christiani, quoties armis rem benè gesserunt, & hodie quoque jure meritoque imitantur. Si enim Draco-

Digitized by Google

Dracones, si Leones, si ferociſſimæ quælibet beſtiæ beneficiis vincuntur, & quocunque poſſunt modo benevolentiam erga benefactores ſuos teſtantur, quanto major opera & homini danda & Chriſtiano, ut gratam mentem omni ratione oſtendat, &, ſi non aliter, ſaltem gratuito verborum honore beneficia deprædicet.

Romanorum Imperatores in ipſo prælii ardore fana vovebant, & prædæ decimas & anathemata templis, & victimas Marti, aut hecatomben futilibus Diis. Noſter verò DEUS opulentior quàm ut beneficiis noſtris indigeat, & ſanctius in cordibus hominum colitur, quàm templorum quamlibet magnificentiſſima ſtructurâ. Aut, ſi tantus amor benè faciendi, egenos habemus, ubi melius anathemata noſtra reponuntur, & in quibus quovis adyto præſentius Numen. Quia tamen grati & ingenui animi eſt beneficium; ſi referre non poſſumus, ſaltem agnoſcere & deprædicare, nos quoque pridie hujus diei ex inſtituto majorum in omnibus templis autorem ſalutis noſtræ venerati ſumus, Evchariſteria ſolvimus, & hodie eidem pietati perlitaturi

Digitized by Google

turi in auditorio hoc conveniimus. Nisi oppidò fallor, tria cumprimis sunt victoriæ momenta, quæ ex historia obsidionis ultimæ maximè elucent, (quamvis & fides erga Principem huic urbi jam olim propria communem mensuram superet) civium erga Pietatem, Concordiam, Fortitudinem, quibus optima Freiberga ex hostium faucibus erepta, non sine admiratione totius Europæ feliciter triumphavit. Quæ tria, dum brevissimè explico, pro mensura ingenioli mei favete, quæso, animis, favete linguis, favete auribus.)

QVadragesimus jam annus est, cùm Calendæ Januariæ civium alias gratulationibus, pisque votis consecratæ eorum non funesto sidere illucescentes non vocorum modò, sed & aurium usum abstulerunt. Quamvis enim tertio & pridie Calendarum hostili fulmine propugnacula nostra atronita magis, quàm percussa sint, ludus tamen & jocus, & ex pulvi fulgur videri poterat. illud, si quæ deinde secutæ sunt, quis æstimet, quando non toto vertente biduo bis mille quingenti ictus & ultra in urbem nostram excussi sunt, ex violentis illis machinis, quibus etiam serenæ

Digitized by Google

aëre iratum cœlum imitatur crudelis hominum, & in ſui ſaltem perniciem ingenioſa ſolertia. Confederat proximè urbem, & intra jactum minoris teli hoſtis recenti ad Lipſiam victoria ferox, & velut impetu quodam continuæ felicitatis illam obruturus. Illud quippe cladium magnarum ſolet eſſe ingenium, ut non modò eos, qui in acie ſuccubuerunt obnoxios victori faciant, ſed & latè terrorem dent, reſiſtendi audaciam minuant. Quæ ut augerent, ſatis protervè utebantur Sveci felicium armorum ambitu Briſacum, Ratisbonam, Glogoviam, Lipſiam, (at quantas urbes! quàm egregiè munitas!) ceſſiſſe armis. Noſtram verò nec munitionibus, nec præſidii virtute parem. Nullam à victis partibus ſupereſſe ſpem ſuppetiarum. Dederet ergò ſe ocyus arbitrio victoris nondum irritati, quod ni faceret, extrema omnia experturum, nec prægnantes extra ſævitiam militis fore. Quid ageret optima urbs? Quantum valeant Svecorum arma tota Germania ſuis cladibus, & ipſa incendio populoſiſſimorum ſuburbiorum didicerat. Enimverò non turpè modò obſequium, verum quoque periculoſum eſſe dedere ſe

Digitized by Google

si perfidis, cives proximo ante decennio seruerunt ab Holkiano militum non ad extremas inopias redacti. Defendendae ergò moenia & pro aris, focis, patria, conjugibus, liberis, fide, libertate dimicandum animose. Haec sententia postquam & honestior visa & securior, omnia ad defensionem ita sunt comparata, ut nec imbellis quidem aetas, nec imbecillior sexus inutilis haberetur. Sua & illis arma sunt tradita: non cassides, non thoraces ferrei, non tela, non gladii, sed preces, vota, suspiria, lachrymae, gemitus ex sanctiore pietatis armamentario deprompti, quorum vim superioris obsidionis felix Catastrophe commendaverat, cùm ejusdem gentis arma hisce ἀμυνητήριοις pertusa, fracta, fugata sunt. Quoties enim exacerbatus hostis in moenia assultum parabat, signum in omnibus templis campana datum, & ad spiritualia arma conclamatum est. Vidisses ibi omnibus viis pallere senes, trepidare anus, exanimari matronas quodam lachrymarum ambitu, flere puellas, plorare pueros, aliosque, qui nondum ad virile robur per adolescentiam iter peregerant, ad

Digitized by Google

fana ruere, vultus omnium lachrymis mundari, alios manus ad cœlum tollere, alios in humum se abjicere, omnes fervis precibus & ardenti fide numinis fidem obtestari, implorare auxilium, miserari se suosque, denique totius patriæ salutem commendare. Multi, quibus langvor jam in genibus, aut quos festinatio præsentissimi periculi oppresserat, in ipso foro atque vicis prosternebantur, & querula voce socia arma de cœlo suppliciter invocabant, adeo, ut imbelles isti non paucioribus assultibus cœlum, quam Sveci mœnia invaderent. Nec intra hos pietas subsitit; sed ipsi in vallo armati, dum in omnem timoris sui partem sollicitos oculos circumferunt, & mortem semper in procinctu habent, precibus præeunte Ministro Ecclesiæ vacabant audientibus & irridentibus calamitosam religionem in fossa adversaris. Eant nunc Ajaces nostri, & imbellem pietatis affectum dictitent, & subauto ramento scelerum atque dirarum militem probent.

Tunc certè deprehensum fuit preces ex ipso periculo vires capere, devoti pectoris ignes calamitatum velut quibusdam follibus succendi: tunc veritatem

Digitized by Google illius

illius oraculi: Quando justi multum valent, quasi manu prehendere licuit. Ipsos hostes confitar, quoties pulsum campana in Audomaro, nescio quod frigus circa præcordia sensisse, ferociam remisisse. Exsequiis suis ferale signum interpretabantur, cùm in medio furore armorumque procinctu tacerent, ignem, cædem, vastitatem, stupra spirantes. O miram horationis efficaciam! O stupendam vim precationum! DEUS, DEUS est, qui mari, qui animum, hostibus arma adimit. Quoquo certior effet suorum Noë fides, vix primum comparuerat, hostium agmen, ex excubiis dispositum erat, cùm ecce pulcherrimus iris conspectu omnes bono animo implet, tam certos, quòd & anni tempus alienum & hiems soliti indementiam sæviebat. Hoc certe signo olim divina clementia casus humanos post cataclysmum miserata fœdus pepigit, securitatem orbi promisit, & Noachum bene sperare jussit. Et ne quis cavillari queat, vidisse & Munzeri lectatores rusticos eadem, quæ horis a Principum exercitu cæsis & dissipari fuit, aliis quoque argumentis benevolentiam suam adstruxit DEUS. Vidi enim in cœlo flammantes globi, audita

Digitized by Google

insolita tonitrua, imbres ignei & sangvinolenti in castra decidére. Venti & tempestates horrendum in modum in opera hostium incubuére, & quod miraculo propius crux nigra è nubibus adversùs oppugnatores movit, tantum non expressis literis monstrans, in quo signo nobis vincendum esset. Quid aliud restat, quàm ut plenus gratulatione, plenus admiratione acclamem Freibergam:

O nimium dilecta DEO, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti.

Quid mirum ergò, cives ac præsidiarios commilitio cœli fretos tàm strenuè rem gessisse? Globi verò machinarum & reliqui generis pyrobolia, quàm impunè sæpè per medios homines transiére, quàm parcente impetu! Laborat fermè annalium fides, nisi viverent hodieque, quorum succenturiata auctoritas rem firmaret. Sed quid insolens, si successibus caruére impiorum conatus? Turpe dictu, & ad infamiam non modo gentis; sed seculi fermè pertinens, dicendum tamen Templum Xenodochii nequiter profanatum, laquearia dejecta, suggestus, imagines, epitaphia, sedilia igni combusta, &, (horresco referens) ipsa imago

Digitized by Google

imago Crucifixi positis in altari ipso flammis nefariè ustulatum. O funestam rabiem! ô belli furias! Non satis erat templum ipsum vastâsse, ædes destruxisse, fodinas corrupisse, arbores frugiferas exscidisse, nisi etiam Salvatoris sacratissimi effigies hostiliter tractaretur. Usque adeone bella DEUM, pietatem, conscientiam ex mentibus eliminant! Quis hoc non dico expectâsset, sed saltem relatum crederet de nostræ religionis hominibus? Cur enim à partibus nostris stabat, quem sub hujus supplicii forma veneramur? At quanto religiosiùs gentiles olim sanxerunt: Si quis in templo homini injuriam fecerit, illumque pulsaverit, decem millia denariorum det ei, cui injuriam fecerit, decem millia civitati. In templo enim verbis parcimus, in templo animos componimus, in templo etiam mentem nostram custodimus. In templo etiam coronâ captis urbibus vis hostium ac metus religione defenditur. Qui jam arma ferre non possunt, qui salutem suam tueri fugâ nequeunt, circa aras jacent. Quanquam excusatiùs eo tempore castrensis furor peccat, quòd difficile est ultionis terminos non super-

Digitized by Google

gredi, difficile iram quodam quasi reverentiæ freno cohibere. Quid autem hic simile? Sed pudet immorari tam fœdo argumento: pudet ulcera quodammodo religionis publica tangere.

ITaque ad alterum illud transeo de concordia ejus temporis dicturus, tum civium inter se, tum præsidiariorum cum ipsis. Rara virtus, præsertim si nostros annos æstimes, & proclives in alia omnia mores. Sed nondum ambitio, & turpis illa de loco superiore contentio diffidiorum semina heu nimium fœcunda tam latè dissipaverat: nondum virus suum interposuerat conjunctioni animorum; non invidia proxima quæque depascebatur. Suus Senatui honos, sua Sacerdotibus veneratio, sua literatis dignitas, suus cuique cultus manebat. Nemo lividis oculis alterius incrementa aspiciebat: nemo indolebat alienæ felicitati. Vigebat inter cognatos amor, inter Collegas fides, inter vicinos familiaritas, ubiq; pax, integritas, risus, joci innocui. Fratres crederes, & ex una familia, uno sanguine omnes. Nunc autem. Sed cessoin publicos mores invehere, quibus impar est Respublica, cùm illud nec muneris mei, nec propositi sit. Verendum quoq;

Digitized by Google

ne

rie sub larva publicæ indignitatis meam causam agere videar, qui tamen per vecordissimo cuique facile eodem Periculorum genere se illis in locis committere, ubi non merita, non æquitas, non præjudicia, sed superbia, impudentia, etiam protervia regnant.

Nec inglorium mihi cum bonis literis succumbere, quarum intermortuam gloriam ex suis cineribus nemo forte vindicare poterit, licet ipsas Musas in advocationem adduceret. Illos potius miremur & videamus, qui Rempublicam concordia sua salvam atque incolumem nobis præstiterunt.

Erant illi Georgius Hermannus de Schleiniz, præsidiarii militis Ductor, Georgius Fridericus Schönbergius, rei metallicæ supremus Præfectus, Jonas Schönlebius Consul, quorum nomina etiam in posteris veneramur, admiramur, diligimus; civitas autem meritis ipsorum solvendo non est, nec virtutis mensura ultra exire potest. Hi una mente, opera, consilio, manu in civium salutem, hostium perniciem ita incubuere, ut nec livor quidem inter fulgentes ipsorum virtutes locum invenerit, sed gloria etiam ad Imperatoris Ferdinandi III. aures perlata

Digitized by Google

ingentem tanti Principis favorem ipsis conciliaverit, quod testantur tot literæ, si tam humili verbo uti licet, penè familiariter scriptæ. Aperta vi grassabatur hostis: pugnabant cives & milites in pari periculo pari affectu. Cuniculis res agebatur? Metallici subterraneis itineribus adsueti contrarios effodiebant dolos. Clandestinis nunciis opus erat? Iidem notis diverticulis illapsi alibi occultissime emergebant, quis hostium status, quæ spes suppetiarum certâ fide referebant. Magnum utique in bello momentum. Erumpendum erat, & hostes in opere turbandi? Nemo pericula, vulnera, mortem detrectabat. Unus propugnatorum occubuerat, ut solet Mars esse communis, omnes ingemiscebant, omnes in vindictam accendebantur. Vulneratus quis erat? Fomenta, solatia, emplastra certatim afferebantur. Igne injecto sæviebatur? Undique accursus fiebat. Denique milites, cives, fossores, agricolas, mechanicorum tirones unus amor, velut pro communi patria, unus ardor in hostem concitabat. Jam minus miror Numantiam, parvum Hispaniæ oppidum toti Romano imperio non modo par, sed

&

& superius, sed formidolosum. Concordes enim erant cives, & quo validius foris premebantur, hoc arctius domi coalescebant. Concordiâ, concordiâ inquam, res parvæ crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur. Illa Divæ etiam Freibergam eo tempore servavit, sicut hoc contra monstrum Romam civilibus odiis concitatam tandem funditus everterit, & nostram, ut nunc se res dant, (quod tamen DEUS omen avertat,) Germaniam pessundabit. Rara alias concordia civium atque militum, quos illi odére, velut ex alio elemento monstra; sive istud studiorum diversitas facit, sive damnorum subinde recrudescens memoria. Pacis quippe alumni sunt cives, hi bellorum. Illi juris & æqui, hi injuriarum atque rapinæ. Modeste illi agere & quietè; hi omnia violenter, impie, minaciter. Eo tamen tempore tantus utrorumque invicem amor, ut & hi hospites suos diligerent, & illi commilitonibus bene facerent. Cretenses ajunt civilibus inter sē odiis plerumq; dissentientes, quoties externa vis ingrueret, factis induciis communem hostem adortos esse. Quo factum, ut Syncretismum appellarent falsa illa coactæ pa-

cis

cis simulachra. Sed nostra illa non ex communi periculo societas fuit, quod aliquando lupum & capram exundantibus aquis in una glaciei fractæ tabula conjunxit nihil invicem hostile ausos. Duravit enim post obsidionem quoque hospitii fides, & nullæ usquam querelæ, jurgia, lites auditæ. Testantur illi, quos sarum suum superstites hodie reliquit, qui non sine aurium voluptate illam velut ex aureo seculo pacem animorum, mentium fraternitatem nobis commemorant. O nos beatos & ad invidiam fermè felices, si quis postliminio hos mores nobis reduceret! Et si hæc sola ratio est, quæ clandestino pure exulceratos animos combinare queat iterum, ut tempora simul redeant, prope est, ut quamvis trepido ore, & refugientibus quodammodo intra septa sua verbis exclamem, tanti esse, modò sponsorem paris fortunæ haberemus.

Quid enim toti huic, quacunque patet, universo incolumitatem præstat? quædam elementorum inter se concordia. Quid in aurei seculi felicitate utramque paginam fecit? concordia. Quid humani corporis compagem ex diversissimis principiis compositam intra sanitatis circu-

Digitized by Google

circulum cohibet? Concordia. Corrumpere hanc, & omnia diffluere, omnia peſſum ire, ipſum denique mundum in antiqvum chaos redire videbis, quæ rudis indigeſtaque moles priusquam legem acciperet,

Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis,
Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.

Et quia ſemel juſtiſſimi deſiderii pietas orationem ad Poëtarum numeros evexit, non poſſum pati, quin extremum hujus quoque partis ſpiritum deponam in ejusdem Sulmonenſis verſu ſequente:

Hanc Deus & melior litem natura diremit.

REſtat jam ut ad ultimam, &, ſi judicio hujus ſeculi ſtandum, præcipuam partem meæ orationis deveniam. Ad magnorum enim operum ordinem jam defluximus. Fortitudinem dico, illum generoſæ indolis fœtum, illam gloriæ ſublimioris pronubam. Quamvis enim pietas ſuam laudem habeat, nec concordia de ceteris metalli puretum, neſcio ut [illegible] hominum, ſive vitio, ſive prejudicio [illegible] ſuo animi velut plenior ſidere radiante ſplendens illuſtriores radios ſuos [illegible] & magis in oculos incurrant. Quod verò multi [illegible] vel gaudia facit

facit diversitas, vel audaciæ victimia, vel quod cædibus & sanguine pascitur, exultat super stratorum corporum strages, & palpitantibus adhuc cadaveribus lacer insistit. Piratarum vero & prædonum fortitudinem nemo laudaverit. Si autem pro patria pugnare, vincere, mori contigerit, tum vero omnium admirationem & clamores excitat. Nostri autem quam strenue se gesserint, melius intelligi non potest, quam si hostium vim, pertinaciam, dolos, & desperatos plane assultus perpendemus. DEus bone quanta hic laudum seges panditur, quam uber elogiorum campus! Agnosco hic oris mei infantiam. Quæ enim eloquentia, quæ grandiloquentia oris mei illarum bellicarum boatus dicendo æquet?

Non ego (si Poëtico cothurno incedere licet) *clamosum Hectora vincere possem,*
Non, mihi si linguæ centum sint oraque centum,
Ferrea vox,

id dicere sufficiat, nihil hostes intentatum reliquisse, nulli operæ, labori, sanguini pepercisse, ut urbe potirentur. Ipsis cladibus velut sensibus suis expulsi accendebantur! pro fortitudine erat desperatio & insana quædam vindi-

Digitized by Google

vindictæ cupiditas. Urbs eo tempore nec vallo, nec aliis operibus munita horrenda machinarum violentia pulsata, quater mille & quingentis ictibus muri ultra viginti cubitos dejecti, illarum ruinis fossæ æquatæ, ex mortalis ingentia saxa & lapideus imber in oppidum dejectus, domus & tecta perforata, quatuordecim cuniculis suffossa pomœria & propugnacula urbis (præter eos, qui corrupti vel ablati nocendi vim amiserant) pyrioque pulvere funditus eversa. Jamque ipsi portæ Petrinæ cum vicina turri hostis victor incubuerat, & per plenum iter aditus in urbem furenti & cædem spiranti patebat. Nihil nostris ingenii abrupto flantibus superierat, præter ignea quædam opera in vicino vico opposita, eaque male integra. Cum Dioxippus pugil, eximia virtutum virtute, fretus cum Horrata Macedone, qui justa arma sumpserat, nudus congrederetur, plerisque ea res dementia, non temeritas videbatur, ut Curtius refert. Polydamanta quenquam Pancratiasten Eusebius memorat idem sæpius fecisse. Hæc si quis ad examen veræ fortitudinis revocet, observationem quandam agilitatis atque virium

rium fuisse deprehendet. Nostrorum vero animos quin generosa quædam & ex ipsa desperatione vires sumens contumacia armaverit, dubium planè nullum est. Erepta erat copia defensionis, cùm ex nostris munitionibus jugulum libertatis nostræ invaderet hostis. Palpitabat illa jam sub acie novaculæ, & tamen non reluctabatur vel pectoris oppositu viam hostibus intercluſura. Nunquam certè pertinaciùs pugnatum, quam cùm ultima fata propiùs admoveri viderentur, quam cùm spes quoque salutis eriperetur. Quæ cùm admirabundus perpendo, in mentem venit Romani militis, qui cùm Cannensi prælio amisisset utramque manum, & victor Pœnus arma detrahere vellet illi, truncis incubantem complexus morsu quo solo nocere poterat, nasum atque aures abstulit. Sic nostri jam victi, jam prostrati, jam amputatis omnibus auxiliis, repugnabant tamen; & invictum animum jam irruentibus opponebant, dum in officio vires erant. Quin multis illorum non modò ad vulnerum, sed & morborum patientiam dura vis obstinatio, adeò, ut vix ad gressum cederentur. Multi quinque continuis noctibus atque diebus sine somno &

Digitized by Google

respiratione in excubiis erant. Denique nihil ex utraque parte omissum, quod vel ad capiendam vel defendendam urbem virtus, ira, spes, desperatio excogitare potuit. Ipse hostis sæpe fatigatus inducias breves sibi non raro sumebat, quibus scribendis ad oppidanos literis & mittendis oratoribus inutilem eloquentiam ridicule consumeret. Nempe, quorum arma non poteris frangere, argumentis precariis pertinaciam expugnabis. Quoties autem istud fiebat, toties recidiva tempestas ipsius repulsæ dolore irritata toto furore recruduit. Sic venti solent inducias quasdam cum fluctibus pacisci, ut tanto gravius incumbant collectis in novam insaniam viribus. Sæpe etiam plus quàm humanis viribus se fatigari sentiens Svecus Ephesinas civium artes per calumniam causabatur, quibus omnes ipsorum conatus irriti redderentur, in ludibrium recideret. Ipse Torstensohnius totus in fermento jacebat pudore, ira, metu animam varie macerans, ut nec hieme, nec Torstensohnius, nec cladibus suorum quotidianis, nec precibus multorum, aut monitis de instituto evertendæ urbis, quam semel in ultionem odii sui destinaverat, se di-

Digitized by Google

moveri pateretur. Adeò pertinax ſpes eſt, quam humanæ mentes ſemel devoverunt. Librabat atque impingebat illum prodigioſa quædam contumacia in urbem noſtram inſtar teli alicujus, & caſuri non ſine noxa ponderis. Ignoſcite, Auditores, ſi extra me hoc loco abripior, & epinicion iſtud Eſaiæ jam fugam adornantibus ſuccino: Claſſicum canite populi & vincimini, & audite univerſæ procul terræ. Confortamini & vincimini: accingite vos & vincimini. Inite conſilium, & diſſipabitur: loquimini verbum & non fiet, quia nobiſcum DEUS. Illuxerunt enim paulò poſt Liberalia, ut ita dicam, noſtra, & hoſtis die 17. Februarii, metu adventantis Cæſareani exercitus, ingratiis ſuis coactus fuit ab obſidione cum pudore & ignominia tribus militum millibus amiſſis recedere, cùm in ipſa urbe ſaltem quinquaginta variis caſibus perierint. Nec mirum, cùm omnes obviis ictibus membra circumferrent, ſpiritumq; naturæ debitum patriæ utilitatibus abſumi optarent. Nulla enim unquam tam incruenta victoria contigit, quæ non haberet aliquam triſtitiæ recordationem. Stupebant & admiratione attoniti contem-

Digitized by Google

templabantur advenientes Cæsareani incredibilem vim hostium, laceratas turres, perforatos muros, fossam ruderibus illorum solo æquatam, ut unus illorum equo vectus per ea in ipsam urbem transcenderet. Mirabitur quoque omnis vetustas, sola virtutum incorrupta testis, illam Svecici militis famam, cui vix tota Germania par erat, illos armis inclytos, tot triumphis nobiles ad oppidum, si firmitatem spectes, ignobile ad ludibrium recidisse. Et ne casum putes (multum quippe in bello valet fortunæ arbitrium) idem hostis bis ab eadem urbe rejectus. Hæsit ad Freibergam deprehensa Septentrionis felicitas, inque eodem scopulo bis naufragium fecit. Hinc & longè lateque diffusa gloria hujus obsidionis, non aulam modò Cæsaream, quæ tum à nobis erat, sed & longe disitas regiones implevit, Alpes transcendit & Pyrenæos, maria transivit, ab absit invidia dicto, admiratione tantæ virtutis conscia Europa obstupuit. Non invidemus Thermopylis suum decus, & nocturni illius prælii felix furtum. Impenderint sane utiliter trecenti illi operam mortis suæ rebus communibus. Occinat ad ravim Maratho-

Digitized by Google

na ſuum loquax Græcia, & Salamina omnibus paginis obtrudar. Quid mirum, ſi viri fœminas, & ignaviſſimi hoſtis imbellium vicerunt? Hinc enim pecora, illinc lanii ſteterunt. Noſtris civibus cum veterano milite & exercitato, & tot victoriis inclyto dimicandum, ad pacis, quam belli ſtudia aptioribus. Sed quid ago? Non nobis, Domine, non nobis, ſed tuo nomini ſit gloria! Solebant veteris Romæ triumphatores lauream, qua coronati invehebantur, in Jovis Capitolini gremium deponere, pie ſane & modeſte victoriæ laudem Deo ſuo qualicunque tribuentes. Et nos humiliter confitemur cœlitus adverſus hoſtem noſtrum dimicatum eſſe. Is quem animum adverſariis abſtulit, noſtris addidit. Ille urbem, ille templa, ille Senatum, ille cives tutus eſt. Ita & majores ſenſerunt, cùm juberent anniverſaria ſupplicatione DEO agere gratias, cùm civicas ſuas & totius urbis obſidionalem coronam in ſinum DEI hoc ipſo decreto velut deponerent. Macti eſtote, viri fortiſſimi hac pietate veſtra, qui virtute veſtra, vicariis periculis, veſtro ſanguine patriam nobis conſervaſtis!

Tibi verò, ô æterne & Clementiſſime DEUS,

Digitized by Google

DEUS, omni animi submissione, gratias immortales decernimus, quòd robur masculum inspirâsti pro patria pugnantibus, ut animos supra pericula erigerent, vitæ ipsi renunciarent; quòd perniciem ab incolis, interitum à pomœriis clementer avertisti. Tuum est istud beneficium, tibi uni acceptam ferimus religionem, vitam, salutem, opes, incolumitatem, quam ad nos posteros quoque propagare pro inexhausta beneficentia tua voluisti. Conserva, quæsumus & perfice bonum opus, quod in parentibus incepisti. Da pacem, largire concordiam, & animos nostros igne pietatis accende! Protege nobilissimum Senatum, tuere venerandum Ministerium, serva cives, complectere omnes, quo semper solitus es favore. Ita & posteri nostri, cum nos decretoria hora per tacitos fallentesque cursus applicuerit fato, nomen Tuum celebrabunt votorum nostrorum rei. Valeat interceſſio filii pro nequam servis, satisfactio pro debitoribus, redemptio pro perditis!

***

Digitized by Google

AN & CUR
HODIE QVAM OLIM
MORIBUS CORRUPTIORIBUS
VIVATUR

ORATIO

M. JUSTI GOTOFREDI
RABENERI,
GYMN. RECTORIS
IN DEDICATIONE
RENOVATI AUDITO-
RII HABITA
ANNO M DC LXXXV.
MENSE JANUARIO.

* *

VIRO



VIRO
IN QVANTUM VIRTUS
ET EXCELLENS
MEDICÆ REI PERITIA
INTELLIGI POTEST
NOBILISSIMO
ON. D. JOHANNI
CHRISTOPHORO
STRAUSSIO,
AMICO OPTIMO
MAXIMO
SOSTRI LOCO
OFFERT
QVI VITAM ILLI ET VALE-
TUDINEM POST DEUM
DEBET.

AUTOR.

JESU ejuva!

SÆpe numero multorum ſenum querelis interfui accuſantium, non ſine triſti recordatione præteriti temporis, effœtam infelicitatem ſeculi noſtri, in quod inviſam vivacitatem propagaſſent. Ruere omnia in pejus & ipſam naturam deficere: Elementorum vim exſtingvi, agros quondam fœcundos ſterileſcere, herbarum vires hebetari. Imprimis autem morum corruptelam deplorabant, qui jam non haberent, quo progrederentur amplius ſummum nequitiæ gradum paucis ante annis adepti. Juventutis ſuæ tempora fuiſſe feliciora, & quædam ex aureo ſeculo ramenta fidem originis ſervâſſe. Vixiſſe homines ſumma concordia, candore, pietate. Nunc autem fraudes, dolos, deceptiones, rixas, diſſidia, & quicquid in pejus notabile eſt paſſim vigere. Refrixiſſe omnem fere religionis amorem, nec quen-

Digitized by Google

quenquam esse, qui quidem volens & sponte sua vel teruncium ad templorum subsidia atque ornamenta Scholarum impendere velit. Atavos autem nostros, Deus bone, quam magnificas ædes exstruxisse honori falsorum Numinum, quibus nisi jam ad sacra nostra uteremur, sub divo operandum esse. Ipsum hoc è regione templum quod D. Virgini dedicatum, ex eleemosynis in hanc majestatem surrexisse, quarum summa septuaginta duobus millibus florenorum fuerit æstimata, idque eo tempore, quo rerum esculentarum & potulentarum annona exstiterit vilissima. Scholas autem planè negligi, deformesque ruinas inter obsoletas sordes vix fulcris passim admotis differri. Male & anguste habitare bonarum Literarum Professores, & tantum non ipsa ædificia probrum suo seculo ingerere.

Enimvero Chrono & Titanibus antiquiores sunt hæ querelæ, nec ullum seculum tam felix, quod non comparatione prioris sorduerit illis, quibus ex annorum suorum morbo morositas, & rerum omnium fastidia subnascuntur. Etiam tritavi nostris abavis hanc dicam scripsere, & proneporibus abnepotes degenera-

Digitized by Google

re videbantur. Mihi quidem dubium non eſt, quin ex eodem argumento antediluvianis etiam Patribus poſteri ſui diſplicuerint, & ab his ipſis in noſtra usque tempora propagata ſit pertinax hæc jurgiorum materia. Poſtquam enim ſemel Protoplaſti impulſu illius ſcelerum artificis, vitiorum inſtitoris à DEO ſeceſſere, non gradu, non curſu, ſed præcipitio à virtute deſcitum. Provocarem ad illam omnis experientiæ Magiſtram Hiſtoriam, niſi ſufficeret divinum iſtud oraculum Moſis: Figmentum cordis humani tantum pronum eſt ad malum ab adoleſcentia omni tempore. Quid igitur attinet mundum ſub imagine hominis proponere, ejusdemque innocentem, ſi Diis placet, pueritiam, vividam adoleſcentiam, juventutis robur, prudentiam virilis ætatis, ſenii autem feces nobis oggerere? Quaſi verò non jamdudum, & antiquiſſimis etiam temporibus malitia hominum mundi ſuppleverit ætatem: Scelera jam vigent: Viguére & olim. Bella geruntur: Geſta & ante nos, & crudelius geſta. Adulteria frequentantur: Et olim impunita fuére. Periit candor, fides & illa Germanicæ gentis antiqua ſinceritas. Novum

Digitized by Google

vum crimen, C. Cæsar, & ante hac inauditum! Imò audiamus veterem Poëtam, qui jam ante aliquam multa secula de hac calamitate ita quiritatur:

Annis mille jam peractis
Nulla fides est in pactis.
Mel in ore, fraus in corde.

Et quid Jeremias divinus tmemate nono deploret, norunt qui illius oracula, norunt. I nunc & nostro seculo, nostris hominibus hanc scabiem affrica. Si verò singulis seculis vitia crescunt, miror, quod non jamdudum ad summum impietatis, scelerum, bestialitatis perventum fuerit. Aut dicant illi mihi, quot gradibus ad istud nequam fastigium ascendatur, quamdiu usque ad ultima exempla scelerum & nequitiæ veniatur. In aliis certè rebus mundi decrepita ætas nos deliros non facit. Namque & bella hodie geruntur melius & minore hominum strage; artes ad summum nitorem perductæ. Literæ etiam florent, & nihil concedimus antiquis. Civilis autem prudentiæ quam illustria exempla Galliæ nostris temporibus dederunt! Habuerint illi purpuram, byssum, amphitheatra. Sed non minor inventorum nostrorum gloria, & si commodum spectes, majo-

Digitized by Google

majoribus laudibus ferenda. Si autem gratiam quoq; ab adverſæ ſententiæ propugnatoribus inire vellem, pro conciliandis veterum, illorumque querelis dicerem inſtar peſtis ſerpere vitiorum contagionem, & nunc has, nunc illas *mundi* partes corripere. Itaque quo tempore Aſia luxu effœminata diffluebat. Romæ maſcula virtus, fides, integritas in pretio erant. Teſtatur lib. Maccabæorum primus cap. 7 Poſtquam autem & hinc Aſiaticæ deliciæ poſt bellum Antiochicum virtutem in exilium pepulêre, in Germaniam noſtram illa habitatum conceſſit, quorum candidiſſimi mores non Tacito modò laudantur, ſed & hodie exteri principatum hujus laudis nobis non inviti concedunt. Hæc autem ſi in multis noſtratium locum non invenit, ſi mores commercio peregrinarum Gentium in peregrinitatem, ut Svetonii verbo utar, redacti, illorum labes toti ſeculo non imputanda. Cur enim Gallia *tantopere* etiam cum detrimento animorum placet? Non enim inficias ivero, rariora hodie virtutum exempla eſſe, eorum numerum indies decreſcere. Iſtud quippe ſi negarem, non experientiæ modò, ſed ipſi Salvatori ingenti pi-

aculo

Digitized by Google

aculo contradicerem, cujus Sanctissimum os veriſſimè prædixit, fore inclinantibus ad interitum rebus humanis corruptiſſimum ævi ſtatum, idq; non ſeculi vitio, ſed ob intermorientem pigro quodam gelu in cordibus hominum caritatem. De cauſis autem illarum corruptionum varia varii afferunt. Nonnulli & aperte Scholas accuſant. Collapſam hic eſſe diſciplinam. Olim grandi ætate & bene barbatos diſcipulos melius paruiſſe, modeſtius egiſſe: Nunc autem glabros iſtos pipiones ferocire intolerabili quadam parendi dedignatione. Ex hoc fonte his venenis infecto fluere virus in totam rempublicam. Hæc cum ita ſe habeant, mearum partium eſſe duxi, Scholarum hac occaſione patrocinium in me ſuſcipere, & unde morum corruptela apud Germanos hoc ævo fluxerit, verius oſtendere. Quod dum pro virium modulo facio, Vos ô Auditores, oro atque obteſtor, ut me orantem attentè audire, &, ſi non omnia, acu tetigero, memores imbecillitatis humanæ nævos in meliorem partem velitis interpretari.

Ut vero primum amoliar crimen iſtud neglectæ religionis, utraque manu largi-

Digitized by Google

ſtud impudens os quovis freno efficacius obturant. Teſtor tot teſtamenta piè defunctorum, quorum liberalitas ſuis etiam autoribus ſuperſtes ex immortali velut ſinu beneficia effundit anniverſaria. Imò hoc ipſum Auditorium annon videtur ſordidas exuvias depoſuiſſe, ſenium exuiſſe, juventutem recuperaſſe? Splendent parietes, largo lumine refulgent feneſtræ latius effoſſæ, nec ut ante viſus coacto oculorum obtutu fatigatur. Tabulæ cum ſcamnis nitent, ſuperbit pene cathedra adeò, ut etiam ſuus inſeſſor, ſuus orator illam dedeceat, & hæc omnia impenſis quorundam Patronorum privatis, ſine ſumptu Fiſci Eccleſiaſtici publico. Eat nunc aliquis moroſus, & animos hodiernorum hominum anguſtos liberalitatis legem non admittere queratur, pietatis excludere. Imò noſtra culpa factum, quod ſordidus huc usque Muſarum noſtrarum nidus nauſeam ferme movit intuentibus.

Nemo Scholæ cauſam egit, nemo patrocinium ſuſcepit. Quamprimum autem Deus mihi hanc mentem immiſit, circumire, rogare, explorare Mecænatum voluntatem, deprecari pro luſca nutri-

Digitized by Google

iutrice, dici vix potest, quâ alacritate, studio, promptitudine assensi sint omnes. Sed hæc res mihi ultimam partem orationis meæ conficiet. Utinam verò illi qui propiore familiaritate connectuntur cum ditibus, cum orbis, cum munificis, (quorum mors liberalis nescio quos locupletes faciet) qui morituris assident, qui testamentis intersunt, nostri, aut saltem fisci Ecclesiastici aliquam rationem haberent. Dubium nullum esset, quin & Scholæ nomina in ultimâ cerâ legerentur. Nunc esuries nostra ab alienâ saturitate suspenditur. Nihil hic privatim mihi peto, homo satis dives, satis felix, imò, quod bona horâ audiat, satis beatus. Publici autem ærarii rationem haberi aliquam velim, cujus scaturigines si aut obstruantur, aut exareant, nemo non videt, id cum nostra fame esse conjunctum. Quid rivuli enim facient, si fontes sitiant? Ignoscite autem, Auditores, si me transvorsim abstulit amor publicæ rei, & aliorsum orationem transduxit. Intra stadium redeundum & causæ explicandæ, quarum culpa accidit, ut minor hodie ratio habeatur cultus divini. Postquam enim hanc ab animis hominum satis removisse videor,

Digitized by Google

alia ſcilicet indicanda. Non voluntas ſcilicet deeſt, ſed facultas. Prolixius multi faverent, niſi domeſticarum rerum anguſtia prohiberentur. Hic ſi ego tributorum gravitatem, & tot onera cum annis creſcentia commemorarem, invidiam forte mihi facerem & alienæ meſſi temerariam falcem periculoſe immitterem, rebus publicis arbitria privata interponerem. Sed eſt aliud longè majus malum, quod opes noſtras affligit, patrimonia evertit. Poſtquam enim jam ab Auguſti Electoris verè auguſti ætate impoſitis vectigalibus, initiò moderatis pretia rerum eſculentarum & potulentarum crevére, ultra alterum, quod JCTI dicunt, tantum caſtigare ea res luxuriam noſtram debuiſſet, & ad parſimoniæ leges reducere. Tantum verò abeſt, ut refrenata ſit his rebus vorandi perpotandique libido, ut creverit potiùs, & deſperata contumacia in perniciem rei domeſticæ cum damnis ſuis improbè colluctetur. Hic nemo mihi objiciat jam à Taciti ævo Germanos hoc nomine malè audiſſe, nec hujus mali incunabula propiùs ad noſtram ætatem admovenda eſſe. His enim reponere poſſum, minoris conſtitiſſe priſcis illis crapu-

Digitized by Google

crapulam suam, quibus gula nondum vectigalis fuit, nec pretia macelli productiora. Vendebatur adhuc anno 1522. libra carnis suillæ quinque nummis, vervecinæ quatuor, vervex novem grossis, lepus duobus, anas fera totidem, attagen totidem, capo pingvis tribus, salmo recens decem, sexaginta ova tribus, lingva bubula unico grosso cum sex nummis. Quæ cùm auditis, annon ex aureo seculo aureas fabulas percipere videmini? Non autem effœtæ sunt hodie pecudes, nascuntur, pariunt oves, tauri officium faciunt, nec arietes otiantur. Luxuria autem nostra profundiorem hiatum pandit, & aërem, aquam, caulas, stabula tanta aviditate depascitur, ut vix natura rerum sufficiat explendæ huic voragini. His moribus cum simus, miramur tamen, quòd nobis argentum abeat, qua tabe marsupia deturgeant & data nequiter opera ignorare malumus, quantum vectigal sit parsimonia. Hæc olim & Principum fiscos locupletavit, & urbium æraria auxit, & privatorum patrimonia servavit. Memini me in antiquo quodam Episcopi Wurcensis edicto ad Curatorem prædii sui ista legisse scripta. Dilecte & fidelis. Notum

Digitized by Google

tibi facimus, Episcopos Numburgensem & Cizensem super negotio quodam in nostra villa nobiscum collocuturos. Itaque operam da, ut præsto sit obesus anser, pingvis carpio, assa vitulina cum legumine quodam. Vinum ipsi apportabimus. Deus bone tres Principes eo apparatu contentos fuisse, ad quem hodie paulo lautior civis paulo lautiorem invitare non auderet! Nec nostra aula exemplis frugalitatis antiquæ destituitur, quæ jam per totam fere Europam bibacitatis fama laborat, ut Constantinus ille Pseudonymus velut excusaturus crimen integrum Locum communem in laudem ebrietatis suo more consarcinet. Augustus certè Elector, ut fama fert, magni cujusdam hospitis adventum expectans, unicam vini Rhenani amphorum sibi Lipsiâ afferri curavit, quæ res, si quid aliud, cellæ principalis inopiam ostendit. Sed forte in nuptiis Magnatum lautiores epulæ. Audiamus quibus ferculis anni 1523. Genio connubiali litatum sit, cùm Philippus Landgravius Hassiæ Georgii Ducis Saxoniæ Filiam Christinam Dresdæ in matrimonium acciperet. In Principum scil. triclinio quatuor missibus sedecim fercula

sunt

Digitized by Google

sunt apposita. Videlicet tetrao, truttæ, assatura, amygdalatum & ferculum ad oculorum spectaculum in primo. In altero aprugna, porcelli, gallinæ feræ, spectaculum rursus. In tertio lucii, placentæ, artocreas ex caprea, & denique caput suillum, pira, striblitæ, pisces. Et sic satis factum voluptati simul & magnificentiæ Principum, qui majore numero ferè accubuerunt, quàm patinæ propositæ. Iniquè igitur agunt, qui multorum seculorum præscriptione ebrietatem nostram defendere satagunt. Notum enim sub quo Principe malum hoc apud nos cœperit, & notanter observat Camerarius in Catechesi Græcâ p. 187. Duos è Mysnia nobiles Belgicam diu militiam secutos suo tempore artem bibendi in Belgis didicisse, atque reduces hanc scientiam cognatos docuisse. Hinc triste exemplum in patriam ante hâc immunem ab hoc malo manasse. Istos bibones autem eo nomine omnibus exosos tandem malo fato periisse. Adeò autem à majorum nostrorum sobrietate cum intra seculum desciscitur sit ad voluptatum turpissimarum lenocinia, temporum infelicitatem, pecuniæ angustias accusamus, quam per gulam & ventrem.

Digitized by Google

sit honor auribus! tam nefarie transmittimus, atque ad parietes excernimus. Sed audio nescio quem obmurmurantem. Singulorum opes gurges ille absorbet: Intra provinciæ tamen fines opes nostræ manent. Nostris enim pecudibus vescimur, nostro potu abutimur, & quod lurconibus istis perit, cauponibus accrescit. Fateor. Itaque alia longè nocentior charybdis patriam affligit, censusque exhaurit in pretia superbiæ. Minimum enim est, quod gula transmarinis deliciis avertit. Vestium verò luxus opes nostras velut infelici quodam æstu in Galliam, Italiam & quo non ejectat. Peregrini enim saltem panni placent, nostri nobis sordent. Quo factum, ut urbes pannificii quondam uberrimo quæstu beatæ hodie ad pudendam paupertatem sint redactæ. Sed ante quadraginta annos in defunctorum nobilium vestibus etiam pallia describebantur ex Hainensi panno confecta. Hæc paulò honestioribus civibus hodie sordidiora videntur, & quantum decrescunt opes, vestimentorum superbia crescit, quodque nullis legibus satis coërceri potest, in singulos annos

Digitized by Google

mutandorum. Sumptuosius quidem avi nostri, quorum torques & armillas in imaginibus miramur, sed & durabilius. Potuit enim tunc nepos in avi thorace sponsi partes cum laude implere. Excusatius etiam ad omne votum fluente fortuna lasciviebat otium, quàm hodiè tam miseris temporibus, cùm vestes nondum detrivit usus & alterius formæ festinatus superventus fastidit eas nescio majorene lucro an risu exterarum gentium. Quot autem talenta juventutis nostræ peregrinationibus quotannis exportari credimus? Si plueret apud nos aureus Jupiter, his tamen moribus brevi calamitas fundo, aranearum telæ loculis reducerentur. Miror potius, quod non jamdudum ad famem prodigarum voluptatum continuatione ventum est. Sed quid ego censuram exerceo sine suffragio populi? Quid gulæ latrocinea insector, in fortunárum nostrarum pericula irrumpentia? Id saltem ago, ut nemo miretur, si tot sumptibus exhaustæ divitiæ parum sufficiant in pietatis & religionis impensas. Non sectæ, non animis semper tribuendum illud beneficentiæ frigus. Nec comparandi sunt nostri homines

Digitized by Google

mines cum antiquis multo opulentioribus, qui cum uberrimam messem felicis abundantiæ demeterent, nobis vix jejunum atque tenue spicilegium reliquerunt. Quid autem mirandum si Pontificii sumptuosius Deum colant? Clerus illorum cervices ab oneribus publicis ferè subtrahens magnas opes corradit, nunquam in minutas liberorum hæreditates dispergendas. Et sic satisfactum fuisse credo criminationi illi de restrictioribus circa rem sacram nostri seculi studiis.

Sed impinguntur & alia non minus pudenda: Omnia litibus jam fervere & jurgiis, minus parere juventutem, periisse antiquorum concordiam, colli di cives cum primoribus, omnia suspicionum plena pessimarum, diris imprimis & horrendis exsecrationibus ad horrorem usque audientium omnia personare. Hos mores proximis quinquaginta annis ita invaluisse, ut nec vestigium veteris innocentiæ superfit. Sed, nisi ego oppidò fallor, bellum illud tricennale, quod Germaniam superioribus temporibus afflixit, has nobis reliquias concoquendas dedit, quæ mores nostros etiam hodie inficiunt, disciplinam exercent. Hæc labes non opes modo

patriæ

Digitized by Google

patriæ abstulit, sed & vitiorum contagem imbuit ex commercio variarum gentium. Hac quippe occasione infusi Svevi, Lappones, Galli, Itali, Hispani, Hungari, Poloni, Croatæ, Angli, Dani, & qui non? Inde factum, ut ejus temporis puericia inter quotidianas exsecrationes militum, jurgia, furta, obscœnitates, impostoras, scelera atq; flagitia educaretur. Imprimuntur facile cereæ huic ætati imagines vitiorum, quas postea vix multo labore deleveris. Et ne peregrinos accusem, intueatur quis nostrorum saltem militum dicta & facta, procaciam, diras, & unde hæc nobis manaverint facile intelliget. In exemplum facillime vitia proficiunt, & servant illi velut in archetypo nequitiam. Atque utinam servarent! Latius illa serpit, & juventutem nostram instar gangrenæ corrumpit. Quota quæque autem urbs tunc fuit, quæ non aut à suo milite defensa aut à peregrino occupata possessaque fuerit diutissimè? Deinde cogitet mihi aliquis templa eversa, Scholas dissipatas, privatam quoque institutionem impeditam, quæ res solæ malis moribus obviam ire solent. Crevit interim sine manuductione posteritas, & cum illa mali-

Digitized by Google

tia quoq; invaluit ita, ut impar jam Respublica sit coërcendæ illi atq; refrenandæ. His nos jam patribus atque civibus ferme utimur, qui quam illi ex militum contubernio scabiem impietatis sunt adepti, liberis suis domi plerumque affricant. Audiunt teneræ mentes à parentibus maledicta, & fescenninos versus, vident crapulam, dissidia, aleam, chartas & totum nequitiæ apparatum. Et Scholæ deinde accusantur, si parum feliciter maculas domi conceptas eluerint. Ex balneo plerique Scholastico ad domestica volutabra ita revertuntur, ut mirandum potius sit, si adhuc aliquas mentes à sordibus his purgatas damus. Hæc velut ex Apollinis tripode prolata esse ipsi illi testantur, qui hodie dolent & queruntur sibi in pueritia institutionem defuisse. Abreptos se à latere parentum militum fuisse plagio, patriam excisam. Hæc omnia tamen ego non ita accipi velim, quasi neminem ex nostro ordine officio deesse credam. Laborat & ille suis moribus, & ex populari lue partem trahit. Illud autem nego atq; pernego morum istam universalem corruptionem nobis imputandam. Quin sanctè potius affirmare ausim,

quo

Digitized by Google

quo minus malis moribus regnum contingat, nos in primis vetare, & si quid uspiam antiquæ virtutis, si quæ reliquiæ pietatis atq; candoris, has omnes institutioni deberi, & ita deberi, ut neminem alium, præter DEum in societatem beneficii hujus admittat. Hæc pluribus perorare & officii ratio persvasit, & Scholarum innocentia, & adversariorum iniquitas. Sed jam memor promissæ brevitatis, utque aurium fastidia effugiam, ad ultimam orationis meæ partem lingvam animumque converto. Gratiæ scilicet agendæ sunt iis imprimis, quorum beneficio Auditorium istud juventutem suam recuperavit, meliori sanè fide, quàm Medeæ balneo Æson: Atque hic demum, ubi velut confragosis atq; asperis evecto tota pandere vela liceret, sentio, quàm fallantur ii, qui dicendo me aliquid posse judicant. Sed dicendum tamen, licet jejuna verborum inopia deterere potius quid de ipsorum laudibus mihi videar, quàm amplificare eas, quæ incrementi legem non capiunt. Interest autem Reipublicæ, interest posteritatis literis consignare hujusce modi munificentiæ exempla. Nascentur ex cinere laudum vestrarum

ô E-

Digitized by Google

ô Evergetæ novi olim Phœnices, qui flammis vestris incitati amore Scholarum incalescent. Dum autem singulos recenseo, date quæso, Auditores, hanc precibus meis veniam, ut, quo singulos conveni, oravi, exoravi ordine, in theatrum reducere liceat. Non enim sine voluptate remotior vias illas pro bono Gymnasii publico susceptas. Quo animo cum sim, primæ omninò partes debentur illi, qui primus squalore hoc acroasibus publicis destinatum conclave non raro indignatus ultrò decem thaleros reficiendo illi destinavit, promisit, obtulit. Interdictum verò tuum, nec te nomine compellem, nescio quid ex iniquo trahit & publicam vocem strangulat: Gestit animus, prurit lingva, labia tripudiant se effundere velut in campos laudum tuarum, & tu velut freno injecto cursum moraris, silentium indicis. Laudo quidem verecundiam, quæ sua se conscientia involvens applausum non quærit. Sed nec invidendum erat posteris tam præclarum pulcherrimæ rei exemplum. Tibi enim acceptum ferimus restitutum hunc ex omni latere splendorem. Nec satis capio magnitudinem animi hujus, quod

Digitized by Google

mens

mens mea minore ſpatio circumſcribitur. Iſtud verò eſt furtim benefacere, & ignorantiæ finiſtra. Cumq; munus tuum ingens, de reliquorum tamen liberalitate non exiguam partem exemplo tuam facis. Me certè ita inflammaſti, ut non contentus parietes incruſtaſſe, dealbaſſe, de pavimento, ſcamnis, menſis, & reliquo ornatu comparando deliberarem. Jam ex rubore tuo, qui ingenuum vultum pererrat, ſentio Te metu proditionis æſtuare. Sed animum recipe. Malo obſequii, malo bonæ fidei, quàm grati animi gloriam tuis ingratiis auferre. Adderem blanditias, & illas interioris amicitiæ notas, niſi hic quoque prævaricationis crimen incurrerem. Supremum autem iſtud Numen veneror, quod & animum hunc egregium intuetur, & nomen novie, multiplici fœnore cœlitus effuſo hanc lacunam noſtram, quam in gratis agendis relinquere cogimur, largiſſime expleat!

Hac autem ratione, cum de parietum laquearisque novo cultu proſpectum fuiſſet, nondum confirmata audacia Tuum, Nobiliſſime Dn. Jona Schönlebi, animum joco quodam tentare cœpi, cum

Digitized by Google

cum peregrè apud communem amicum forte pranderemus. Ita enim rationem supputabam: Si assenserit, benè habet: Sin secus, intra jocandi præsidia receptus mihi patebit. Tu verò serio rem agi sub hoc Schemate subolfaciens tam cupide bene merendi occasionem occupasti, ut videare festinato assensu non pudorem modò meum, sed & alios prævertere voluisse. Digna liberalitas animo Tuo, digna majorum monumentis. Quæ enim templa, qui parietes Schönlebiorum merita apud nos non loqvuntur? Habet ex tua gente templum hoc suggestum: miro opere confectum. Habent alia testatam tot beneficiis memoriam. Tu non degenen sangvis cathedram hanc sumptuosam quæque vel Academiarum splendori pudorem incutere possit, in Auditorio etiam nostro vitæ virtutis ornamentum exstare voluisti. Nunquam apud Musas nostras peribit istius gratia facti. Sive enim præcepta virtutum atque Scientiarum juventuti nostræ instillabimus, sive eandem in examinibus publicis lustrabimus, sive perorantium voces frequentiam aliquam cogent, beneficium tuum in oculis erit, & insignia gentilitia autorem

Digitized by Google

rem ingerere non cessabunt. Cum autem jejunum videatur verborum gratuito strepitu defungi pro tanto merito, DEUM in partes voco, ut de suo penu impleat, quod nostro deest. Quicquid toto ambitu Felicitas habet, tuum esto, tibi serviat!

Cum vero proxima asserum cura me jam sollicitaret, ad quem aut prius, aut melius accederem, quàm ad Te Nobilissime Dn. Alberti, Consul urbis longe dignissime, qui nutriciis huic studiorum, matri referendis ita animum semper intendisti, ut illa de tali, tamq; pio filio sibi, merito gratuletur. Juvat lac doctrinæ immulsisse, juvat quondam parvulum in sinu fovisse, juvat animum formasse, ... ot, virtutum simulacra impressisse, ... Quæ si plures tales haberet, non hoc modo auditorium, sed totus nudiq; Lulus rejuvenescceret exuta fuligine, depositis sordibus. Tantum vectigal esti bonis bene fecisse! Ego quidem neristis à te recederem, ne spem de reficiendo Lectorio vix dum conceptam inelici abortu mentis abjicerem, effecit lla alacritas juvandæ rei publicæ Schoasticæ. Vix consilium aperueram, cum Tu pati non potuisti, ut Tibi pro matre ...

preces

Digitized by Google

preces adhiberem. Prolixè operam omnem promisisti, promissam præstitisti, præstitam auxisti omni genere beneficiorum. Facile enim fateor absque tua autoritate, consilio, ope, opera si fuisset, me imparem rei conficiundæ futurum fuisse. Tu vitam, tu spiritum largitus es actionibus meis, cùm summo mane adesses, operas urgeres, imperares. Macte, vir Amplissime, hoc animo Tuo, & rem Scholasticam porro quoq; complectere. Ita uberem ex filiis Tuis (quos velut nepotes suos ista adoptavit in curam) tibi gaudendi materiam semper suppediteret DEUS! Jamque pulchre Peripatus hæc, quin ipse mihi placebam; sed sordebant jam fenestræ & maligniùs quàm ante diem admittere videbantur. Formosus ille vultus non est, cujus genæ quidem purpurant, labia venustè rubent, sed oculi lippiunt atque caligant. Unde verò illis sua lux fœneranda? Ego ita mecum ratiocinabar: Hem! tot in hac urbe vivunt Viri atque cives primarii, qui quantæcunq; felicitatis suæ incunabula Ludo nostro debent. Hi compellandi, rogandi, precibus expugnandi. Statueram enim aut nullo, aut minimo sumptu ærarii Ecclesiastici alias satis

Digitized by Google

satis occupati negotium praestitere, alioqui non defuturos, qui sine periculo, suo incommodo me aedificatorem esse quiritarentur. Quo animo cum essem diu, nec hic quidem mihi dispiciendum fuit, quem primum accederem. Noveram, nempe merita Nobilissime, Amplissimeque Dn. Seyfrid hinc in Te profecta. Noveram virtutem animi etiam cordium sublimiori jam quam apud nos Praefectura positus es, non differentis beneficia. Itaque secure animo adii, rogavi, intercessi pro modula matre, quae annis morbo jam coecutiret, utque unius oculi ve fenestrae beneficio nutricia exsolveres egenti ferme citra jactum, pubocis impetravi. Tu vero, ut meritum augeres etiam autor fuisti, ut, quando quidem novos oculos corrogarem, laus etiam illorum orbes effodiendos, palpebras diducendas curarem. Defiat in Te, Vir Nobilissime oculos suae benevolentiae ille, cujus vigili obtutu sunt res humanae. Servet hunc animum, servet familiam, servet fortunas arbitrium diu florentes!

Ab hoc digredientem effectus meus cor impulit ad Te, ô animi mei delium, ô ex veteri metallo residuum

[illegible]! Dn. Bornheinrichium nomine, cujus candorem norunt, qui ipsum recte norunt, prædicant, qui non invidiæ veneno livent. Vix absolveram autem de vetula matre fabulam, cum tu solito vultu svaviter rideris perspicilia me, nescio cui anui rogare suspicareris. Ego vero, inquam, majus beneficium volo, fenestras auditorio. Tu autem delectatus circuitu meo injecta manu voti me compotem statim fecisti. Nec steterit hic promptitudo. Obambulabat ante tabernam suam vitriarius, cui tu mox vocato, ut fenestram unam Scholæ, eamque quam optimam faceret, mandasti & in elaborando stamine illarum fratris opera uteretur. Et Tibi quidem, Affinis dulcissime, fortunam, quam alias mores Tui tibi fingunt, ille fatorum nostrorum dispensator, sartam servet, atque tectam. Ego vero omnibus lætitiis incedere, quas obvii etiam ex fronte porrectissima legebant. Inde postero die plenus spei bonæ ad Te, Amplissime Dn. Theodore Gotofrede Lindnere Præfecturæ hujus secunda persona, gladiatorio velut gradu affectavi viam. Dictum factum, non pollicitus es modo, sed & liberaliter

Digitized by Google

ter invitasti, ut manerem. Id cum novo beneficio auctus negare non auderem, quàm prolixa comitate me non ornasti, sed ferme onerasti? Apertè profitebaris idem me per famulum potuisse impetrare. Istud verò est spargere & vili æstimare benefacta sua. Cui animo quid ego aliud apprecer præter inexhaustam copiam & uberrimam benè merendi segetem!

Et sic denique sequitur, qui vel primo loco compellandus fuerat, nisi verecundia mea ex successibus audaciam exspectasset, Vir Excellentissimus Dn. D. Johannes Lindnerus Potentiss. Electoris Joh. Georgii II. olim Consiliarius dignissimus. Hunc cum aliquoties frustra quæsitum tandem domi offenderem, & esse quæ cum ipso colloquerer, præfarer, ille me quàm humaniter manu prehensum in Musæum deduxit, audivit, promisit, fecit. Ego verò patrocinari verecundiæ meæ, Tu laudare ambitum. hunc de publica Scholæ re sollicitii. Imò autor fuisti, ut alios etiam accederem, nec dubitarem. relata hanc pertexere. Non defuturos qui tot exempla cupidè sequerentur. Frustra autem fim, si quantumcunq; hic verborum ap-

paratum agendis gratiis suffecturum sperem. Itaque me colligo, & ad solennia illa confugio, DEus reponat! DEus refundat! DEus remetiatur! Jamque quatuor fenestras corrogaveram, restabant ad plenam Musæi publici gratiam duæ. Hic mihi iterum Schönlebiorum Studia in rempublicam, nostra in illos occurrere. Itaque fronte jam non infirma, nec dubia spe ad Te, Amplissime Dn. Gabriel Schönlebi, Senator inclutæ Reip. Gravissime adire decrevi. Tu verò miratus novum adventorem audacter eloqui jussisti, si quid vellem, facturum quæ posses. Hinc ego amissa ambage quid rei pararem aperui, quidque alios jam exorassem. Itaque in Te nulla mora, & tam præceps benè merendi cupiditas, ut ferme ægrè ferres, non Te prius compellatum. Sentiebam certè, me non sine Dei Numine tantam rem cœpisse. Tanta omnium alacritas erat in assentiendo, tanta festinatio in præstando. Neminem frustra compellavi, à nemine repulsam tuli. Unum excipio, qui articulo non molli advenientem tractavit. Cur ipse accederem, cur non per literas & internuncios

Digitized by Google

nuncios rem tractassem. Tot exules, tot incendio perditos esse juvandos. Ablegato uno jam ad ostium stare alterum. Quid crediris, Auditores, mihi animi fuisse? Magni mercatus essem nunquam accessisse ad inhospitales ædes, à quibus recedens gradum minuebam instar galli frigida perfusi. Precum mearum, pœnitentiam agebam, & pudor lucis fugam atque tædium dictabat. Impingerem beneficium homini, si dedisset. Sed hæc extra oleas. Redeundum in orbitam, quam dum pressius infixo pede sequor, Tu, Amplissime Dn. Sigeli, Senator Gravissime, jam domum redeuntem ex ædibus Tuis ad Te vocas, absentiam ejus meridiei excusas (quæsiveram enim prædia tua visentem) quàm felix ego, quem beneficia obviis ulnis exspectant, & jam discedentem revocant! Nullo hîc verborum ambitu opus fuit. Statim atque audivisti honestas preces, assensus es sine ulla deliberatione, munus verbis ornasti. Itaque non publicè modò, sed & privatim Tibi obstrictus sum. Atque utinam res esset mearum virium Tibi, Dn. Schönlebi, Tibique Dn. Sigeli aliquam gratiam referre! Quod cum facile intelligam, quàm arduum sit,

Digitized by Google

votis iterum defungor. DEus vobis benefaxit ex amplissimo penu suæ misericordiæ!

Dimissa autem hac cura novæ cogitationi toto pectore incumbendum erat. Veteres januæ decedebant. Sed & harum una ut mutaretur fecit liberalitas Ornatissimi Dn. Balthasaris Mendii, cui succenturiatam operam in redimenda sera ultro obtulit Honoratiss. D. Johannes Ludovicus Threnerus. Alteram Vir literis & Experientia rerum medicarum instructissimus Dn. Jacobus Jahn vix rogatus conficiendam curavit. Pro quibus meritis, si mea officia, ut sunt levidensia, non sufficerint, sponsorem iterum sisto DEum, qui multorum annorum pace, sanitate, felicitate uberius satis faciet. Et hac quidem ratione æstiva nostra pulchrè erant constituta. De Musarum autem hybernis, ut sunt ad sexus sui istar, tenellæ & frigoris impatientes aliud opus subnascebatur. Itaque cura etiam in brumam extendenda erat ultimam. Sed & hunc scrupulum feliciter exemit Vir Amplissimus atque Consultissimus Dn. Samuel *Klemm*, Reipublicæ hujus à scriniis publicis, qui rogatu meo fornacem hanc suo nobis sumptu redemit.

Quo-

Digitized by Google

Quoties igitur lævente foras Borea privato vere noſtræ Muſæ tepebunt, totiesque illæ tuo beneficio incaleſcentes gratiam beneficii profitebuntur, prædicabunt, bonisque votis tam bonum animum mactabunt. Nec ego deſinam his album calculum adjicere, & DEum Tibi propitium quotidie apprecari. Si meminiſti, quid in ſchedula operarum, cum pretium pro figulo rogarem, pro prima penſione gemmas illas ſortes, quæ ex urna tibi ſuperexivére æſtima. Atque hæc quidem hiſtoria ambitus mei, hæc pecunia ratio fuit. Hic ego frontem meam recepi, niſi quod obiter præterunti etiam alius noſtræ Scholæ Fautor Symbolum quoddam adjecit, qui nomen ſuum intra mœnia ſilentii leges quidem cohiberi vult, remuneretur tamen publice clandeſtinum iſtud beneficium, quod animorum alicna manetur, Numen! Atque ita mihi tot beneficiorum ordo defluxit. Quid Tu autem, inquat aliquis, ea ridiculæ bulæ ſalem vicem præſtitiſti, quod civibus ſignum ad ſacra dat, quibus ipſum non interſit. Huiusce quidem poſſem allegare tot labores, tot moleſtias, quæ me exercuerunt, cum acerrimus eſſem operum exactor, cum pulvere tantum non

Digitized by Google

operirer, (vix enim receſſeram & illi manus jam remittebant, aut plane quacunque ex cauſſa diſcedebant) cum Judicis etiam auxilium ſæpè implorandum eſſet, qui ceſſantes imperio ſuo propelleret. Namque & operam hanc in æſtimationem venire fatentur Legum periti. Preces etiam & tot diſcurſationes oſtiatim inſtitutas adducere poſſem. Nihil enim carius emitur, quàm quod precibus emitur. Sed nolo tam ſordidè cum obloquutoribus meis decidere. Quin bona fide aſſeverare poſſum, me duobus exceptis non minus de meo contuliſſe, quam reliquorum quisquam. Id ſaltem intereſt, quod cum aliorum beneficia exſtent & digito demonſtrari poſſint, mea in clavis ferreis, in fabrorum mercede velut quodam pulvere ſint ſepulta, atque per varias diſperſas partes. Eat nunc, iterum atque iterum dico aliquis, frontem perfricet, mundi feces accuſet & inopiæ mala ad animorum crimen releget. Patrocinabitur ſeculo Freiberga, & exemplo ſuo commonſtrabit, nullam ex ſenectute hujus univerſi labem animis adnaſci. Neve quis impudentiæ precum mearum & negandi verecundiæ aliquid datum in hoc opere cavillari poſſit.

Digitized by Google

sit, multi etiam non rogati sumptus suos obtulere. Quo numero merito celebrandus Vir optimus & laudatissimus Dn. Christophorus Threnerus, qui misso unciali nummo argenteo per meos homines scisciratus est, an aliquid relictum esset, in quo ille beneficentiam suam exerceret. Cumq; jam suggestus hic Scholasticus nudius quintus compingeretur, Amplissimus quoque & Clarissimus urbis Senator Dn. Joh. Fridericus Seyfridus mihi nihil tale cogitanti mensam hanc emendationibus publicis destinatam obtulit. Usque adeò egregii animi certatim occupant beneficiorum occasiones, ansamque gloriæ, ut mihi verendum sit, ne expostulent alii mecum & se præteritos esse injuriam suam interpretentur. Enimverò, quemadmodum novis benefactoribus novas quoq; gratias ago, & totam prosperitatem invicem apprecor; Ita alteros illos benè sperare jubeo. Non enim inferiora modò acroateria cultum exspectant; Sed & huic ipsi ultimus perfectionis gradus deest. Laquear dico istud, quod calorem nobis fovendis destinatum fide non usque adeò bona custodit; sed

Digitized by Google

passim dehiscens transmittit. Istud autem ejusmodi, ut in eam rem sumptus à privato & uno sperare improbum, rogare impudens sit. Nobis certè pro facultatibus, ut in proverbio dicitur, jam ædificata sunt mœnia. Cætera DEO curæ erunt. Nostræ verò civitatis, ut ex diverticulo redeam, non pridiana utique liberalitas est, sed jam olim penitus immissis radicibus nititur. Novi enim, si qvis alius, quid singulis septimanis, quid quibusvis mensibus in usum convictorii colligatur continuata jam, nec fatigata per multos annos pietate. Novi quantum quotannis fisco chori & currendanorum inferatur. Sequitur scilicet Nobilissimi Magistratus sui civium beneficentia. DEUS bone quantas ille summas mittit ad incendio perditas urbes! Quantum exulibus, & aliis, quos quacunque ex calamitate angustiæ rerum circumstantes quotidiana stipe infelicem animam prorogare cogunt, erogatur! Ego quidem, qui cum hoc hominum genere libenter versor, multoties audivi summopere deprædicantes munificam senatus pietatem. In viduas autem & orphanos, & nosocomia quantum impenditur? Quàm lautè tractantur emeriti! quàm liberalia stipen-

Digitized by Google

stipendia! Quem quasi portum benignitatis contra varios mortalium casus aperiunt? Quo fit ut minus mirer discipulos etiam hunc liberalitatis spiritum ex communi patria hausisse, quorum alter tabulam hanc, alter clepsydram suo nobis ære comparavit. Ita me Christus amet, non vivere modo, sed & mori in hac urbe tam pia, tam benefica juvat. Tibi ô ineptæ, Freibergæ vel me ipsum impendere paratus, studia, labores, operas, dum in officio meus erit, Tibi viduam, liberos, ossa denique & cineres, si quid humanitus mihi accideret, commendo. Tu verò, ô rerum humanarum summe Arbiter, qui hausturn etiam frigidæ remuneraturum polliceris es, intuere quæso optimæ urbis tot eleemosynas, & si quid in cæteris peccatur, quæ est hominum imbecillitas, clementer ignosce! Serva nobis hanc mentem! Tuere Nobilissimum Senatum, Indue verbi Ministros divino robore, orna Scholam, amplectere cives, benedic omnibus, fove singulos. Crescant reditus ex metallis, ut non desit, quod Tibi reddamus, floreant mœnia! Pax, sanitas, quies, concordia & ipsa denique Salus urbem totam impleat, augeat, coronet felicissime!

Tibi

Digitized by Google

Tibi autem Illustris ac Generosissime Domine, Exarche, rerumque metallicarum Præfecte supreme, ingenti ære alieno sumus obstricti, quod auditorium hoc præsentia Tua illustrius reddere voluisti. Quod si gratiis agendis dispungere possumus, ingens se offert votorum compendium. Singulis quippe diebus ex hac ipsa cathedra preces pro salute Tua concipimus publicas. Quoties itaque matutinas operas hac pietate auspicamur, toties clementissimum Numen coeli cataractas aperiat, & caput hocce Tuum non tam annis, quam meritis & pulcherrimarum virtutum conjugio venerabile aureo felicitatis nimbo perfundat, delibutum reddat! Ut autem illustris generis nobilitate jungimini, Generosissimi Domini de Schönberg, & Taube, sic gratias agendis non separandi estis, qui velut Castorum sidus facem perorantis lucere voluistis. Recipiat & vos in gremium clementiæ suæ ille rerum conditor atque autor, vestrosque dies candidos, & sine nube ire jubeat. Et ne per singulorum nomina cum tædio prolixe eundum sit, satius fuerit in unam fascem tot ingentia merita colligere tot sum-

Digitized by Google

ſummorum Virorum, quos honori meo adfuiſſe video, quibus verbis ſatis faciam non video. Exundent autem in vos, ut Nilus autumno, divitiæ illæ cœleſtis benedictionis inexhauſtæ & imprimis in de re noſtra Scholaſtica tàm præclarè meritos toto alveo exuberent atque reſtagnent!

Digitized by Google

ORATIO VALEDICTORIA.

Freibergæ habita.

Quinta

Digitized by Google

JESU Juva!

QVinta est hæc Oratio, quam habiturus jam Cathedram conscendi, Auditores &c. Vix enim intra limites suscepti muneris subsiteram, cum inauguralis sermo de primo literarum inventore faciendus mihi erat. Eodem anno mortalitatis legē impleverat incomparabilis Theologus D. Matthæus Geierus, cui parentandum esse tanti Viri merita persvadebant. Paucis post annis amor Clarissimæ hujus urbis obsidionalem effundebat, quæ sumptu Nobilissimi Senatus publicis typis fuit exscripta. Quartum peperit hoc ipsum Auditorium, cum deposito sqvalore rejuvenesceret. Nunc autem deliberanti mihi, Auditores plenfore omnes cultu & observantia demerendi, de quo potissimum argumento ultima verba facerem varia oberrabant rerum gravissimarum imagines. Non raro etiam sermo Viri quondam

Digitized by Google

dam Clarissimi M. Christophori Jungeri postremus subibat, annon sicut ille Tertii filius Tertius ipse ad Tertii Misenensis officium vocatus de Tertiis ex hoc ipso loco discedens differuit: ita Rector ego ad Rectoris in eodem Gymnasio partes obeundas præter opinionem & votum meum destinatus de Rectoribus perorarem. Ita enim viderer tùm pressim semitæ meæ insistere, neque τὰ ἐπὶ πλεῖστον ῥόδα πεδᾶν, ut venustè Græci mei loquantur, tùm de re non parvi momenti differere. Rideant licet alii artes nostras, quæ tamen apud bonos, insularum loco sunt, & contemptim fundamenta suæ magnitudinis calcent, tamen hoc ipso vel imperitiam, vel arrogantiam suam produnt turpissimè. Ego verò in alia omnia abeo, & eruditionem, quæ tamen in Rectore proletaria esse non debet, minimam partem tam arduti muneris esse judico. Nisi enim insigni prudentia, majore humilitate, maxima mansvetudine sit præditus, nunquam officio suo faciet satis. Quid de Autoritate dicam, qua opus quidem habent omnes, quo pacto quærenda norunt pauciſſimi. Alii indulgentia, non nulli verberibus se habituros frustra sperant. Illa contemptum, hac odium tui facilius para-

Digitized by Google

paraveris. Ego verò hanc formulam efficaciſſimam eſſe ſemper expertus ſum: Recipe duas libras amoris, unam timoris ingenui. Miſce quantum ſatis eſt, & loco temperato ſerva. Amor verò amore feliciſſimè colligitur, timor paucorum, eaque non niſi neceſſaria pœna. Neque tamen dico adverſus mundi contemptum & injurias armandos eſſe. Domi habebunt Rectores, quod agant. Ut enim fert imbecillitas humana, cum diverſis ingeniis, non modò diſcipulorum, qui imperio legitimo coerceri poſſunt, ſi contumacia patientiam extorſerit, ſed & collegarum Rectori conflictandum eſt. Quid enim ſi quis illorum conſcius ſuæ virtutis ſuperiorem ferre nequeat, & animo parum æquo in altero ſe contineat gradu, arbitratus minus pulchrum eſſe in ſecundis, tertiisque conſiſtere? Mordicus, dicat aliquis aſſerenda eſt autoritas, & totis viribus contra eundum, ne, ſi capitis honor evileſcat, membra ad contemptum recidant, aut longa denique animi patientia calcetur. Novi hæc calidiora quorundam conſilia, qui non retuliſſe lædentibus gratiam infirmitatem putant; ſed parum ad pacem publicam facientia. Magis humilitate ſe ſua involvat,

Digitized by Google

vat, unde eminus speculetur assultum, & testudine sua tutus frangat lentiore mora & declinet impetum, ne se amicitia qualiscunque collidat. Est aliquis minus potens iræ suæ, qui morbus sæpe etiam bonas mentes affligit, & me quoque diu exercuit. An hic pes obfirmandus, & adversis frontibus concurrendum? Ita quidem Capricorni solent. Quod si Rector in rixam procurrat, nec suscipiat onus infirmitatis alienæ brevi à jurgiis ad manus lis mittetur, & non sine insigni scandalo discipulorum Mirmillones hi depugnabunt. At enim, inquiat aliquis, Scholarchæ adsunt, à quibus autoritati meæ subsidiaria opera erit quærenda. Verum enim vero jam deploratam rem esse puto, cum ad judices ventum est. Morbus iste domesticus utcunque tegendus est, nec vulnera facile nostra retractanda sunt, ne illorum fœditas in publicum mittatur. Quocunque potius modo, etiam iniquis conditionibus transigendum, & molliſſimè pes à litibus referendus. Quid si etiam ex optima causa Rector discedat inferior? Hic prudentissimè dissimulandus dolor, &, quod pugil ille faciebat, excusi dentes cum sanguine absorbendi. Sed esto. Vincat ille. At nulla

Digitized by Google

nulla unquam tam incruenta victoria corrigit, quin habeat aliquam criticae recordationem. Dies abiret, priusquam singula pertractem, quibus accurrendum est Collegarum vitiis, sive, ut asperitatem rei segniore vocabulo subducam, novis. Homines enim illi sunt, & humani quid à se alienum esse non putabunt. Hic meminerunt sint illae virtutes, quas Rector supremus omnibus ædificatoribus suis probe defendas commendat. Matth. cap. 7. ad quarum formulam, si quis me caligat, & interrogat, componam illarum sim factus, cum Paulo respondeo ad Philipp. 3. Non quod jam apprehenderim, aut jam perfectus sim, sed sequor & cursim persequar, an forte apprehendere queam. Ut enim ingenium ferat, sæpe dolor aliquis & indignatio mentem ad ultionem excitat. Honestiburetiam facilius careo, quam contumelia fero. Oppressi natum in pulvere infelicem hanc segetem, sed Dei numine oppressa. Hæc nempe celebranda virtus, hæc animi suscipiendis moderatio, vincere iram, & inter simultates quoque memisse hominis. Ego vero constitui ad hæc instituo, declino, ne quibusdam parum quis videar proclivis his ostium

agere, aut etiam instar Parthi in ipsa fuga post tergum spicula retrò spargere. Quin istud potius agam, & caussas discessus mei ex tam benefica urbe recto gradu, sicut oculi ducere solent, aperiam. Quod dum facio, Vos, Patres reipublicæ literariæ Conscripti, Vos Patronos, Amicos, Fautores rogo atque obtestor, ut discedentem benignè audire velitis, qui discipulos toties ex eodem loco benevolè audivistis. Et sanè, si, quod res est, dicendum, multa sunt, quæ abeuntem velut injecta manu, retinent. Urbis celebritas, salubritas aëris, optimus Generum filia charissima, amici quidam longa experientia probati, honestum salarium, idque optima semper fide persolatum, discipuli obsequentes, & mei desiderio mœsti, anni jam proclives, qui ultimam senectutem in novas spes disponere vetant, imprimis autem Vester Dni. Inspectores propensus in me animus, qui ex multis meritis plenissimè ad me pervenit. Neque enim ex quo me in vestram Clientelam demisi, unquam quicquam à Vobis desideràsse memini, cujus non compos ego factus sim. Nihil auribus vestris do, quibus insidias facere meum non est. Gemebant inter tenuioris

Digitized by Google salarii

salarii angustias inferiores Collegæ, & per tot labores ad famem cendebant & penuriam. Vos me rogante non modicam summam adjecistis in singulos annos. Adnonam accenderat ex siccitate sterilitas, ut vix alendo vendi sufficeret, quicquid ex officio ad nos redibat, vos frumento gratuito liberaliter juvistis. Squalebant nuper publica ædificia, & ineuntem sæpe fordes vix honestas hospiti suo dabant. Vos detersa squalore hujus dignitatis aliquam restituistis non sine ingenti sumptu. Enimvero publica hæc sunt, ad ea, quæ privatim ad me pertinent perveniebat. Laudes obsidionis olim factæ tolerate ipse non veram, & statim erat avaritiæ crimen ingens, qua audite hæc audiveritis, tentabatur. Dedica veram, fabulas quasdam, & alteram rursus minus verecundiam nihil tale quærenti onerabat. Depoculata erat mala mea pecuniam publicam. Vos, ne istud ejusmodi in me factum esset, effecistis. Obsequio inexpugnabilis, & indulgentia quadam immensa pronus favor me semper sequitur, ne forte meæ virtutis turbæ fragilis memoria non sufficiat. Quæ cuncta quasi exprobrare mihi videntur, animum meum cujusdam superficii in-

memorē, nisi me conscientia excusatum mihi, testimonium perhiberet, nihil me quo minus manerem fecisse reliquum. Sed audire hic mihi videor nescio quos aggeperatos: Quæ igitur tam insana abeundi est libido, quam nec necessitudinum preces, quibus vel oculi impendendi, nec amicorum dolor, nec fratrum commoditas, nec beneficiorum memoria inhibere potest? vos ego per omnia seuera Musarum rogatus velim, ne me nimis fervidè urgeant. Ante enim spuria quædam caussæ mihi sunt amoliendæ, quam veram vobis fictam.

Abierunt nempe & ante me Rectores multi, & relicto pulvere Scholastico sacram induerunt insulam, in quorum ephemerides sollicitius inquirere meum quidem non est. Omnium tamen confessione certum est, quæ fuisse illos honoris & mercedis plus, laboris minus, quis enim velit via asperâ incedere & anfractuosâ, cum plana & facili eodem pervenire possit? Enimverò nihil calo mihi valedicenti prunigineum exiisse sanctè testari possum. Utut enim Rectoratus hujus Gymnasii vix in aliqua parte eruditorum hic locum habeat, & inter purgamenta sedium assidue ejectus, usquè adeò tamen forte, quam nescio

Digitized by Google

officio cujus præscriptionis iniquitas declarat, contentus fui, ut nunquam cum quoquam super ea re verbum aliquod commutaverim. Integra potius & jucundissima semper illorum amicitia fuit, quibus cum mihi contentio erat de loco. Solet quidem etiam optimis ingeniis innasci honoris & gloriæ cupiditas, quæ, si modum servet, etiam in laude poni solet. Contemni verò & pro nihilo haberi animos exulcerat atque frangit. Sed ego jam callum obduxeram ac ferebam æquo animo, quod mutare non poteram. Male continetur ambitiosus animus, ut non subinde per vultum, os, incessum, vestes erumpat, atque se prodat. Ego verò tam alienus ob hoc vitio, ut quoque inimicos si quis habeo, in alienis nævis perspicaciffimos provocare audeam. Quin & umbra ejus criminis laborare nolim, & ad sonum verborum tota ad fugum vela torqueo, inque capita hostium abire pestem hanc jubeo. Tum eo, quod ex officio ad me redibat, ita acquievi, ut etiam lautè hic mecum agi crederem benigniffimus fortunæ meæ interpres. Anguste enim me non paviftis, sed comedi & saturatus fui cum meis, & quotannis aliquantulum superfuit, quod

Digitized by Google

in usum viduæ & orphanorum reponerem, quia domi me contrahebam, nec foras dilatabam, aut extendebam. Neque unquam aliquis de tenuitate rei familiaris queri me audivit, quod multi faciunt, quibus nunquam tàm plena felicitas occurrit, ut saturet. Ipse autem optimum semper pecuniæ modum esse judicavi, qui nec in paupertatem cadit, nec procul à paupertate recedit. Laboris autem mei usque adeò me non pœnituit, ut ad extremum usque etiam voluntarios mihi injunxerim, temporumque meorum succisiva multis liberaliter donaverim. Quid de privatis lucubrationibus loquar, in quibus ferme nescivi vires meas, sed immoderati plerumque adversus me tui imperii, homo cui jamdudum nullus per otiam dies exiit. Et Misena mea, quicquid de hebdomadico labore adimit, menstruo reponit. Inspectoris enim difficilis & ærumnosa molestia efficit, ut in ambiguo sit, utrum laborem eligere debeam, & facillimus ille videtur, cui adsveras. Nihil ergo agunt, qui ab hisce rationibus me impulsum fuisse suspicantur, ut abeundum mihi duxerim, atque adversus malignas hasce opiniones satis mihi fiduciæ est in bona conscientia.

Tan-

Digitized by Google

Tandem sunt, qui dictitant, incommodum domicilium lancem apud me inclinasse. Et sane quidem ingenium in ultima parte felicitatis humanæ habitare laxius, nec intra deformes angustias compingi, quibus velut sub Jove frigido vix cedentes injurias effugere possis. Quin imo per undecim continuos annos sine ulla querela in sordibus hisce vixi, quas qui mecum videruntur, mirari sunt non sine dolore moti. Norunt hoc Ecclesiastici Curatores, quod insigni patientiæ meæ indicio volverim, ut nec mutari quidem quicquam desiderarem, nisi quod hoc ipso anno demum, justus sum commodi mei rationem per preces Nobilissimo Senatui commendare. Et quantum in vobis, jam cubicula mihi hæc res erat, nisi Sed quid nisi? Desino potius, & ad veram discessus mei causam devenio. Annus jam erat, & dimidius cum ego Dresdam maximæ causa divertens hospitio usus sum magnifici cujusdam viri, cujus notariatui præerat ego, aliquibus ejus negotiis facile me immiscui. Hic discedentem me percontabatur, an posthac essem Scholæ cuipiam illustri, & forsitan sacræ, operam navaturus. Ego vero nihil minus cogitans, quam

quam inquam. Tum ille subridens, Et ne simplici, inquit, negatione defungeris? Et ego: Quid ni, qui noverim quantus in hisce Ludis labor, quam molestia devorenda. Nam & ipse alumnus ad Albina, ad Muldam vero collega per quatuordecim annos vixi. Imò vero egessit ille, tales viros vel maximè desideramus, qui confretadimum illarum jam sunt periti. Annos ego caussabar & senectutem: ille Deum viresque integritatem reponebat. Sed ne sic quidem cessabam, annum gratiae, quo vidua Freibergensis gaudeat, opponere. Quod ultimum telum cum extorsisset, & Misenam, nunc ulnam olim studiorum nominasset Rectore tunc mentem valetudinario, simulque admoneret, ne me subtraherem Gymnasio, cui nutritia sua adhuc deberem, exarmatus ego nihil habebam, quod reciperem, nisi futurum me in potestate Dei, qui si sine operum meâ omne me vocaret, obsequenterem me fore. Dictum factum: moritur ille, ego rursus interrogatus negare amplius nihil sum ausus, remque ad arbitrium Dei omnem rejeci. Is verò cum omnia consensit: me nec rogante, nec desiderante, caput suis erat, & pronam Numinis voluntatem adora-

Digitized by Google

eloquebam. Plena enim raro est, Patrem coelestem velle. Vos ipsi autem in tali re & causa quid mihi faciendum fuisse deceretis? Nimirum ne conscientiam laederem temeraria mutatione nova meruerunt dum mihi erat. Haec vero omnia se ita habere novit, qui omnia novit, qui hominum voluntates flectit, cujus autem saltem reluctari summum periculum est. Interea non desinant, qui magno cum bona hanc petebant, atque voti compotes fierent, omittebant nihil. Nonnulli quoque aetatem meam mendacio augebant dissitantes, me filiorum esse majore sui parte jam praesepultum, & cui senectus jam magno & universo pondere incumbat. Equidem quotidie ab ultimo die propius sto, nec tam forem habeo diuturnitatis, sexagesimum tertium annum quod illi volebam annum adhuc nondum complevi, ut integro fere decennio sim minor. Et tamen mihi decretum hac provincia, me in otium vitamque secure & molliter deducturum. Ad fugas & prodigia mihi parendo erunt, quando voluntate Dei contenta fruemini. In ergo ea vendum mihi Freiberga, [illegible] Ita valedicendum deinceps fortunae meae indulgentissimae, de qua

usque

usque adeo nihil queri possum, ut bene potius actum esse mecum putem, si eadem benignitate fatorum, qua hic usus sum, Misenae quoque frui queam. Dicendum igitur ultimum vale, ad quam vocem animus ipse convertitur, quoties cogitationes in longinquum proiicitio, labia concurrunt, lingua titubat. Verum enim vero, grave quidem dictu, sed dicendum tamen ultimum vale. Valete Patroni, Valete Fautores, Amici, Collegae, discipuli. Cursim scilicet mihi fugiendum per tam dulcia nomina, ne affectus praecipitet, & oborians mutor vocem interciudat, atque strangulet, & denique me mihi excutiat. In paucissimos sensus, & angustas sententias detrudenda, si quae mihi est, ubertas, si quidem desinere malo, quam deficere. Ingentium vero meritorum debitor discedo, & forte ingratus morar, non quidem animi vitio, sed virium, sed occasionis defectu, quae hic manenti forte & citius adimanum data erat.

Enimvero ingratus non est, qui beneficium fatetur atque deprecatur. Ipse certe me appellabo, & quidem in aspera & probo solvam quod possum, ut tamque parum meritis grata excusem.

Quoti-

Digitized by Google

Quotidianis laudibus extollam urbem hanc beneficentissimam, ejusq; Senatum Nobilissimum, & fortunæ beneficiū debeo, fraudem fuppeditaverit, benedicam vobis omnibus morienti. Interim fuffecerit ingenuo quæ profiteri: ea alienum solutionem benigne polliceri. Gratias autē agat quantas humani pectoris angustiæ capiunt maximas. Tibi fummum rerum opifex atque Rector, quod toto hoc tempore, quo hic vixi, nunquam defiiti me largè qua spiritualium, qua corporalium beneficiorum imbre perfundere. Quamvis enim in temporalibus plus debeam, quàm dignus fum, in cœlestibus minus, quàm fæpe mœrens & lachrymans rogavi, tamen utrobique fufficit mihi gratia tua, cui me, meos, mea omnia debeo & debebo, dum vita fupererit. Tu ne ultima hæc hebdomas immunis effet, quafi inverso modo benedictionis duos mihi ex animi fententia genenos dedifti. Te vocantem jam fequor, quamvis moribus & futuri incertus, fed tamen fequor. Tibi fit laus honor & gratiarum actio per infinitas fæculorum myriades. Proxime & fecundum Deum vos appello Proceres hujus urbis Excellentiffimi, Nobiliffimique, quibus

Digitized by Google

bus gratias angusto verborum quasi modio admetiri quidem puderet, si in promptu esset, unde re ipsa facere possem satis. Sed Deus in partibus. Is à me exoratus Vos omnes atque singulos fortunatos & ad arbitrium felices servet quam diutissime! Is urbem hanc vestram sub clementiæ alis foveat & tueatur, blandaque pace res civium refocillet, omnique tandem aditu prohibeat, quicquid inauspicato nomine censeri potest calamitatum. Tum Vobis ô Viri Dei, Tibi ô Præsul Eminentissime, Tibi ô Cranzi honoratissime, qui solus conscius es tentationum mearum, & luctæ sæpè impares, tum reliquis omnibus, quibus verbis gratias agam, ita me Deus amet, non reperio. Non enim bene affectum exprimit, quantuscunque verborum torrens suspiriis interruptus. O Deus, Deus! Da hisce tuis fidelibus in Te confidentibus sacrum septenarium. Sequimini jam Collegæ optimi, qui paribus humeris commune onus huc usque mecum sustulistis. Ex vestro vultu, vestris oculis lego, quo dolore abitus meus vos stranguler. Vobiscum saris concorditer vixi, &, si quod friguscu[illegible] intervenit, amicitiam tamen nunquam refri-

Digitized by Google

refrixit, & publicæ gratiæ sequester operam dedi sedulò, ne quid ex hac hieme, respublica nostra damni caperet. Interim si non integra, tamen probe sarta & interpolata utebamur concordia, quęq; ad quotidianos usus sufficeret, in quo quid præstiterim ipsi novistis, et, si gratulatio inter tot lachrymas locum habet, mihi gratulor, quod discessu meo tribus amicis locũ feci ascendendi, vobis qui altiore omnes loco jamdudum meo, nunc publico judicio digni estis visi. Vobis quoque Deus benefaxit ex alto, multamque benedictionem laboribus vestris sufficiat! Ad ultimum, filii mei dilectissimi, namq; in hoc dulce nomen affectus meus etiamnum exuberat, compello. Sed vix rectis oculis intueri audeo, ne in eundem affectum abripiar, qui vos jam conficit. Istud saltem abiens moneo, ut memores sitis tot lachrymarum, quibus sæpe omnes, sæpe singulos ad pietatis studium cohortatus sum, ad virtutis stadium carceres aperui, metam ostendi, cursum direxi. Ita feliciter coronam reportabitis utramque, ac præmium istud hujus ac illius vitæ. Sed portum jam video, armamenta compono, ad littus adnavigo cum hæc proceleusmate:

CHRI-

Digitized by Google

CHRISTE JESU
FILI DEI VIVENTIS
CUJUS JUSSU ATQVE IMPERIO
EX HAC CATHEDRA MOESTUS DISCEDO
IN QUA TIBI
IN DUODECIMUM ANNUM
QVOD IPSE NOSTI
FIDELITER SERVIVI.
ADORO TE
IN CRUCE VULNERATUM
FELLE ET ACETO POTATUM,
SIMULQVE DEPRECOR
PROPTER VULNERA TUA
ET MORTEM ACERBAM,
TUERE HANC URBEM,
EJUSQVE OMNES INCOLAS
INCOLUMES PRÆSTA
ET LONGA DENIQVE PACE
OMNES
SUPRA INVIDIAM
FELICES AC BEATOS EFFICE
VALETE, VALETE, VALETE.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

+ - p full title ~~vid 9. 9. 18. 24. 26 b~~

Digitized by Google